
HIPPOCRATIS

APHORISMI

II. VOLUMINIBUS COMPREHENSI.



HIPPOCRATIS
COI
APHORISMI
NOTATIONIBUS VARIORUM ILLUSTRATI.

DIGESSIT ET INDICES NECESSARIOS
ADDIDIT

JO. CHR. RIEGER,
RIESENBURGO-PRUSSUS.

VOLUMEN I.




HAGÆ COMITUM,
Apud PETRUM VAN CLEEF.
M. DCC. LXVII.

HIPPOCRATES natus in *Coo* vel *Cos*, maris Ægei seu Archipelagi insula, anno 1 Olympiadis 80, ante C. N. 460, patre *Heraclide*, Medico Asclepiada, qui longa successionis serie ab *Æsculapio* genus deducebat. Ad medicinam, more Asclepiadarum, puer a patre institutus fuit. Etiam *Herodico* Selymbriensi multum debuisse videtur. Ad hæc Medicorum & Philosophorum scripta, quæ tunc extabant, videtur sedulo evolvisse: nam ubique intelligitur, ingenium ipsi fuisse ad omnia perquirenda tam indefessum, quam ad dijudicanda perspicax. Patriam suam mature excessit, multumque peregrinatus, in *Thessalia* tandem consedit. E vita excessit Larissæ in Thessalia, annos natus 104 juxta plerosque, h. e. Olympiadis 105 anno 4to. Scriptis de Medicina libris, omnium seculorum consentiente testimonio, meritus est, ut MEDICORUM PARENS & PRINCEPS salutetur.



PRÆ-



PRÆFATIO.

„ INTER omnes libros, qui
„ Hippocratis *Coi* no-
„ mine inſcribuntur, præſens
„ opus Aphoriſmorum om-
„ nium conſenſu principatum tenet. In
„ eo enim præclariores ſententiæ com-
„ prehenduntur, quæ per univerſam As-
„ clepiadum doctrinam diſſeminatæ eam
„ illuſtrant, & exornant, in unum reda-
„ ctæ, hoc opus nunquam ſatis admi-
„ randum conſtituunt. Verum etiamſi
„ hæc ſit ſummi Hippocratis doctrina,
„ ejus tamen induſtria in hoc compen-
„ dium redactam fuiſſe, affirmare non

„ audeo, cum tanti auctoris gravitati „ convenire non videatur, selectiores „ sententias hinc inde colligere, quæ (si „ totum opus respicias) nec methodum, „ nec doctrinæ perfectionem continent. „ Certum est enim, de omni fere me„ dica materia in hoc libro tractari, sed „ nihil perfecte, ac continuata serie ab„ solvi. Præterquam quod manifeste ap„ paret, complures sententias ex aliis „ Hippocratis libris in præsens opus „ translatas longe perfectiores in proprio „ fonte reperiri, quam hoc in libro, non „ paucasque esse, quæ aphoristice de„ scriptæ, mendacio non carent, quæ „ juxta proprii loci descriptionem, in„ dubitatam veritatem continent. Qui „ enim eas collegit, ut brevem senten„ tiam redderet, in multis veram Aucto„ ris mentem minime assecutus, voculas

„ quas-

„ quasdam adimi posse ratus, orationem
„ defectuosam, falsamque sententiam red-
„ didit, ex quo factum est, ut omnium
„ Aphorismorum lectionem tueri, sit im-
„ possibile, unde Galenus etiam aliquos
„ tanquam spurios rejicere coactus est.
„ Nosque in multis, lectionem proprii
„ loci, aphorismorum lectioni præferen-
„ dam existimamus. Hoc tamen non ob-
„ stante, præsens opus plurimi facien-
„ dum est, illud pro certo habentes,
„ quæ in eo continentur omnia ex li-
„ bris Hippocratis desumta esse (inde
„ enim Hippocratis nominis inscriptio-
„ nem obtinuit) quorum pars plurima,
„ cum vetustate perierit, eorum doctri-
„ na nos penitus privari, hoc apho-
„ rismorum opus non permittit". *Mar-
tian. p.* 425 *sq.*

Videtur apprime cum veritate convenire hæc insignis viri sententia, inanemque navare operam, quicunque connexionem semper quærunt inter dissolutas scopas. Nam, ut bene advertit *Rod. Magister* in præf. opusculi, quod inscripsit *Doctrina Hippocratis. Paris.* 1613. 12°. videas hîc unum aphorismum agere de victus ratione, quem in re omnino diversa, mox vel prognosticon axioma, vel therapeuticon sequatur: illic de morbis internis, atque externis confuse, alibi de purgatione, & venæ sectione promiscue. Existimat etiam idem doctus vir, eam Hippocratis non esse, quam vulgo habemus Aphorismorum dispositionem: sed vel temporis lapsu perturbatam, vel inchoatum duntaxat opus, atque imperfectum suos postea sic edidisse. G. W. Wedelius

delius *primæ ſectioni* titulum dat, de immittendis & emittendis; ſectioni *ſecundæ*, de rebus non naturalibus, naturalibus, temporibus morborum, doloribus, conſuetudine, purgatione, febribus, apoplexia, lipothymia, epilepſia; *tertiæ*, de varietate morborum ſecundum anni tempora & ætates; *quartæ*, de regimine purgantium, febribus, ſudoribus & urina; *quintæ*, de morbis convulſivis, pectoris, mulierum, lacte & tumoribus; *ſextæ*, de prognoſticis; *ſeptimæ*, de morborum accidentibus novis (*a*). Juxta Ill. Albertum ab Haller *prima ſectio* de victu ſanorum, *altera* de victu ægrotorum, *tertia* de ætatibus earumque morbis, *quarta* de purgatione & ſignis, *quinta* de mulieribus, *ſexta* & *ſeptima* de ſignis

(*a*) Vid. *Eph. N C. D* 2. *a.* 2. *o.* 147.

gnis & præſagiis ex urina, dejectione agit (*b*).

Sed nec omnino prætereunda cenſeo, quæ Martianus *l. c.* obſervat, multos quidem contigiſſe libro Aphoriſmorum expoſitores, dum doctrina, quam continet electiſſimam, omnium animos allicit; ſed quia brevi oratione multa comprehendit, pluribus difficultatibus involvi, propter quas nunquam ſatis perfecte explicatur, & ideo, etiamſi plurimi eum ſufficienter explicaſſe profiteantur, poſterioribus tamen aliquid ſupereſſe, circa quod propria ingenia, & labores impendere poſſint. Quapropter Martianus ex tanta operariorum copia ſibi quoque meſſis hujus portionem relictam eſſe haud

vanus

(*b*) Vid. *Boerhaave method. ſtudii medici p.*672. edit. Amſtel. 1751. 4to.

vanus existimavit; quin largitur, remansuram etiam post se aliis, qui huic agro insudare voluerint. Neque fefellit ipsum animus: nam varii postea in lucem prodiere publicam Expositores, Commentatores, qui, quisque pro ingenio suo, industriam posuerunt operam in explicandis aphorismis (*c*). Attamen non eo semper cum successu id factitatum esse, qui omnes persuaderet lectores de genuino sensu doctrinæ Hippocraticæ, clamant atque testantur qui posteriores prodeunt. Enim vero, edicente H. Conringio, aphorismi illi nihil aliud suut, quam universales propositiones, deductæ ex singularibus plurimis experimentis: Commen-

(*c*) Amplissimum Commentatorum in Hippocr. aphorismos catalogum exhibet Hallerus in *Boerhaave l. c.* nempe *p.* 672-677.

mentatoris igitur officium primarium fuerit, vel oſtendere, quantum illæ veritatis habeant, aut quas patiantur exceptiones, ut ſane aphorismi complures nonniſi ut plurimum veri ſunt; ſæpe autem a veritate deflectunt, ad modum fere legum civilium cujuslibet rei publicæ; vel vero ſimiles rationes & cauſas eventuum illorum reddere (*d*). Vel, ut loquitur Clar. *de Gorter* in *præf.* ad *Medicinæ Hippocraticæ* librum 2dum: „ Qui aggreditur hos aphoriſmos explicare, „ eruere tenetur ex obſervationibus medicis, num in hiſtoriis medicis ſint „ fundati, & quantum conveniant experimentis phyſicis in rebus mortuis, & quan-

(*d*) Vid. *Commercii epiſtolici Leibnitiani, ad omne genus eruditionis*, &c. *Tomus prodromus.* Hannov. & Gotting. 1745. 8°. *p* 345.

„ quantum ab his recedant, dum com-
„ plectuntur res in hominibus viventi-
„ bus assequendas ".

Non hic est propositum mihi, ostendere, qui inprimis ex mente horum duûm virorum egere: quum fortasse ne unum producere possem, ex Commentatoribus quos evolvi, qui ubique ita illustraverit Hippocratis oracula, ut omnium lectorum meritus sit applausum. Ne dicam, quod quivis, ceu quotidie id fieri videmus in omni disciplinarum genere, ex systemate suo ab aliis dijudicet dicta: id vero notari velim, diffusam esse, quæ in aphorismis continetur, doctrinam per omnem fere quam late patet Medicinæ campum; ut merito diffidendum sit, posse unum aliquem circa omne argumentum æque bene versari, nihil ut deside-

randum

randum relinquat, aut quod non veniat in contentionem. Mirum adeo non eſt, ſi hæc mentem ſubeat cogitatio, proſtare hodie Hippocratis aphoriſmos dextre explicatos, ſed non ab uno Commentatore, Expoſitore, omnes.

Atque hæc cogitans, quum viderem neceſſitatem impoſitam conſulendi varios auctores pro exquirenda vera aphoriſmorum mente, ſenſi ſimul haud inanem poſitum iri operam, ſi, conſultis plurimis Commentatoribus, aliisque doctis viris, qui data occaſione aphoriſmum quendam bene expoſuere, conderetur unum volumen, in quo redactæ legi poſſent explicationes præſtantiſſimæ; una cum textu græco ſecundum editionem operum Hippocraticorum a van der Linden, factam, & verſione Latina An. Foeſii

ſii paſſim paulo magis textui Græco adaptata. Siſto itaque tibi B. L. librum aphoriſmorum Hippocratis integrum *cum notationibus variorum*, in quo poſt ſingulos textus exhibeo locos ex quibus illi deprompti fuerint; una cum parallelis apud Celſum. Sequitur explicatio ex doctrina Hippocratis, ſi res patitur; redduntur rationes & cauſæ enunciationis in textu factæ; adducitur limitatio aut exceptio, ſi cui ſubjacere videtur, vel etiam refutatio, ſicubi cum ratione atque experientia pugnat. Non hoc agere inſtitutum eſt, ut excutiam dicta omnia Interpretum, multo minus, ut ortas inde lites componam. In gratiam ſtudioſorum Medicinæ laborem hunc ſuſcepi, ut uno in opere reperirent quod eis viam patefaciat ad intellectum ſententiarum Hippocraticarum; utinam ſalutarem

rem! Intelligentes & in Arte exercitatos æquos Judices expoſco; ac faciles mihi promitto, quos errare humanum eſſe penitus perſuaſos eſſe nullus dubito. Dabunt, opinor, veniam conanti prodeſſe. Emendent, melioraque ſtatuant, ſine felle, ducti amore in utilitatem publicam; ad quam ſi opella mea aliquid contuliſſe judicatus fuero, lætabor, & illius promovendæ cauſa quæ parata habeo prelo ſubmittam.

Hagæ Com. 1766.
d. 22 *Octobr.*

J. C. R.



HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO PRIMA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM (*) SECTIO PRIMA.

APHOR. I.



Βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ ἐυ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

VITA brevis, ars longa, occaſio præceps, experientia fallax, judicium difficile. Neque vero ſatis eſt ad ea, quæ facto opus ſunt, præſto eſſe, ſed & ægrum, & eos, qui præſentes ſunt, & res externas ad id probe comparatas eſſe oportet.

PRoœmium eſt hic primus omnium Aphoriſmus, in quo innuit Hippocrates difficultatem artis medicæ, ut quam nemo per ſe poſſit integram acquirere, quia *vita brevis* &c. quare ne-

(*) Ἀφορισμὸς, *Aphoriſmus*. ab ἀφορίζω deducitur: quod verbum ſignificat *fin o*, *termino*; item *diſtinguo* & *diſcerno*; nec non *ſeparo* ac *divido*; & *definio* ac *breviter rem concludo* & *expolio*. docent Lexica. A tertia ſignificatione Arabes *diviſorum ſermonum* libros, alii *diviſiones* Aphoriſmos ſunt interpretati. Ἀφορίζω ſignificat

necesse sit, eum, qui vult notabiliter in medicina proficere, Antiquorum tradita perlegere vel nosse; caute experiri; subtiliter judicare; & tunc facere, quæ oportet, simul vero etiam curare, ut ab aliis circa ægrum, & ab ægro ipso fiant, quæ fieri debent, observando simul externa seu concomitantia, quæ referri possunt ad regionem, consuetudinem, & complexionem ipsius ægri; h. e. considerari debent juvantia & nocentia. Nota, quod Hippocrates requirat hic in Medico, ut perspectam habeat non modo experientiam, sed & ut judicio utatur ad eliciendas ex observatis conclusiones. ergo non empiricam, sed Dogmaticam stabilit Medicinam. *Arnald.*

De *vitæ* humanæ *brevitate* publica est querela. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inaneis nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt! *Cic. de Orat. l.* 3. *c.* 2. In-

gnificat etiam *eligo*; ex qua significatione Aphorismus appellatur sententia selecta, continens in se magnam vim. *Sanctor.* Galenus definit ita, ut Aphorismus sit, quum rei totam naturam brevi oratione concludimus. Clarius Gorterus in *præf.* ad *Medicinæ Hippocrat. lib.* 2: Aphorismus est brevis, sed sententiosa oratio, quæ rei alicujus proprietates brevissimis verbis tradit, in qua non opus ut antecedentibus vel sequentibus aphorismis cohæreat, at ut sententia absoluta proponatur, fundata in experimentis vel observationibus medicis. Dum enim eadem res aliquoties occurrens, quæ dispersa est per multas historias medicinales, unica sententia proferatur, non amplius res hæc ad historiam vel observationem medicam refertur, sed ad aphorismos seu canones universales.

Inde Theophrastus Eresius, cum ad annum ætatis octogesimum quintum pervenisset, de malignitate Naturæ conquerens, Injuste, ajebat, fecit Natura, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interest: hominibus vero, quorum maxime interest, tam exiguam vitam dedit, quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Vid. *Diog. Laërt. lib.* 5. Incertum ac fragile nimirum est hoc munus Naturæ, quicquid datur nobis: malignum vero & breve etiam in iis, quibus largissime contingit, universum utique ævi tempus intuentibus. — Natura vero nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius. *Plin. l.* 7. *c.* 50. Non exiguum tempus habemus; sed multum perdimus. Satis longa vita est, & in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. *Senec. de brevit. vit. cap.* 1. Sed

Ars medica *longa* postulat inprimis, ut tempus suum bene collocent, qui eam pernosse volunt; ut nempe ad artem traducatur, quod ei gloriam & decus comparat. Ars autem medica, ut cito addiscatur, fieri nequit, propterea, quod in ea firma aliqua doctrina tradi non potest: nam & nunc, & paulo post, non idem facit, & sibi contraria facit; eaque sibi ipsis contraria. *Hippocr. de loc. in hom. n.* 50. Qui Medicinæ scientiam sibi vere & apte comparare volet, is horum omnium compos esse debet, ut naturam nactus sit, doctrinam, locum studiis aptum, institutionem a puero, industriam & tempus. — Ad hæc longi temporis industriam accedere necesse est, quo disciplina veluti gra-

vidata, feliciter & bene crescendo, maturos fructus efferat. *Hippocr. Lex*, *n.* 2. Multarum rerum experientiam Medicum habere oportet. *de articul. n.* 9. Qui igitur in ignorantiæ profundo submersi sunt, ii prædicta minime percipiunt, cum, Medici nomine indigni, re ipsa comprobent, quam repente evecti sint, fortunæ tamen egentes, perdivites quosdam ex angustiis emergunt. *Præception. n.* 6. Qui vero Medici sapientiam sibi falso arrogant, ii nimirum peccant. *de fract. n.* 1. Opinatio enim cum præcipue in arte medica, ea quidem utentibus crimini vertitur, his vero, qui ea indigent, exitium adfert. *de dec. orn. n.* 4. Quis demum non videt, quam exporrecta hodie sit artis longitudo per tot additamenta imaginationis, potestatis ad fingendum nullis terminis circumscriptæ? *Piso magn. aux. p.* 343. Præterea vero ars medica *brevem* habet *occasionem*, seu temporis opportunitatem, & qui hoc novit, illud constitutum habet, & novit quæ sint rerum species vel non, ad quas cognoscendas occasio non est in arte medica. *Hipp. de loc. in hom. n.* 54. *Occasio* namque *præceps* est & lubrica. *Prædict. l.* 2. *n.* 29. Tempus dicendum est, in quo occasio consistit; occasio autem, in qua tempus non multum. Medicatio in tempore fit, aliquando etiam occasionem requirit. Qui igitur ista norit, ad curationem aggredi debet, neque prius ad ratiocinationis persuasionem, quam ad usum cum ratione conjunctum, animum adhibere. *Præcept. n.* 1. Opportunitates autem multæ sunt in arte & variæ, velut & morbi, & affectiones, eorumque curationes. Ac *celerrimæ* quidem sunt, quibus aut animo deficientibus opitulari licet, aut qui neque urinam neque ster-

ſtercus reddere poſſunt, aut qui ſuffocantur, aut mulierem prægnantem aut vulneratam liberare, aut quæ ſunt ejuſmodi. Et hæ quidem celeres, neque confert paulo poſt, cum plerique paulo poſtea moriantur. Occaſio tamen eſt, cum quid tale homini contingat, ſi quis ante quam animam emittat juvetur, id ubi tempore opportuno ſumſerit, ſuccurret. Semper enim quocunque tempore quis auxilium attulerit, opportuno tempore auxilium attuliſſe dicitur. 1. *de Morb* n. 4.

Temporibus medicina valet, data tempore prodeſt. Animum igitur adhibere oportet fortuitæ occaſioni, quæ plerumque ſe offert. *Præcept.* n. 3. Cum enim ab omni arte aliena ſit procraſtinatio, tum vero maxime in Medicina, in qua dilatio vitæ periculum adfert: temporum autem opportunitates curationum ſunt animi, earumque obſervatio finis. *Hippocr. Epiſt. ad Cratev.* Oportet igitur ut Medici in occaſione prudenter captanda appoſitos ſe exhibeant & accommodatos. *de dec. ornatu* n. 2. In acutis dictis morbis occaſio præſertim præceps eſt; quia in iis fallaces magis notæ ſunt & ſalutis & mortis, juxta 2. *Aph.* 19. ac in iiſdem raro, & in principiis medicamentis uti convenit, 1. *Aph.* 24. & forſan non ſolum principium tranſibit morbi, ſed morietur æger. *Cardan.* p. 4. Quare maxime eum Medicum probaverim, qui in morbis acutis, quorum vi plerumque homines intereunt, longe melius cæteris ſe gerat. *de rat. vict. acut.* n. 2. In victus ratione maximum eſt operæ pretium animadvertere & obſervare tum febrium intenſiones, tum remiſſiones, non modo in acutis morbis, verum etiam in longis, quo temporum occa-

ſiones caveas, quibus cibi minime offerri debent, & quando tuto offerendi ſunt cognoſcas, atque etiam quando plurimum ab intenſione abſuerint. *ibid. n.* 63.

Experimentum periculoſum ſeu *fallax* hic intelligi poteſt, quia praxis medica nullam habet abſolutam regulam & ubique certam; id quod Celſus *l.* 1. *præf. p.* 18. in his innuit, *non eadem omnibus, etiam in ſimilibus caſibus, opitulantur*. vid. *Com. Bon. p.* 405. Conjecturalis ars eſt medicina, ratioque conjecturæ talis eſt, ut, cum ſæpius aliquando responderit, interdum tamen fallat. Optimis vero Medicis ſimilitudines imponunt & difficultates pariunt. Contraria vero cauſa efficit, quæ, qualis ſit, conſideranda venit. Et ſane difficile eſt curandi viam ratiocinatione aſſequi. 6. *Epidem. Sect.* 8. *n.* 80 *ſq.* Quinimo etiam ſpes interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo Medicus ſecurus primo fuit: quæque medendi cauſa reperta ſunt, nonnunquam in pejus aliquibus vertunt. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. *Celſ. l.* 2. *c.* 6. *p.* 57.

Interim pleraque non ratiocinatione, ſed auxilio indigent. Eventa igitur per experientiam cognita, prædicenda. Id enim gloriam adfert, & cognitu eſt facile. *Hippocr. de dec. ornat. n.* 9. Experientia artem efficit, imperitia vero caſum; juxta *Ariſtot.* 1 *Metaph. c.* 1. & qui nullum experimentum remediorum habent, merito accuſandi ſunt, quod tam negligentes in tam neceſſaria parte fuerint; ut ait *Scribonius præf.* Multum ſane requiritur ad experientiam medicam, quæ non verſatur circa certas tantum morborum ſpecies, ſed circa univerſum quorumvis occurrentium morborum cumu-

lum,

lum, quorum certe discretam experientiam unus Medicus per suam vitam nunquam exhauriet. *Act. Med. Berol. Dec.* I. *vol.* 10. *p.* 66. At vero sæpe nova incidunt genera morborum, in quibus nihil adhuc usus ostenderit. *Cels. l.* I. *præf. p.* 5. Inde vero Plinius *l.* 29. *c.* I. Medicos insectatur, dicens, quod discant periculis nostris, & experimenta per mortes agant.

Quoniam igitur experientia, quæ observationum copia acquiritur, valde difficilis & longissimi demum temporis filia est, cum corpora humana mirifice, pro diversitate virium, climatum, temporum anni, victus, consuetudinis, ætatis, temperamentorum, innatæque dispositionis diffideant, ea propter sola experientia insufficiens & difficillimum est artis principium; alterum itaque ceu fulcrum ut adjungatur, videlicet ratio, necessarium est: hoc est, rectum Medici judicium sive subacta bene concludendi facultas necessaria est. *Hoffm. Med. rat. T.* I. *p.* 9. Omnino Medicum sua prudentia obviam ire convenit morbis instantibus, & naturis, & anni temporibus, & ætatibus, contentaque solvere, & soluta intendere. *Hippocr. de nat. hom. n.* 18. Sed ecce, obscurissimos & maxime difficiles morbos, opinio magis quam ars judicat. *de flat. n.* 2. qui namque obscuro morbo laborant, si quid de morbo Medicis indicare conantur, id ex opinione potius quam ex certa cognitione denunciant. Igitur ex his, quæ denunciata sunt, non licet ad aliquam cognitionem pervenire. *de arte n.* 19. Quanquam equidem vehementer hunc medicum laudarim, qui parum peccet. At exacta certitudo raro cernitur. *de vet. Med. n.* 16.

Jam vero & *Judicium difficile* est, nec inventu

facile, id quod Sectarum multitudo in arte medicinali ostendit. Neque enim, si veritas esset inventu facilis, tot ac tanti viri, qui illam perquisiverunt, unquam in tam repugnantes sententias devenissent. *Galen.* Prudentiæ primæ partes sunt, devitare incertas vias, occasionesque ab recta ratione, & actione recedendi; quas incitati celeresque ad agendum difficillime declinant, tardiores non facile; adeo tot ambigua, involutaque in Arte nostra occurrunt. In tanta vero difficultate sui muneris actione explendi, certamque viam insistendi, annon prudentis erit ab actionum frequentia temperare multiplicibus erroribus exposita? quos providere, & præcavere non solum perarduum est, sed identidem supra humanum captum & vires, effecitque, ut invaluerit, & emanaverit in vulgum opinio, Medicum fortunatum esse oportere. *Piso magn. aux. p.* 332. In morbis cum multum fortuna conferat, eademque sæpe salutaria, sæpe vana sint; potest dubitari, secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. *Cels. l.* 7. *præf.* Elucet ita satis, ni fallor, *difficile esse judicium.*

Enim vero illud maximæ est difficultatis, & periculi in medica praxi, quod non est satis, si Medicus sit peritissimus & diligentissimus, atque omnia agat ut expedit, si quippiam deest aut *circa ægrotum ipsum*, aut *ministros*, aut *externa.* hæc enim omnia oportet moderari. *Valles.* Artem tria ista circumscribunt, morbus, æger, & Medicus, qui artis est administer, ægrumque oportet una cum Medico morbo reluctari. *Hipp.* 1. *Epidem. Sect.* 2. *n.* 93. Quænam in his *quæ ad morbos spectant* dignotio facienda sit, facile discemus, ex communi omnium & cujus-

jusque propria natura, ex morbo & ægroto, ex his, quæ offeruntur, & eo, qui offert. Nam & ex his melius vel gravius se habent. Præterea ex universali ac particulari aëris conditione, & regionis cujusque, ex consuetudine, victus ratione, vitæ genere, ex cujusque ætate, ægri sermonibus, moribus, silentio, imaginationibus, somnis, vigiliis, ex insomniis, quæ qualia & quando obveniant, videndum est; vellicationibus, pruritibus, lachrymis, ex accessionibus, dejectionibus, urinis, sputis, vomitionibus. Videndæ sunt etiam quæcunque fiunt morborum vicissitudines, & ex quibus in quos succedant, & quinam abscessus perniciem aut solutionem portendant. Sed & sudor, rigor, perfrictio, tussis, sternutationes, singultus, spiritus eructationes, flatus silentes, strepitum cientes, sanguinis eruptiones, ora venarum ex ano sanguinem fundere solita (seu hæmorrhoïdes). Atque ex his quæ per hæc contingunt consideranda sunt. *ibid. Sect.* 3. *n.* 1 *sqq.* Ad diligentem ægrorum procurationem Medico videndum est, quænam de morbo interrogationes fieri debeant, quæ narrat æger qualia haberi debeant, ut accipiendi sermones, quæ ad ægrum, quæ ad assidentes, & quæ ad ea, quæ extra spectantur, attinent. 6. *Epid. Sect.* 2. *n.* 78 *sqv.* Galenus sensa animi sui ita expressit: Adversari morbo ægrotum una cum Medico oportet, cumque tres sint, Medicus, morbus, & ægrotus, si Medicum solum cum morbo pugnantem ægrotus deserat, vel etiam ad morbum transfugiens Medico repugnet, Medicum a morbo superari continget. Alio loco ait, paucos morbos esse mortiferos, si neque Medici errent, neque ægri, neque ministri,

nistri, neque aliquod noxium extrinsecus accidat. *Tozzi.* Observandi sunt autem *aegrotorum errores*, ex quibus multi frustrati sunt in oblatis assumendis, quandoquidem exosis sumtis potionibus, aut medicationibus aut curationibus, e medio sublati sunt; quod quidem se fecisse minime fatentur, sed culpam in Medicum conferunt. *Hipp. de dec. orn. n.* 10. At vero, qui ex morientium calamitatibus artem funditus delere conantur, miror quanam satis justa oratione elati, in morientium intemperantiam causam non rejiciunt, sed eorum, qui Medicinam exercent, prudentiam accusant, quasi Medicorum sit, quae non conveniant praescribere, in aegrorum autem facultate non sit, aliquid contra imperata admittere. Atqui longe magis est rationi consentaneum, aegros non posse imperatis obsequi, quam Medicos ea, quae minime conveniunt, imperare. Hi enim sana mente & corpore, tum praesentia, tum ex praeteritis, quae cum praesentibus similiter se habent in considerationem adhibentes, ad curationem adgrediuntur, adeo ut, qui curatus est, aliquando fateatur, se illorum ope a morbo liberatum. Illi vero, neque quo morbo, neque quam ob causam laborent, neque quid ex praesentibus eventurum sit, neque quid ex his, quae sunt ejusmodi, fiat, intelligentes, imperata facere jubentur, praesenti quidem morbo afflicti, eventum vero rerum metuentes, & morbo quidem gravati, cibis vero vacui, ea, quae morbo grata sunt, potius eligunt, quam quae ad sanitatem conferunt, non quod mori desiderent, sed quod toleranter ferre morbum nequeant. Hos vero sic affectos an est vero similius quae a Medicis imperantur, quam alia, quae non imperan-

rantur, facere? an Medicos ejusmodi quales antea exposuimus, ea quæ minime conveniunt imperare? Nonne longe æquius est, eos quidem recte imperare, illos vero, ut par est, parere non posse, eamque ob causam mortem incurrere? Quoniam quidem causam, qui non recta ratione reputant, in eos, qui culpa vacant, rejiciunt, illis absolutis, qui maxime culpæ sunt obnoxii. *de arte n.* 10 *sq.* Qui deprehendenda sint ægrorum errata, videre est in *Prædict. l.* 2. *n.* 6. 7. Adsit autem ex discipulis aliquis, qui præsit, qui præceptionibus citra amarulentiam utatur, & quod imperatum est subministretur. Ex his vero deligendi, qui jam in arte provecti sunt, ut ea, quæ sint usui, exhibere, vel secure offerre sciant, neque in intervallis quicquam te lateat. Nullius vero rei curam plebejis unquam committas, alioqui ejus, quod male factum est, reprehensio ad te redundabit. *de dec. orn. n.* 12. Ut obtemperantes sibi habeat ægros Medicus inprimis studere debet, ut illorum sibi fiduciam comparet. Nihil magis enim ægris prodest, quam ab eo curari, a quo volunt, ut inquit *Seneca Excerpt. Controv. l.* 4. *contr.* 5. Crebro ægrum invise, diligentem considerationem adhibeas, ut iis, qui decepti sunt, per mutationes occurras. Quæ omnia placide & succincte facienda, ita ut plerumque in ipsa administratione ægrum celes, hilari & sereno vultu esse jubeas, eumque a suis cupiditatibus deterreas, & simul quidem cum amarulentia vehementer increpes, simulque eum commonefaciendo & blande excipiendo consoleris, neque quicquam eorum, quæ instant, aut facta sunt, ipsi indices. Idcirco enim multi, ob commemoratam instantium aut post futurorum prædictionem, ad

extremorum alterutrum detrusi sunt. *de dec. orn. n.* 10. 11. Medicum urbanitatem quandam sibi adjunctam habere convenit; austeritas enim tum sanis, tum ægris difficilem accessum præbet. *ibid. n.* 7.

Consiliis, non imperiis, affabilis, ægros
Dirige, nec duro jam fractum viribus ægrum
Impatiens sermone nota, sed crimina, si quæ
Sunt commissa prius, placidis nunc corrige verbis.
Sic nunquam poteris præclara sorte carere,
Sic miseros ægros re consiliisque juvabis.

Hebenstr. de Hom. præf. XVI.

Imo prudenter etiam Medici ægrotorum cupiditatibus in levibus rebus indulgent, quo illos sibi in majoribus obsequentes præstent; ut habet *Juliani Cæs. p.* 37. In quibusdam, ait Hippocrates, ægrotis est gratificandum, velut est, ut munde tum potus tum cibus parentur, tum etiam quæcunque videt & attingit mollia sint. In aliis quoque gratificari oportet, quæ non magnam noxam afferunt, aut quæ facile farciri queant, velut frigida, ubi ea opus est. In his etiam Medicum ægroto se gratum præbere convenit, qualia sunt ingressus, sermones, corporis habitus, vestitus, tonsura, ungues & odores. *6. Epidem. Sect.* 4. *n.* 24 *sqv.* Quoscunque cibos, aut opsonia, aut potiones, ægrotantes expetunt, ea suppetant, si nullum corpori nocumentum sit adfuturum. *de affection. n.* 42. Sermonis quoque & silentii habenda est ratio, & dicere oportet, quæ velit æger, videndumque, quibus utitur sermonibus, sintne magni, an multi, an veri, aut ficti. *Hipp. 6. Epid. Sect.* 8. *n.* 26. Proinde si impense loquax æger fuerit, & ipse Medicus paulo loquacior sit, ac contra; &c. vid. *Fuchs ad l. c.*

Ga-

Galenus refert, quosdam Pergami pro deploratis habitos, a Præstigiatoribus sanatos fuisse, quoniam horum præceptis propter confidentiam obsequebantur, cum Medicis non paruissent. Quare nec ægroti se curari permittant a Medicis, quibus non fidunt, nec Medici curandos suscipiant diffidentes. *Tozzi.*

Ad *res externas*, quas *probe comparatas esse oportet*, revocanda sunt, quæ fortuito contingunt. Quare in considerationem etiam adhibendi ægrorum decubitus, partim quidem pro anni tempestate, partim vero pro suo quique genere. Quidam enim in sublimibus, alii vero in subterraneis & obscuris locis decumbunt. Strepitus quoque & odores fugiendi & permutandi. *Hipp. de dec. orn. n.* 11. Sed ad externas res referri etiam debent Pharmacopoeorum opera, i. e. præparationes medicamentorum a Medico præscriptorum, quibus interdum Medico fit fraus, ægroto autem infertur nocumentum: quod utrumque fieri culpa pharmacopoei posse, apparet ex *J. A. Lodetti Dialogo de imposturis pharmacopoeorum nonnullorum*, edit. cum Lisseti Benancii Declaratione fraudum & errorum apud pharmacopoeos commissorum, *Francof.* 1671. 8°. *p.* 110. ubi pharmacopoeus cum Medico colloquens sequentia profert: „ Cum vos non videatis medicamenta, quanquam consilia de morbo instituatis, ægris non consulitis, quippe animus quidem vobis est curare eos, sed schedulas scribitis in ædibus illorum; quæ deinde nobis adferuntur, ita ut plerumque in absentia vestra præparentur; & diabolus semper nobis improbis adstat, ut mala fide agamus, ut adeo vos Medici vestrique ægri amplissime a pharmaco-

„ poeis

„ poeis decipiamini, nec ſit mirum, quod pleræque veſtræ curationes male ſuccedant ”. Legibus certe ſeveris non ſolum coërcendæ ſunt fraudes; verum & poena digni habendi ſunt errores, quando e. g. loco pulveris præcipitantis, ex abſorbentibus & cinnabari compoſiti, ægroto aſſumendus porrigitur mercurius præcipitatus ruber: ut taceam temerarias, Medico inſcio, factas ſubſtitutiones, male ſanum illud & nimis tamen frequens Quid pro Quo.

APHOR. 2.

Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵην δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους, ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

IN alvi perturbationibus, & vomitionibus quæ ſponte eveniunt, ſi qualia oportet, purgentur, conducit, & facile tolerant, ſin minus, contra evenit. Itidem & vaſorum evacuatio, ſi qualis debet, fiat, conducit, & facile tolerant, ſin minus, contra fit. Adhibenda igitur conſideratio & loci, & tempeſtatis

pestatis anni, & ætatis, & morborum in quibus hæc fieri debent, nec ne.

Principium hujus aphorismi de alvi purgationibus & vomitionibus extat in *de Veratri usu*, ac brevius in 6. *Epidem. Sect.* 4. *n.* 30. Sensus sententiæ est hic: In perturbationibus ventris, quas nos fluxus repentinos solemus appellare, & vomitibus, quæ absque alio auxilio externo eveniunt, si, qualia oportet purgari, purgentur, confert, & non remanent nec læsi, nec debilitati multum. Igitur si talis fiat a Medico evacuatio noxiorum humorum, confert, nec lædet. Per *qualia oportet* igitur intelligit, quæ lædunt, quomodocunque noceant, seu qualitate seu quantitate, seu quovis alio modo, si alius inveniri possit. Et licet loquatur generaliter de humore peccante seu in qualitate seu in quantitate: non tamen hic loquitur de quantitate evacuationis, sed in sequenti aphorismo. Purgationes plerumque adhibentur humoribus qualitate sola, aut qualitate & quantitate peccantibus: Sectio venæ plerumque peccantibus sola quantitate, scilicet sanguini. Hic Hippocrates loquitur de utraque; non tamen loquitur de quantitate humoris purgandi per medicamentum, & sanguinis educendi per venæ sectionem. *Cardan.* Si alvus fertur modicis excrementis, bile tinctis, raro & multum, non sæpe & paucum, talia decet purgari, &, si purgantur, confert, propterea quod adjumentum adfert tum ad curationem morborum particularium, tum etiam universalium: nam diarrhoea laudabili febres curantur, & partes deplentur humore noxio. Sed si excremen-

 tum

tum sit humidum, si multa bile tinctum, si album, & nulla bile tinctum, si sæpe & multum, sæpe & paucum, quia nihil paucum criticum, & omne nimium naturæ inimicum, tatis excretio est symptomatica, & contra naturam. Talis est diarrhoea, quæ incidit in phthisicos & tabidos. Quod si meracum, viride, vitellinum, calamitosas esse partes denunciant, & calamitatem partibus, per quas feruntur, inferunt, quæ hanc faciunt dysenteriam. *Duret. ad Holler. p.* 458. Alvi dejectio optima est, si mollis est & consistat, eoque tempore quo per sanitatem dejici soleat, copia vero ciborum ingestorum rationi respondérit. Talis enim exitus inferiorum alvum bene valere declarat. At liquida alvi egestio ex usu est, si neque stridet, neque crebro, neque ex brevibus intervallis excernitur. Frequens enim desidendi labor ægrum fatigat, eique insomnia adfert. Quod si affatim & sæpe dejicit, periculum est, ne animus deficiat. Verum, pro ingestorum ciborum copia, bis aut ter interdiu, & noctu semel, dejici debet, plus tamen prima luce, pro hominis consuetudine. Crassiorem autem fieri dejectionem oportet, morbo ad judicationem procedente. Sit etiam subfulva, neque admodum graveolens. *Hippocr. Prænot. n.* 9. At valde aquosum, aut album, aut ex viridi pallidum, aut vehementer rubrum, aut spumans dejici, hæc omnia mala sunt. Præter hæc quoque malum est, quod exiguum, glutinosum, candidum, ex viridi subpallidum & læve existit. His vero magis letalia sunt nigra, aut pinguia, aut livida, aut æruginosa aut foetida. Varia autem his quidem sunt deteriora, nihilo tamen minus exitialia. Hujusmodi sunt

strig-

ſtrigmentoſa, biliosa, cruenta, porracea & nigra, modo ſimul inter ſe mixta, modo per vices prodeuntia. *ibid. n.* 10. Quibus in inferiore per alvum dejectione bilis atræ quid ſubeſt, ſi copioſius, major eſt morbus, ſi parcius, minor. *de judicat. n.* 8. Alvi prærubra proluvies in omnibus morbis malo eſt. *Prædict. l.* 1. *n.* 2. Vid. etiam *Coac. ſect.* 6. *n.* 1 *ſq.* At tormina ea quidem omnia (dyſenteriæ) mala ſunt, ſi cum febre quidem invadunt, aut variis alvi recrementis, aut jecoris inflammatione, aut præcordiorum, aut ventris, aut quæcunque doloribus cruciant, aut cibos cohibent, ſitimque inferunt. Ac celerrime is perit, quem maxima pars horum malorum occupat. Huic vero plurimum ineſt ſpei, cui horum paucisſima adſunt. Utilia autem tormina (dyſenteriæ) ſunt, quæ his malis non affligunt. At ubi ſanguis & ſtrigmenta per alvum rejecta fuerint, ſeptimo die deſinunt, aut decimo quarto, aut vigeſimo, aut quadrageſimo, aut intra hoc tempus. Hujusmodi namque dejectiones etiam eos, qui ante fuerant in corporibus, morbos tollunt: inveteratos quidem ſpatio temporis majore, recentes vero etiam paucis diebus levare poſſunt. Lævitates autem inteſtinorum (lienteriæ), aſſiduæ quidem & multo tempore perſeverantes, ac omnibus horis, & cum ſtrepitu, & ſine hoc exturbatæ, & ſimiliter noctu & interdiu affligentes, ſi quod excernitur valde crudum eſt, aut nigrum & læve ac mali odoris, eæ quidem omnes malæ ſunt. Reliqua alvi profluvia (diarrhoeæ) quæ ſine febre ſunt, & parvo tempore durare, & mitia eſſe ſolent. Aut enim elota, aut ſua ſponte deſinent. Ceſſaturum autem alvi ſeceſſum de-

nunciaveris, ubi contrectato manu ventre nullus motus ſuberit, & ad extremam dejectionem flatus prodierit. *Prædict. l.* 2. *n.* 30. 31. 32. Conf. infra 4 *aph.* 21. 22. 23. 24. 26.

Vomitus perquam eſt utilis, qui bilem pituitæ quam maxime permixtam habet, ac neque admodum craſſus eſt, neque multus. Qui enim ſinceriores, pejores ſunt. Si vero, quod vomitione rejicitur, porrum colore referat, aut lividum, aut nigrum fuerit, quisquis horum colorum adfuerit, pravus exiſtimandus eſt. Quod ſi eodem vomitu omnes hi colores rejiciantur, id exitiale eſt admodum. At lividus vomitus, ſi graviter olet, celerrimam mortem denunciat. Omnesque ſubputres & graves odores, in omnibus vomitionibus mali. *Prænot. n.* 12. *Coac. ſect.* 4. *n.* 1 *ſqv.* Alvum coactam vomitio ſolvit, & plus æquo fluidam ſiſtit, illam quidem humectando, hanc vero ſiccando. *de diæta l.* 2. *n.* 36. Hinc cum evacuatum & vomentem curandum ſuſceperis, vomitum ne ſedato. Vomitus ſiquidem evacuationem ſedat, facilius autem poſtea vomitus ſedabitur. *de loc. in hom. n.* 45. Datur vomitus criticus, quando ſcilicet cauſa materialis, quæ ipſum produxit, ipſo vomitu eliminatur, qui valde ſalutaris eſt, & interdum obſervatur in iracundis, & cachecticis cholericis; nec non in febribus & intermittentibus & acutis, circa dies potiſſimum judiciales. Hac enim ratione ventriculus, duodenum, vaſa hepatis biliaria, pancreas & inteſtinorum canalis atque glandulæ a ſuccis & humoribus vitioſe ibidem collectis expurgantur, qui alias, maſſam ſanguineam ingredientes, varia inferre poſſent mala, quæ ab iſtis foras projectis timenda non ſunt.

De

De tali salutari vomitu egregia sunt, quæ habet *Celsus l.* 1. *c.* 3. „ Vomitus utilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se repleverunt, vel parum concoxerunt. Nam, „ sive plus est, quam quod concoqui possit, „ periclitari, ne corrumpatur, non oportet; „ sive jam corruptum est, nihil commodius „ est, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere. Itaque ubi amari ructus cum „ dolore & gravitate præcordiorum adsunt, „ ad hunc protinus confugiendum est". *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 499.

Sanguinis evacuatio in sequiori sexu per uteri ejusque vaginæ venas contingit singulis mensibus cum insigni sanitatis emolumento, siquidem ab hac evacuatione turbata vel penitus oppressa multorum morborum, graviumque symptomatum, quibus cum mollior sexus subinde conflictatur, origo derivanda est. Nobilior sexus solenni quoque excretioni obnoxius est, qua sanguis, ex liberaliori victu ac motus intermissione plenius & redundanter in corpore collectus, per venas hæmorrhoïdales statis quibusdam temporibus, inprimis autem vere & autumno, salutarem prorsus in finem foras ejicitur; nam ubi salutaris hic fluxus turbatus vel penitus suppressus fuerit, homines gravissimis subinde passionibus corripiuntur. Natura alias quoque exquirit vias, quibus se nimia sanguinis abundantia exoneret, siquidem in puerili ac juvenili ætate ut plurimum sanguinis per nares profusionem molitur, quæ sæpe salutaris criseos vicem sustinet, nec sine sanitatis ac vitæ discrimine sufflaminari aut plane intercipi debet. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 578 *sq.* Cæterum sanguis, supra quidem, qualiscunque fue-

 rit

rit emissus, malus: infra autem, si niger dejiciatur, bonus; juxta 4. *aph.* 25. Qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt, profundere solent, ii neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque ulcere exedente (phagedænam vocant) neque furunculis corripiuntur, neque tuberculis, quæ a ciceris similitudine therminthi dicuntur, ac forte ne lepra quidem, fortassis vero neque vitiliginibus. *lib. de humor. n.* 11. & *lib.* 6. *Epidem. sect.* 3. *n.* 64.

Fluxus sanguinis atri, nigri, vitriolacei, foetidi, pestiferi per alvum effluens, criticus solet esse, & liberator plurium morborum ventris, dolorum diuturnorum circa lumbos, & similium: dummodo tamen non sint dura, obstructa, & intenta hypochondria, præcipue dextrum, in quo casu letalis est hic sanguinis fluxus niger ac foetidus. Quare in mollibus hypochondriis sanguinis fluxus per alvum, sanguinis nempe nigri, vitriolacei, foetidi, non est statim sistendus, sed sinendum ut fluat, donec veluti per crisin viscera naturalia liberentur. *Bagliv. p.* 495. At sanguis splendidus alvo per secessum rejectus, malo est, præsertimque si dolor aliquis adsit. *Hipp. Coac. sect.* 6. *n.* 14. Qui statis temporibus sanguinem fundunt, si siticulosi sint, molestiam ac virium exolutionem sentiant, nec sanguinem effuderint, in morbum comitialem transeunt. *Prædict. l.* 1. *n.* 19. Quibus sanguinis fluxus diu perseveravit, in his temporis processu alvus male habet, nisi urinæ concoctionem præ se ferant. Sanguinis eruptiones vehementes cum totius corporis perfrictionibus judicatoriis, pessimæ sunt. *l. c.* Larga, vehemens & multa sanguinis e naribus

ribus eruptio, interdum ad convulsiones deducit, ex quo venæ sectio liberat. *ibid. n.* 21. Sanguis ex gingivis cum humecta alvo profluens, perniciem minatur. *Coac. sect.* 2. *n.* 160.

Ergo, velut variant causæ finesque fluorum,
Sic quoque consilium vario discrimine distat;
Si qua fluunt, fluxuque juvant, non tangere fas est;
Si qua, calens, fuso mitescit sanguine, febris,
Dedecet utiliter fusos retinere cruores.
Si qua saliva fluit, ptyalismum *Græcia dixit,*
Impediendus erit nunquam, fluit ille salubris.
Non decet exortos ultro compescere motus,
Ventriculo vomitus veniunt quandoque salubres.

Hebenstr. de Hom. p. 290 sq.

Dictæ alvi perturbationes, vomitiones, & vasorum evacuatio sive sanguinis fluxiones sponte naturæ evenientes, h. e. nihil ad ipsas proritandas moliente Medicina, conferantne, an contra, id luculentius patebit, si, juxta textum, *adhibeatur consideratio & loci, & tempestatis anni, & ætatis, & morborum* &c. Est, ut Celsus ait, etiam proprium aliquid & loci & temporis, *l.* 1. *præf. p.* 18. & refert, qualis morbus, quale corpus, quale coelum, quæ ætas, quod tempus anni, *l.* 3. *c.* 4. *p.* 119. Neque enim loca omnia eadem ferunt auxilia, quod ex aëre ambiente similia non sint omnia. *Thessali orat. n.* 130. Quare si quis ad urbem sibi ignotam pervenerit, is ejus situs curam habere debet, ut cognoscat quomodo ad ventos aut solis exortum sit exposita. Neque enim easdem vires habet, quæ ad septentrionem, & quæ ad austrum sita est, ut neque ejus quæ ad exorientem solem aut occidentem spectat. *Hipp. de aër. loc. & aq. n.* 1. In universum quidem res ita se habet. Regio, quæ ad meridiem

 sita,

sita, eâ, quæ ad septentriones spectat, calidior, & siccior, quod ad solem magis accedat. In his autem regionibus, homines & quæ e terra producuntur, ficciora, calidiora, & validiora esse necesse est, quam quæ in contrariis, &c. vid. *l.* 2. *de diæta n.* 1 *sequ.* Differre quoque, pro natura locorum, genera medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia, bene notavit *Celsus l.* 1. *præf. p.* 8. Asclepiades & Galenus observarunt, pleuriticos, quibus secabatur vena Romæ & Athenis, male habere, quod utraque civitas magna ex parte esset obversa austris: contra in Paro & Hellesponto bene habebant, quia hi objecti sunt ventis septentrionalibus. Ita Parisiis facile phlebotomiam ferunt, quia perflantur a ventis aquilonibus: Narbonenses vero & Lugdunenses non ita facile, ea præsertim parte, quæ austrum & mare mediterraneum spectat. Quo fit, ut Parisienses pleuritici bene habeant a missione sanguinis, Narbonenses vero ac Lugdunenses lædantur. *Holler.* Neapoli, austro perpetim agitata, compertum est, nedum ægre ferri sanguinis missionem, sed male omnino cedere ægrotantibus, & sæpissime in perniciem. *Tozzi.* In popularibus urbis Romæ vomitoria, & purgantia fortia non bene cedunt, nec ipsorum naturæ congrua sunt. *Bagliv. p.* 156. 706. Germani emetica remedia facile ferunt, & multum deprædicant eorum vires in singulis depellendis morbis. *ibid. p.* 161. Poloni quoque facile ferunt sanguinis missiones. *Sinap. Parad. Med Part.* 2. *p* 82. Messanæ in Sicilia in angina suffocativa venæ sectio inutilis deprehensa est. *Barthol. Peregr. med. p.* 40. Galli evacuationes ferunt largas tam per alvum,

vum, quam per venæ ſectionem. Contra, Magnæ Britanniæ incolæ magis iteratas quam largas requirunt venæſectiones. Hiſpanis, Luſitanisque vomitus bilioſi cum febribus, diarrhoeæ ac dyſenteriæ exitiales frequentiſſime ſuperveniunt. *Wigan. præf. ad Jo. Freind Opera.*

Anni temporum conſideratio habenda eſt; eo, quod vere & autumno, præſertim circa tempora æquinoctialia, ſanguis nimium redundans plus quam alio tempore ex alveis ſuis effundi ſoleat, atque maxime per nares, in viris per hæmorrhoïdes, ſi alias ad hunc fluxum diſpoſiti fuerint, fluat. Sanguineæ quoque apoplexiæ, quæ non niſi eruptiones ſanguinis in cerebri meditullio ſunt, circa hæc tempora & potiſſimum vere contingunt: vomitiones vero & mictiones cruentæ plus autumno quam vere incidiſſe a nobis annotatum eſt. Atque etiam circa hæc anni tempora ſolenniter ejusmodi ſanguinis excretiones & periodice redire atque reverti ſolent. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 4. Per hiemem augetur in homine pituita, quæ non niſi ſumma vi, ſecundum atram bilem, educitur. At vere adhuc quidem in corpore viget pituita, ſed ſanguis increſcit; & homines verno æſtivoque tempore potiſſimum inteſtinorum difficultatibus (dyſenteriis) corripiuntur, iiſque ſanguis ex naribus fluit, & ſunt maxime calidi & rubicundi. Aeſtate vero ſanguis adhuc viget, & bilis in corpore attollitur, & in autumnum protenditur. At per autumnum modicus quidem ſanguis gignitur: bilis autem æſtate & autumno in corpore obtinet: & hac tempeſtate homines ſua ſponte bilem evomunt, & per medicamentorum potiones bilioſa repurgantur. Per autumnum vero ſanguis pau-

cissimus in homine gignitur; bilis autem atra autumno, tum plurima, tum vehementissima est. At ineunte hieme, bilis perfrigerata pauca gignitur, & pituita rursus augetur. In anno autem, modo hiems maxime viget, modo ver, nunc etiam æstas, nunc autumnus. Sic quoque in homine, modo quidem pituita invalescit, modo sanguis, interdum etiam bilis, primum quidem flava, mox quoque atra appellata. Cujus rei evidentius est argumentum, quod, si eidem homini idem medicamentum quater in anno exhibere voles, hieme quidem maxime pituitosa tibi evomet, vere autem valde humida, æstate autem admodum biliosa, & autumno nigerrima. *Hippocr. de nat. hom. n.* 12 *sequ.* Maximi periculi plena sunt ambo solstitia, præcipueque æstivum. Periculosissima etiam ambo æquinoctia existimantur, maxime vero autumnale. Siderum quoque ortus (i. e. tempora anni) observandi, præcipueque caniculæ (æstas), deinde arcturi (principium autumni) & vergiliarum occasus (principium hiemis). *De aër. loc. & aq. n.* 30. Sub cane, & ante canem, i. e. æstu fervido; & vigente bruma, non ita facile purgamus & sanguinem detrahimus, nisi id parce admodum fiat. Si tamen & sub cane, & brumali tempore contingat esse temperatum coelum, & purgare audacius, & sanguinem mittere possumus. *Holler.* Minime itaque, in rebus multum inter se differentibus, perpetuum esse præceptum temporis potest. *Cels. l.* 3. *c.* 4. *p.* 119. Plura habentur infra 3 *aph.* 11. 12. 16. 20. 21. 4 *aph.* 4 *seq.* & 12.

Ad *ætatis considerationem* habendam invitare nos debet maxime constans illa observatio, qua

novimus diversas excretionum sanguinearum species in diversis contingere ætatibus. Videlicet pueri & adolescentes sanguinis profluvium e naribus potissimum patiuntur: in juvenibus cruor exitum suum per pulmonum vasa magis molitur, unde hæmoptysis & inde orta phthisis huic ætati familiarissima; in viris & qui in consistente ætate sunt constituti, sanguis per sedis venas, in decrepita autem ætate per vias urinarias plerumque exitum affectat. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 3. En Hippocratis observationes. Parvis & recens natis pueris eveniunt vomitiones; ad dentitionem vero progressis alvi profluvia (diarrhoeæ). 3 *aph.* 24. 25. Adhuc autem ætate provectioribus, & ad pubertatem progressis, sanguinis ex naribus profluvia. *ibid.* 27. Adolescentibus autem sanguinis sputiones; his vero, qui hanc ætatem superarunt, diuturna alvi profluvia, choleræ, intestinorum difficultates (dysenteriæ); sanguinis per ora venarum, quæ in ano sunt, profusio: At senibus alvi humiditates. *ib.* 29. 30. 31. Frequentes alvi dejectiones, cum abdominis torminibus & tenesmo sive continuo egerendi conatu stipatæ, ab hepate male affecto ortæ, si non maturo consilio componuntur, non raro in senibus, si arthritici, podagrici, vel hæmorrhoïdarii fuerunt, in funestam intestinorum erosionem desinunt. Familiare etiam senibus atque decrepitis, quin tantum non ordinarium, vitium est intestinorum lævitas, adeo ut levi laxante stimulo, vel alimento sale acri imbuto, aut dulci fermentescibili assumto, ad alvum sæpius deponendam sollicitentur. *Hoffm. morb. ex hep. vit.* §. 22. & 23. Itaque ætatem quidem ab ætate distinguere opor-

oportet, & num prius aut posterius quam convenit, quid contingat. *Hipp. l. 6. Epidem. sect.* 8. *n.*43. *Habenda item morborum ratio.* In morbis longis semper ante quam purges, concoctionem humorum expectes: in acutis quoque, nisi materia turgeat, eandem concoctionem procures. Nunquam purges si adsit inflammatio in aliquo viscere. Phlebotomia purgationem præcedat, si quando utroque isto remedio sit opus. *Holler.* Conf. *Hippocr. de vict. acut. n.* 35. 36. & 4 *aph.* 17. 18. 19. 20. Sed non tam de remediis evacuantibus adhibendis, quam de evacuationibus in præsente aphorismo memoratis, quæ in morbis sponte fiunt, nos hic oportet esse solicitos. Phreniticis varices vel hæmorrhoïdes fluentes prosunt; alvi fluor bonus, ut & hæmorrhagia. *Boerh. aph.* 779. In Ictero alvus fluens biliosis cum pauco cruore ante diem quartum; item hæmorrhagia larga ex nare dextra, ad sanationem conferunt. *ibid.* 923. Lenis apoplexia solvitur supervenientibus hæmorrhoïdibus largis, diu fluentibus; fluxu menstruo restituto; alvi fluxu. *ib.* 1017. Intestinorum inflammatio solvitur dysenteria blanda subcruenta biliosa. *ib.* 963. In aphthis diarrhoea quandoque confert, saliva autem sanguinolenta, talisque dysenteria, mala; *ib.* 988. Diarrhoea larga & diuturna sanat paralysin; *ib.* 1064. Levis diarrhoea circa criticos dies sæpe sanat petechiales & purpuratas febres. *Hoffm. Opusc. T.* 1. *p.* 155. Lippitudine laborantem, alvi profluvio corripi, bonum. *Hipp.* 6 *aph.* 17. Ex capitis dolore liberat interdum alvi fluxus. *Coac. sect.* 2. *n.* 29. Ast perniciosæ sunt diarrhoeæ in morbis pectoris, suntque etiam infestæ puerperis, & infantibus fe-

bre maligna correptis. *Magliv. p.* 107. conf. *Hipp.* 6 *aph.* 16. & *l.* 1. *de morb. n.* 6. Tabe detento diarrhoea lethalis. 5 *aph.* 14. Ex morbo diuturno, alvi fluor, malum. 8 *aph.* 5. In gravibus malis & biliosis exacte candicantes, spumantes, & circumbiliosæ egestiones, malo sunt. *lib.* 1. *Prædict. n.* 7. In ardente febre laborantibus, cum aliqua summi corporis perfrictione, egestionibus aquæ similibus & crebris, oculis periculum intenditur. *Coac. sect.* 1. *n.* 184. Longo alvi profluvio detento, spontanea accedens *vomitio*, alvi profluvium solvit. 6 *aph.* 15. *l.* 1. *de morb. n.* 6. Quibus perfectum fuerit cerebrum, iis febrem, & bilis vomitionem succedere necesse est. 6 *aph.* 50. Fluxione ex capite manante, vomitus confert. *de loc. in hom. n.* 47. Vomitus virulenti & æruginosi in capitis doloribus cum surditate & insomnia, promtam insaniam significant. *Coac. sect.* 2. *n.* 20. *Prædict. l.* 1. *n.* 2. In febribus acutis vomitiones variæ malo sunt, præsertim si continentes & assidue prodeant. *ibid. n.* 7. *Sanguis* per nares effluens, capite dolenti, morbum tollit. 6 *aph.* 10: solvit etiam febrem ardentem. *lib. de judicat. n.* 11; & allevat inferiorum partium dolorem. *l.* 2. *Epidem sect.* 5. *n.* 9. Hæmorrhoïdes succedentes melancholicis affectibus, & renum vitiis, bono sunt. 6 *aph.* 11. Utiles quoque sunt in syderatis. *Coac. sect.* 3. *n.* 318. Sanguinis ex naribus fluxus, in quartanis, malum est. 8 *aph.* 3: item in febre ardente quarto die obveniens, nisi aliud quidpiam bene ceciderit. *Coac. sect.* 1. *n.* 186. Sanguinis ex parte adversa profluvium malum est, velut si in lienis tumore ex dextra nare effluat. *ibid. sect.* 3. *n.* 30. Diuturnis in morbis parvæ apparentes

rentes ſanguinis ex naribus fluxiones, perniciem oſtentant. *l. c. n.* 59.

Præſentis aphoriſmi corollarium eſt infra 4 *aph.* 2.

APHOR. 3.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν, οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέ τι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. Τουτέων οὖν εἵνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα· μὴ δὲ τὰς ξυμπτώσιας εἰς τὸ ἔσχατον ἄγειν· σφαλερὸν γὰρ· ἀλλ᾽ ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

BEne habita athletarum valetudo ad ſummum progreſſa, ubi ad plenitudinis extremum pervenerit, lubrica eſt, cum non poſſit eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Quandoquidem vero non quieſcit, neque jam poteſt in melius progredi, reliquum eſt ut in deterius labatur. His igitur de cauſis pleniorem illum corporis habitum haud cunctanter ſolvere expedit, quo corpus alterius nutricationis initium ſumat. Neque

que tamen eo deveniendum, ut vasa extreme concidant (periculosum enim) sed qualis fuerit ejus qui sustinere debet natura, eousque progrediendum. Eadem vero ratione evacuationes ad extremum deductæ, periculosæ; contraque refectiones ad summum progressæ, periculosæ.

DE Athletis sermo est, quorum unicum hoc erat vitæ institutum, ut luctando alios vincerent. Quare cibis multis, plurimumque nutrientibus, corporis robur atque molem sibi parare studebant. *Fuchs.* Ait, habitus istiusmodi optimos, i. e. summam repletionem ab optimis & laudabilissimis succis, non posse in eodem statu manere & quietem agere: scilicet posito, quod ita repletus & cæteras actiones recte exercens, bene appetat, cibosque conficiat in ventriculo, chylumque in intestinis elaboret, qui ad humorum massam devehantur: accidere tandem debet, ut nullum adventanti novo alimento suppetat in vasis & meatibus spatium, quo capiantur, cum ex copia jam ante præsente nihil ad nutriendum & augendum corpus apponi possit: quoniam animalia in infinitum extendi & amplificari omnino nequeunt. Nihil itaque superest, nisi ut in deterius abeant. Hoc est, quod vult *Celsus* *l.* 2. *c.* 2. *p.* 48. Si plenior aliquis, & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro, quasi ruina quadam, revolvuntur;

vuntur; & *l.* 1. *c.* 1. *p.* 21. ea corpora, quæ more eorum (athletarum) repleta sunt, celerrime & senescunt, & ægrotant. *Hippocrates* vero in *Epistola* 2 *ad Damog. n.* 209. optimus corporis habitus affectionum periculum denunciat; & *lib. de alim. n.* 8. affectionem athleticam ait non esse a natura, præstare in omnibus habitum salubrem. Galenus *lib. ad Thrasybulum*, Quum, inquit, athletarum gymnastica intemperiem, excessumque moliatur, multam ac solidam carnem procreans, sanguinisque copiam quam tenacissimi adaugens, haud difficile inventu fuerit, artem hanc omnibus naturalibus animalibusque actionibus prorsus inutilem esse (crassus enim venter subtilem mentem non parit) atque obnoxiam periculis. Quare athletarum nonnulli repente obmutuerunt: alii sensum motumque amiserunt, ac penitus attoniti facti sunt mole illa præter naturam, ac multitudine, insitum extinguente calorem, liberumque spiritui transitum intercludente. Quicunque autem ex ipsis mitiora mala patiuntur, rupto vase sanguinem vomunt, aut expuunt. H. J. Sanguis, ait Actuarius *Spir. anim. l.* 2. *c.* 3. siquidem multitudine nocumentum inferat, torpidos & somniculosos facit, cibumque & potum aversantes, & qui sudorem aliquando præter rationem emittant: atque libenter hi cibos admittunt alimenti pauci. Quibus sane sanguinem detrahere præstiterit, quo rursus nutriri corpus incipiat, quando nimietas omnis naturæ inimicetur. Quod si in corruptelam is abierit, aut computruerit, ob calorem aliquem extraneum, vel succi pravi alimenta, siquidem modice id patiatur, mediocres quoque reddit inæqualita-

tes

tes quasdam. Quam plane ob rem, quod pravi ineſt evacuare oportet, alimentisque vires reſumere ſucco bono præditis: ſin in aliam degeneraverit ſpeciem, qualitatemque propriam exceſſerit, affectus illos creat, quibus humorum ex ſanguine immutatorum redundantia correpti affici ſolent. Egregie rem exponit P. A. Michelottus, quando in h. m. ſcribit: „ Pone hominem aliquem in ingluviem pronum, athletam puta edacem admodum, aut bibacem ſanguine vel optimo ſummopere abundare: profecto extraordinaria ſanguineæ materiæ copia redundante, cruoris etiam conſueta celeritate à corde emiſſi in continentia vaſa, & in aortam arteriam præcipue vi emittenti, percutientive quam propinquam, momentum erit quam maximum ob maximum ſanguinearum particularum in intimas ipſorum vaſorum ſuperficies incidentium numerum: quapropter ejuſmodi exundantis ſanguinei fluidi impetus, illorum tunicis valide alioqui juxta ſtatutas naturæ leges reſiſtentibus, retroque agentibus maximopere, ad ultimum nempe diſtractionis gradum, & amplius diſtendendis opportuniſſimus in noſtro dato homine erit. Verum hic libenter animadverto; aneuriſmata præſertim legitima in robuſtioribus arteriæ magnæ truncis non adeo frequenter a ſola plethora fortaſſe procreari: propterea quod ſanguis in extremas tum capillares arterias parum reſiſtentes, in cerebro, exempli gratia, naribus, faucibus, pulmonibus, ventriculo, ano, utero, aliisque corporis partibus maximo momento incurrens, eas vehementiſſime urgendo

„ extrorſum, aperit, aut lacerat, apople-
„ xiam, cruoris in quibuſdam ex nare altera,
„ in aliis ex utraque profuſiones, hæmopty-
„ ſin, aut alia quæcunque ſanguinis profluvia
„ progignendo. Hanc facile ob cauſam non-
„ nullis ſanguinis ductibus per cerebrum dis-
„ currentibus diruptis, cruoriſque notabili
„ portione in cerebri ventriculos (quod ex
„ cadaveris diſſectione a clariſſ. Petro Dio-
„ nyſio patrata compertum eſt) effuſa Celſis-
„ ſimus Aurelianenſium olim Dux, Ludovici
„ XIV. Magni Galliarum Regis frater, noctu
„ ſub finem ſumtuoſiſſimæ coenæ forti apo-
„ plexia tactus illa ipſa nocte deceſſit. *Vid.*
„ *Com. Bon. p.* 425. Affectus, quibus Athletæ corripi ſolebant, erant Apoplexiæ, Syncopes cardiacæ, Catarrhi ſuffocativi, vaſorum ſanguinis in pectore ruptiones, ac frequentes repentini interitus. Horum affectuum cauſa potiſſima erat, ſumma humorum plenitudo, ac vaſorum diſtentio, ut ſanguinis motus vel inſigniter retardaretur, vel prorſus tolleretur; hinc venarum interceptiones, ſanguinis ſcilicet reſtagnatio, ac fluidorum omnium ſtaſis, ut neceſſe foret ſubitam mortem ſubſequi, quod eo frequentius contingebat, quia ab otio & opiparo victu pro virium robore, ad luctam & palæſtram tranſitum facerent; periculoſius eſt enim ex Hippocratis (*de rat. vict. acut. n.* 24.) oraculo *tranſire ab otio ad negotium, quam a negotio ad otium.* In vehementi quippe exercitatione valde incaleſcit, ac rareſcit maſſa ſanguinea, ut non tam prompte fieri poſſit ſanguinis ab arteriis in venas elutriatio, ſeu non tam cito per venas remeet, veluti meat ac diſcurrit per arterias, multoque minus ubi

adſit

adſit ſumma vaſorum plenitudo. *Ramaz. Oper. p. 616 ſq.* Equidem non determinat Hippocrates in præſenti aphoriſmo, in quo ſitum intelligat illud *in deterius labi.* Videtur tamen, quod potius acutiſſima, quam mediocria voluerit oſtendere, quoniam conſilium tale ſuggerit: *horum igitur cauſa optimum habitum ſolvere confert non cunctanter, ut rurſus refectionis initium ſumat corpus.* Manifeſtum eſt, quod ſuadeat talem curationem, quæ abundantis ſucci quantitatem aliquam ſubtrahat, ut capiendo novo nutrimento locus fiat. Id vero præſtat celerrime quidem ſanguinis per apertam venam detractio, quæ, ubi ſubitanea ope ſuccurri debet, certiſſime juvat: præter illam vero, & ubi res moram patitur, copioſi alimenti, tam in qualitate, quam quantitate, ſubtractio. Atque hoc ultimum non fuiſſe Veteribus incognitum, exinde colligimus, quoniam Galenus alicubi ſcribit, cognitum fuiſſe, quod, ſi athletis carnium ſuillarum loco aliæ, quamvis eodem pondere, in coena præbeantur, imbecilliores ſe reddi ilico ſentiant. *Schulze de Athlet.* §. 99 *ſeq.* Sed dum vitant vitia ſtulti in contraria currunt; quod committi vetat Hippocrates, Medicum monendo, ne charybdin vitans incidat in ſcyllam. *Boni habitus* contrarium vitium eſt partium collapſus aut *concidentia*, illic enim *ſtricti* vitium eſt, hic *laxi*: cavendum ergo medenti conſulit, ne *bonum habitum ſolvere* immoderatius ſatagendo Medicus, partium reſolutionem inducat, laxitatis nempe aut *atoniæ* genus, quod a præcipiti nimis aut copioſiori facta evacuatione obvenit, venæſectionis exemplo, quæ in corporibus plethoricis primo facta *lipothymiam* accerſit, quamvis eadem

venæſectio pluries eodem currente morbo repetita incommodo huic non obnoxia ſit: vaſorum enim collapſus aut *concidentiæ* genus eſt quod inducit venæſectio prima ſub *plethorico* habitu (qui ad *athleticum* accedit) inſtituta, ſub illo enim corporis ſtatu inanita celerius majora vaſa, & prius quam in hæc decapulandi tempus minimis factum fuerit, intra majora a tardante capillarium refluxu, momentanea *ecclypſis* circulationi ſanguinis fit, unde *lipothymiæ* ſenſus. A ſimili minimorum vaſorum, ubi *boni habitus* ſedes eſt, *concidentia* metuendum Medico admonet Hippocrates, ne immoderatius vel evacuantibus, vel parciori diæta exinanita nimium minima vaſa *tono* cadant, hocque diſcrimen incurrant, quod a *tenuiori* majus, quam a paulo *pleniori victu*, juxta 1 *aph.* 5. Interea naturam cujusque hic explorari jubet; ut nempe ſuus cuique & naturalis redeat aut ſervetur habitus. Erit itaque Medicus pinguedinis incurioſus in eo, qui natura ſua gracilis eſt, corpulentiæ reſtituendæ in alio curax, qui corpulentus natus eſt; gracilitatem denique in omni temnens, qui gracilis vixit; verbo, *qualis fuerit natura illius qui perferet*, ſeu qui curabitur, *eouſque ducendæ conſidentiæ.* Sive itaque ſit *ſubtrahendum aut evacuandum*, ſive *adjiciendum aut reficiendum*, a rerum extremo utrinque abſtinendum eſt, ſic tractando evacuationes, ſic refectiones temperando, ut hinc illinc ad ſuum partes *tonum* regrediantur aut modulum. Medicina enim eſt ſubſtractio eorum, quæ exuperant, & additio eorum, quæ deficiunt, ſecundum *Hipp. lib. de flat. n.* 3. *Hecquet.* Equidem morbos ex repletione, ut curat evacuatio, ſic eos, qui ex evacuatione fiunt, re-

pletio,

pletio, 2 *aph.* 22: sed confertim & repente vacuare, vel implere, periculosum, siquidem quod nimium naturæ inimicum; verum quod paulatim fit, securum est. 2 *aph.* 51. Enimvero eorum, quæ circa naturam atque habitum nostrum contingunt, maximæ mutationes, morbos potissimum pariunt. *de vict. acut. n.* 17. De curatione præservatoria, ubi nimia existit humorum abundantia, quæstio est. Ad evitandam in hujusmodi corporibus æquilibrii destructionem & inde nascendos morbos, solam evacuationem sine cunctatione faciendam præcipit aphorismus, & merito: præstantius enim est quantitatem detrahere, quam morbos ex destructo æquilibrio expectare. Sed intelligenda videtur quæcunque evacuatio, ut in præcedenti aphorismo: nam per vomitoria & purgantia quoque valemus minuere abundantiam. Qui enim frequenti vomitu, aut alvo turbata laborant, tandem pallent; quibus constat, has evacuationes etiam posse minuere sanguinis rubri quantitatem. Id autem mali est in hac medendi methodo, quod homines tunc nimis assuescant huic artificiali evacuationi: quam tamen consuetudinem potuissemus evitare parciori diæta & laboribus durioribus, quibus vel minus suppeditatur, vel magis consumitur, ut non sit necesse corpus artificiali evacuatione lacessere. Ratio, cur debeat fieri evacuatio in perfecta sanitate, (quod nempe bonus habitus ad summum progressus in eodem statu permanere non possit, quia natura semper aliquid moliatur, quare, si actio hæc nihil boni præstare possit, malum facit) vera esset ratio, si per motum vitalem, qui hic vocatur natura, duntaxat fieret con-

fectio in melius. At oblitus fuit, vel nescivit Hippocrates, eodem illo motu humores quoque bonos corrumpi, & partes firmas deteri, quare natura, etiamsi corpus ad summam perfectionem deduxerit, semper tamen habeat aliquid elaborandum: nempe ut id alienatum concoquat & expellat; & ut nova ingesta assimilet bonis humoribus, Nulla ergo est ratio, cur corpus a perfecta sanitate sit deflectendum, sed præstat eanden conservare sanitatem. Qui vero genio nimis indulgent & pancreatice vivunt, corpora sua nimia alimentorum copia saginant, & tamen parum exercent, ut illa abundantia motu corporis consumatur, quemadmodum athletæ: his expedit aliquando detrahere sanguinem, ut conservetur sanitas, quia humorum bonorum abundantia laborant. Sed inde non potest in omnibus sanis generalis deduci regula: nam qui parcius vivunt, & suum corpus magis exercent, non egent evacuatione hac, & manent sani, ita multi temperate viventes ad summam senectutem sani manent, sine ulla evacuatione præternaturali. Hæc ergo cautio ad sanitatem conservandam referenda est ad istos, qui sua corpora saginant, sed non est propterea generalis regula. *Gorter*. Conf. *Chr. Mich. Adolphi Diss. de solvendo bono corporis habitu secundum Hippocratem aphor.* 3. *lib.* 1. & *A. C. Celsum lib.* 2. *cap.* 2. *Lips.* 1741. 4to.

APHOR. 4.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακρῇσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, ὅ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

TEnuis, & exacta victus ratio, cum in morbis longis semper, tum in acutis, ubi non convenit, parum tuta est. Ac rursus victus, qui ad summam pervenit tenuitatem, gravis, siquidem ad extremum perductæ plenitudines graves sunt.

AGit de victu ægrotantium, quoad quantitatem spectato, statuitque peccari cum in nimia paucitate illum concedendo, tum in nimia quantitate porrigendo, Quantitatem definiri debere non juxta pondus seu mensuram, sed pro facultatibus, quibus quivis præditus est cibus, nutrientibus seu alimentariis pluribus, paucioribus; suadet in conclusione reperiunda vox πλήρωσις, quæ significat *repletionem*. Primum veterum Medicorum in morbis remedium erat diæta seu præscriptio victus; observaverant enim, quod sæpe sine medicina profuerit, medicinam vero sine victus regimine nihil profecisse. Erat autem priscis

temporibus familiaris diætæ genus, quæ *exquisita* dicebatur, i. e. *accurata*, quæ in eduliis parum nutrientibus consistebat, fermeque *ptisanæ succo.* Altera diætæ species erat *extremæ tenuitatis*, sub qua *melicratum* forte indulgebatur; quod autem frequentius erat, in inedia tota ponebatur. Utramque diætam damnat præsens aphorismus, ut periculosam semper in morbis longis, imo etiam in acutis nonnunquam, *ubi non convenit*: nam in hisce curandis convenire victum tenuem videmus in sequente *aph.* 7. *Hecquet.* Regula manet generalis, ne exquisita victus ratio diu præscribatur; juxta *Hippocr. Præcept. n.* 11. Sed *repletiones* etiam *ad extremum perductæ graves sunt*, & pericula portendunt ad præced. *aph.* 3. annotata.

APHOR. 5.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες· διὸ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον ἐν τῇσι λεπτῇσι, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. Διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν μικρὸν ἁδροτέρων.

IN tenui victus ratione delinquunt ægri; ob quod magis læduntur. Quodcunque enim peccatum, in tenui, quam

quam in paulo pleniore victus ratione, gravius esse solet. Idcirco etiam sanis parum tuta est tenuis, & certo praescripta, ac accurata victus ratio, parum tuta est, quoniam errata gravius ferunt. Eam igitur ob causam tenuis, & accuratus victus paulo pleniore maxima ex parte periculosior est.

HIC non modo aegros, sed & sanos a tenui victu laedi asseritur; & secundo loco, utrisque magis periculosam esse diaetam tenuem, quam paulo pleniorem. Vult itaque auctor: Si errandum fuerit ab optimo victu, tamen deterius esse, tenuiorem quam pleniorem instituere. Non nisi tamen generatim tum hic tum praecedens aphorismus, plenum cum tenui victum confert. Nam quibus in morbis, quibusque morbi temporibus, altera alteri cibandi ratio magis conveniat, postea *aph.* 6 & *sequ.* explicatur. *Vallef.* Duae hic quaestiones enodandae veniunt; 1. Quis plenus, qui tenuis dicitur victus? 2. In quo sita est laesio a peccato in alterutriusque victus ratione? Quid per tenuem sive exquisitum victum intelligatur, videre est ad praeced. *aph.* 4. Plenus victus dicitur, qui civilibus, hominibus sanis debetur, quique moderato utuntur exercitio, & fit per avium carnes, vinum tenue, & panem: paulo plenior mediocri, qui fit per chondrum, panem lotum, ptisanam quoque, sed cum jure carnium coctam, & conducit in mitibus morbis: mediocris, qui convenit in acutis morbis, & fit per ptisanam: ple-

nissimus, qui sanis & exercitatis debetur, & fit per carnes suillas, & ova cum pane & vino. *Cardan. p.* 24. Nimirum victus plenior non solet ita ex copia æstimari, sed ex natura assumtorum; diluta enim, etiamsi sint copiosiora, non faciunt victum pleniorem, cum in minori copia alimentorum difficilioris digestionis sæpe plus nutrimenti habeatur. Si itaque plus alimentosi assumitur habito respectu virium corporis, quam corpus istud possit mutare in suos humores, plenior est victus. Tenuis autem seu strictissima diæta tunc statuitur, si minor alimenti copia suppeditatur, quam potuisset viribus corporis in proposito casu præparari, non respicimus hic ad quantitatem ingestam, sed ad comparationem virium corporis, & consumtionem corporis nostri. Ita homo se multum exercens tenui victu fatigatur, si non ingerit plus quam alius ociosus: ita robustus tenui victu utitur, si iisdem alimentis & eadem copia utitur, ut homo debilior. *Gorter.* Sed non una omnium & communis est natura. Quare qui huic plenus potest dici victus, alteri forte obtinebit tenuis rationem; & contra. Quibusdam, inquit Hippocrates, semel tantum cibum sumere confert, idque, quod conferat, sibi constituerunt. Quidam etiam prandere ob eandem causam, quod iis conferat, coguntur. Si pransi fuerint, quibus prandere non conducit, ii continuo graves totoque corpore & mente segnes evadunt; cum oscitatione, somnolentia, multaque siti. Quod si insuper etiam coenaverint, & flatus & tormina excitantur, & venter erumpit. Ac multis magni morbi origo fuit, si cibos, quos semel absumere consueverant,

rant, bis assumsissent, nec quicquam amplius. Ad hæc si quis prandere consuetus, atque cui prandere conducat, non prandeat, protinus ubi tempus præteriit, statim gravis impotentia exoritur, tremor, & animi defectio, ad hæc oculi pallidiores fiunt, urina crassa & calida redditur, os amarulentum evadit, viscera ei pendere videntur, tenebricosa vertigine corripitur, vehementer irascitur & moeret. Ista vero omnia coenare volenti contingunt, neque cibos, quos priore coena assumsit, qui prandere consuevit, conficere potest, sed cum torminibus & strepitu descendunt, & alvum concludunt, ipsi vero noctem inquietam agunt, & insomniis perturbatis ac tumultuosis vexantur, quod plerisque etiam morbi initium extitit. *de Vet. Med. n.* 18. 19. Sustentatio virium est optima mensura; nec vero consuetudo temere negligenda est: eo quod, quæ ex longo temporis intervallo assueta sunt, quamvis deteriora, insuetis minus molesta esse solent. 2 *aph.* 50. Illa cibi quantitas est unicuique salubris, quæ sine molestia potest a virtute concoctrice vinci: vincitur, si, quantum ingeratur, tantum absumatur; hæc enim ex ponderatione dignoscentur. Illa cibi copia est ingerenda, quam natura potest coquere, digerere, & perspirare. *Sanct. Stat. Med.* 3 *aph.* 38. 39. A copia alimenti nimia, propter quam recte audit nutrix intemperantia medicorum, ventriculus nimis repletus, extensus, non potest se contrahere, adeoque non digerere ingesta, & quo plus impletur, eo minus evacuatur, sed constringitur; & ab hac distensione ejus arteriæ comprimuntur; unde sæpe inflammatio, vomitus, ac lienteria, post commessationes,

tiones, a compressis vero arteriis coeliacis, aorta, mesentericis, circuitus humorum factus perversus sanguine inferiores corporis partes orbat, vasa autem ad superiores partes nimium replet; unde isthinc pendentes oriri solent morbi, dyspnoea, vertigo, apoplexia, ut taceam mala, plethoram habentia matrem, generata ab abundante nimium in corpore nutritia materia, ab ingestis multis cibis suppeditata & aucta hinc sanguinis quantitate. conf. notata ad 1 *aph.* 3. Præterea vero in pleniore victu, id, quod a viribus vitæ non subigitur, vel ita manet, ut assumebatur, quando vocatur *crudum*: si vero assumta diutius retenta in loco calido & humido, quemadmodum fit in nostro corpore, per spontaneum motum, sive sit fermentationis sive putrefactionis, commutantur in alienam indolem: humor tali modo natus vocatur in primis viis *cacochylia*, & per totum corpus dispersus *cacochymia*. Qui liquor natus varios morbos inducit. Sed si æger deinceps se abstineat a tali copiosiore ingestione, non suppeditatur materia, ex qua cacochylia vel cacochymia formari potest: itaque pergente motu vitali id alienum sensim subigitur & expellitur, quoniam non habet scaturiginem: unde per diætam solam valemus morbos, ex pleniore victu natos, curare: ita recte præcipitur, per abstinentiam multos morbos curari, illos nempe, qui ex pleniore victu orti fuere. Vice versa, si minus suppeditatur quam deteritur & corrumpitur actione vitæ, necesse est, ut tale corpus laboret defectu, qui quoque simul inducit debilitatem: & quia non suppeditatur novum, id quod corruptum & detritum est, omne non evacuatur,

tur, sed portio relicta bonis mista, etiam generat cacochymiam. Si tunc ille homo pleniore victu utitur, ea quæ ingesta sunt, ob vires debilitatas non convertuntur in bonum succum, sed tunc sæpe laborat duplici genere cacochymiæ, nempe ex humoribus propriis inutilibus factis, & ex crudis vel sponte alienatis alimentis. Id quoque incommodi accedit, quod, quæ a bona sua indole per nimiam actionem degenerarunt, deinceps nequeunt in bonum succum converti, sed fiunt actione vitali sensim deteriora, ut semper debeant evacuari: interim succurrere non possumus substituendo bonum succum, quia ingesta non præbent bonum succum, nisi præcesserit concoctio virium vitæ, quæ cum nimis debiles sint, potius ex assumtis suppeditatur crudum vel corruptum, quam bonus humor. Inde toties reconvalescentes ex morbo, ex pleniore victu, in cacochymiam & cachexiam incidunt, & nisi ægri vires restaurentur, & mediocrem victum servent, diu manent valetudinarii. *Gorter.* Læsio a valde tenui & exquisito victu in labefactatione facultatum naturalium, virium defectu, & in partium præpostero collapsu ab inanitione, consistit. Sed dejectum partium tonum & elaterem erigere aut restituere difficilius est, quam repleta a paulo pleniore victu deplere per evacuantia. *Hecquet.* Imbecilles cibi brevem vitam præstant. *Hippocr.* 6. *Epidem. sect.* 5. *n.* 37. Igitur accurate victus rationem determinantes, tantum abest, ut ideo sani sint magis, ut magis sæpenumero valetudinarii, & erroribus aliis facile lædendi. *Wedel.* Si natura posset digerere centum libras edulii, & exporrigerentur nonaginta novem,

vem,

vem, animal propterea curſu temporis deſtrueretur. Ob rigidam inediam caput repletur, pulſant tempora, tenduntur hypochondria, brachiorum & crurum laſſitudo fit. Exinanitio a cibi pauxillo major, quam a pharmaco, quod movet quidem ſenſibilem, ſed inſenſibilem evacuationem divertit. *Sanct. l. c. aph.* 40. 85. 86. A deficiente nimium cibi quantitate, vires corporis evadunt debilitatæ pro rata, ut vis vitæ eſt valida, diſſipatio humorum magna, ac ut defectus alimenti diutius protrahitur. Etenim ubi ſanguis novo chylo, de alimentis parato, amplius non reficitur, carens blando, demulcente, humore, actionibus vitæ interea perennantibus, ſolidæ corporis partes deteruntur, deſtruuntur, conſumuntur, humores evadunt acriores, rodentes, putrefacti; unde anima foetens, ructus, nauſea, animi deliquia; ingens & atrox appetitus, & mox idem integre proſtratus; poſtea immanis ſitis, ſiccitas, debilitas, cum torminibus & borborygmis; vomitus bilioſi cum inſigni macie, & pervigiliis; tandemque epilepſiæ, febres furioſæ, mors. Docent hæc canes ad catenas magnam perpeſſi famem. Regula optima eſt, ut ſanis victus præſcribatur pro labore, concedendo plus exercentibus corpus ſuum, quam ocioſis; labores enim ea, quæ inſunt, conſumere ſolent, cibi autem ea, quæ evacuata ſunt, explent. Conf. *Hippocr. l.* 2. *de diæta n.* 1. 2. & *Nard. noct. gen. p.* 344 *ſq.*

APHOR.

APHOR. 6.

Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισαι.

AD fummos morbos, fummæ ad unguem curationes adhibitæ, optime valent.

VIdetur hic aphorifmus præcedentis limitatio effe, docens, ubi *morbi fummi*, & *acutiffimi exacte*, remedium quodvis etiam cum periculo tentandum, quam ægrotum in defperatione deftituere. *Vallef.* Nam etiamfi (ut in præcedenti aphorifmo adnotatum eft ab Hippocrate) victus tenuis, & exquifitus magis periculofus eft, eo, qui paulo plenior eft; non tamen in morbis extreme acutis fecuritatis gratia ad paulo pleniorem accedendum eft. Quia, ut fubjungit modo, fummis, & acutiffimis morbis curationes exacte in fummo conveniunt. Unde & victus ratio, quæ eft pars curationum, imo potiffima, & tenuiffima, & exactiffima in iis fervanda eft. *Martian. p.* 426. Neque poteft vehementi malo, nifi æque vehemens auxilium fuccurrere. *Celf. l.* 2. *c.* 11. *p.* 84. Gravioribus morbis, ait *Cicero*, Medici periculofas curationes & ancipiteis adhibere coguntur, *l.* 1. *de offic. cap.* 24. Itaque cibi abftinentia præfcribenda veniet in illis morbis, quorum hiftoria brevis eft futura, ut fi tertio vel quarto die, robufto ægro, fit finienda. *Heurn.* Latiori in fenfu accipit aphorifmum

Wedelius,

Wedelius, intelligens per fummos feu extremos morbos, tum gravius a ftatu naturali recedentes, tum urgentes, utrofque periculofos, defperatis proximos, mortem illaturos, quibus opponenda funt remedia heroïca, aft maxima cum ἀκριβείᾳ, ut profit remedium, non noceat. Præftat vero prius omnia tentare quam ad extrema devenire; præftat abftinere, tum ab aliis, tum extremis inprimis remediis, quam nocere. Inter remedia extrema feu heroïca numerat ferrum, ignem, opiata, mercurialia, &c. Conf. *Paulli Quadr. p.* 511.

Aphor. 7.

Ὅκου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νούσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾷν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Cum ergo morbus eft peracutus, extremos protinus obtinet labores, & extreme tenuiffima victus ratione neceffario utendum. Cum vero non eft, fed pleniorem victum adhibere conceffum eft, tam a tenui victu fe fubducere oportet, quam morbus ab extremis recefferit.

Cum præcedente aphorifmo connectitur præfens, confirmans affertum ibi, quod nempe

pe in peracuto morbo (qui *protinus*, i. e. primis tribus aut quatuor diebus, *habet summos labores*, h. e. symptomata maxima & urgentissima) conveniat *victus extreme tenuis*, h. e. ut aut nihil detur, aut tenuissimus cibus. *Vallef.* Ne tamen Medicus obstinate inhæreat tenuitati victus, ut in illa ægro pergendum sit indiscriminatim in omni acuto morbo, aut toto peracuti decursu, edocet auctor, licere *pleniorem victum adhibere* statim atque transactis *extremis laboribus*, qui *peracutum* morbum testantur, remittere incipiet, ita ut *tantum a tenui victu recedi possit*, *quantum morbus remissior ab extremis fuerit*. Quam ob rem in peracutis tenuissimo uti oportet victu? Luctatur vis vitæ cum morbo per spasticas solidarum partium contractiones, oscillationumque furores & impetus, qui a stasibus hic illic in visceribus factis, humorum circulationi obicem ponentibus, excitantur seu provocantur, ceu urgentia Naturæ conamina seu *extremi* illi *labores*. Si jam fervente hoc certamine, sub quo definienda vis vitæ pendet, novis, cibando ægrum, opples vasa succis, pro morbo militas, causas illius multiplicando & vires; contrà tenuissimo utens victu demis morbo: pabulo enim depauperatæ partes necessario flaccescunt, unde tractabiles factæ partium fibræ, diametrique vasorum redditi capaciores oscillant expeditius, hærentesque aut stagnantes succos subigendo, coctiones, solutiones aut crises accelerant. Defervente autem hac pugna, quod vincentis naturæ signaculum est, suus cibatui redit locus, quia suus naturæ restituitur calor aut tritus. *Hecquet.* In acutis morbis serius æger alendus est, nec nisi jam inclinatis; ut inedia, dempta materia, impetum

frangat. *Celf. l.* 3. *c.* 2. *p.* 174. Ubi desinunt febres, aut levantur, semper quidem incipiendum est ab aliquo ex materia levissima, adjiciendum vero aliquid ex media, ratione habita subinde & virium hominis, & morbi. *ibid. c.* 6. *p.* 131. In quam acutissimis ægritudinibus & principiis universi morbi, ægrum citra cibum potumque prorsus continere studemus: illic, ne naturam, utpote a maximis affectibus oppugnatam, duobus vacare permittamus, & hic, quia ab antea ingesto cibo etiamnum repletum ægrum denuo alio onerare, inutile judicamus: quod non genus cibi, sed privatio potius jure vocari possit. Prima porro cibi oblatio dicetur, si quis modicum aquæ, cui sacchari quippiam admixtum fuerit, propinabit; eo namque loco antiquorum mulsæ utimur, quod non ita, ut hæc, conspicuo calefaciat. Post id tenuis cibus nuncupabitur, amygdalarum expressarum succus, & ptissanæ cremor, & si quis malo punico, aut cotoneo, vel appio commanducato, succum tantum deglutierit. Inde sequuntur integri fructus æstivi devorati, & hordeum decorticatum atque accurate excoctum, & ex oleribus portulaca & atriplex, & si quod evidenter non excalfacit, ac ciceris cocti cremor. His vero plenior cibus est, panis purus, & pisces saxatiles, atque ex iis magis qui duriori sunt carne. Post hos collocant pulli gallinacei & agni extrema. Cæteri cibi validi jam sunt, atque exquisite sanis præcipue accommodati. *Actuar. meth med. l.* 3. *c.* 17. Quo acutus morbus magis accedit ad acutissimorum genus, eo parciori diæta opus est; quo vero ad diuturniores accedit, eo meraciori & copiosiori victu utendum, ne vires cadant defectu

fectu alimenti. Nam in morbis acutis, qui prope accedunt ad acutissimorum genus, tantus defectus ex parciori victu non est expectandus, quam in iis, qui ad longissimum genus accedunt: & in his minor est vehementia symptomatum, quæ victum largiorem vetarent, quam in illis: quare, quo acutior est morbus, eo parcior debet esse victus; & vicissim, quo morbus est longior, eo largior victus est concedendus. *Gorter*. Qui morbi dicantur acuti, acutissimi, & longi alii, exponitur ad 2 *aph.* 23.

APHOR. 8.

Ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

CUM morbi summa est vehementia; tum vel tenuissimo victu uti necesse est.

REpetitio est fere ejusdem, quod modo dictum fuit. Nam viget morbus cum intenditur: hocque ipso tempore, quo maxime fervet naturæ dimicantis atque se tuentis conamen; dum in humoris alicujus molem vasorum diametris majorem insurgendo systaltica vi illam eluctari contendit, ne cumulata succis hærentibus vasa penitus obstruantur, destruantur, motuique humorum circulatorio, perennandæque adeo vitæ, inepta reddantur.

Quia in eo maxime temporis puncto in inflammatione consistunt morbi; edulia tunc præbere, igni esset addere flammas aut fomites suppeditare. *Hecquet.* Cum morbi vigent, & in inflammatione consistunt, cibum offerre non fas est, neque repente quicquam, in hanc vel illam partem, in toto negotio immutare. *Hippocr. de vict. acut. n.* 17. Ἀκμάζει τὸ νόσημα, *morbus est in vigore*, dicitur, quando morbus est in eo temporis puncto, quod vocatur *status*. Sciendum enim est, quod numerentur in morbis tempora potissimum quatuor: 1. *Principium*, ἀρχὴ, quando sanitas labefactari sentitur & morbus incipit, qui animadvertitur per aliqua symptomata: 2. *Augmentum* sive *incrementum*, item *Progressus*, & *Adscensus*, αὔξησις, ἐπίδοσις, ἀνάβασις, ἐπακμὴ, quando morbus magis magisque ingravescit, se per symptomata exerens aut vehementiora, aut frequentiora: 3. *Status* morbi vel *vigor* & summa vehementia, item fastigium, ἀκμὴ, ubi morbus per aliquod tempus, augmento facto, manet, estque maximus; post quod tempus vel moritur æger vehementia morbi victus, vel morbus declinare incipit: 4. *Declinatio* seu *decrementum*, παρακμὴ, κατάβασις, comprehendit omne illud tempus, quod est ab ἀκμῇ ad imminutionem seu ad finem morbi; cujus nempe vehementia se remittit, omniaque symptomata mitescunt, usque dum vita existat maxima, morbus minimus. Quæ hic docet aphorismus de vigore morbi acuti continui, optimo jure ad paroxysmos quoque referri possunt, cum in febribus intermittentibus singuli paroxysmi tanquam integri morbi acuti haberi possint. Caute propterea

pterea evitant Practici in vigore paroxysmi largius nutrire, sed eligunt apyrexiam, ut nutriant, quando corpus minus vexatur vehementia morbi. *Gorter.*

Aphor. 9.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει, καὶ ἀμβλυνεῖται.

At conjectura etiam ex ægro facienda, an cum eo victu satis esse possit ad morbi vigorem usque, an non prius ille deficiat, neque cum tali victu satis esse possit, vel prior morbus deficiat, & obtundatur.

Continuatio est doctrinæ prioris versantis circa ægrotantium victum. Dictum est qualis diæta conveniat vigente morbo. Quæritur, quid factu opus sit in morbi incremento, antequam sit in ἀκμῇ seu in summo? Docet hic jam aphorismus, quod *lib. de vict. acut. n.* 19. traditum est his verbis: *In singulis & robur, & morbi genus conjectandum est, tum etiam hominis natura, tum ægri victus consuetudo, neque in cibis solum, verum etiam in potionibus. Ad ciborum autem adjectionem multo minus attendendum est. Nam & subtrahere omnino sæpenumero expedit, dum*

ægro sufficere posse videatur, donec morbi vigor ad maturitatem perducatur. Enimvero, ut recte præcipit etiam *Celsus l.* 3. *c.* 4. *p.* 120. unum illud, & semper, & ubique servandum est, ut ægri vires subinde assidens Medicus inspiciat, & quam diu supererunt, abstinentia pugnet; si imbecillitatem vereri coeperit, cibo subveniat. Id enim ejus officium est, ut ægrum neque supervacanea materia oneret, neque imbecilliorem fame perdat. Pertinet huc Ejusdem illud præceptum: Adeo nihil perpetuum est, sed semper pro vi corporis æstimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium possit; tenuem scilicet, & exiguum, qui tantum sustineat. *l.* 5. *c.* 26. *n.* 25. Apponendi vero ægro varii cibi tum demum sunt, ubi fastidio urgetur, neque satis vires sufficiunt; ut, paulum ex singulis degustando, famem vitet. At si neque vis, neque cupiditas deest, nulla varietate solicitandus æger est; ne plus assumat, quam concoquat. *l.* 3. *c.* 6. *p.* 131. Medici ergo sapientiæ erit, ut modo humens, modo siccus sit victus, plenus vel parcus, iners aut actuosus, verbo, plus minus valens, quippe cujus opera *deficiet prius morbus* quam morbo *non sufficiat æger. Hecquet.* Abstinentia & victus tenuis morbis curandis commoda, modo vires & cætera consentiant. *Wedel.* Enimvero instante morbi ἀκμῇ, ægri vires maxime laborare debent ad morbi causam subigendam: si autem tunc diminutæ illæ fuerint ex defectu, vel oppressæ ex majori copia assumtorum, periculum erit, ne vincat materia morbi, & pereat vel succumbat æger. Ut medicus itaque cognoscat, quanta alimenti quantitas sit danda, hoc sola conjectura assequi potest: nam

quo

quo acutior eſt morbus, eo parcius nutriendum, &c. Vid. ſupra *aph.* 7. Debet itaque in morbi incremento victum determinare ex ſignis morbi acutioris vel longioris futuri. Quia vero hoc judicium deſumitur ex vehementia ſymptomatum, quæ validiora ſunt ſi acutiſſimus futurus eſt morbus, mitiora ſi longior morbus expectatur; hæc quando conſpiciuntur ex cauſa morbi parva, cum ſcil. vis vitæ non multum inſtigatur ad vehementia ſymptomata inferenda, judicaret tunc medicus, ægrum largius nutriendum eſſe, quia vires valentes facile diætam largiorem ferre poſſunt, & quia ἀκμὴ longe diſtat. Sed fiunt etiam ſymptomata mitia ex mala cauſa, ſi nempe vires vitæ a morbi cauſa ſuperantur: quum illæ enim emergere nequeunt, pauca & mitia conſpiciuntur ſymptomata, non quod morbi cauſa ſit parva, ſed quod ſuperentur vires. Hoc prudentiſſimos ſæpe fefellit medicos, non attendentes, num mitia fiant ſymptomata ex bona vel mala cauſa, quare ſæpe ægri moriuntur, extra opinionem Medici. Tale quid fieri, perpetua obſervatione in morbis acutis conſtat, qui abeunt in ſphacelum; præcedentia ſymptomata validiſſima incipiunt fieri mitia, & ita ægri cum ſumma ſpe levaminis, & futuræ ſanationis, ex improviſo moriuntur. Hoc monet Hippocrates, ne decipiamur lenibus his ſymptomatibus, dum *morbus deficit vel obtunditur.* Nam ſi tunc largius nutrimus, magis obruentur vires, quæ forſan obluctatæ fuiſſent. Ut melius intelligatur, quid Hipp. intelligat per mitia ſymptomata, diſcrimen ponendum eſt inter *ſymptomata vehementia*, *maligna* & *benigna.* Non ſi in corpore notabilis obſervatur mutatio

in actionibus, aut actiones admodum auctæ, illæ actiones conspectæ vel observatæ dicuntur symptomata vehementia, non quod signa illa conspecta ex morbi causa proveniant, sed actione vitæ mutata vel aucta; inde in vehementibus symptomatibus non ita veremur interitum ex morbi causa, sed actione vitæ destruente omnia. Symptomata autem maligna tunc fiunt, quando a causa morbi actiones vitæ minuuntur, quare, cum vix ulla fiat actio in corpore, exigua quoque fiunt signa; sed quoniam illa oriuntur ex magnitudine causæ morbi, verendum est, ægrum non sufficere posse; & inde constat, quo sunt mitiora symptomata, eo periculosiora esse; nam declarant eo majorem esse causam. Mitia autem & benigna tunc fiunt, si præcesserunt vehementia symptomata per auctam vim vitæ, quæ nunc, minuta instigante causa, sensim leniora fiunt. *Gorter.*

APHOR. 10.

Ὀκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν· ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

QUibus igitur statim vigor adest, iis protinus victus tenuis exhibendus. Quibus vero postea vigor futurus est, iis sub ipsum vigoris tempus, & paulo ante cibus subtrahendus. Antea vero ube-

uberior cibus exhibendus, quo æger satis esse possit.

EST hic consectarium præcedentium aphorismorum. Uti namque, ubi peracutus est aut vigens morbus, tenuissime alendi sunt ægrotantes, & contra a tenuissimo victu recedere licet in tantum quantum morbus remissior a vigore fuerit, juxta *aph.* 7. 8; ita quando instat vigor seu *ἀκμὴ* morbi, tenuis convenit victus: adeoque morbus, qui statim & ineundo viget, statim hujusmodi diætam exposcit. E contra ubi aliquot tantum *post* diebus *futurus vigor est, uberior victus concedi debet, ut sufficiat æger*, nec de eo *subtrahendum* erit nisi *sub illud tempus* seu *paulo ante* quam vigor ille advenerit. *Hecquet.* Nam & per acutorum morborum exordia, quandoque quidem eodem quo laborare coeperunt die cibos comederunt, quidam etiam postridie, nonnulli quoque quidvis, alii etiam quendam potionis cinnum (cyceona dictum) sorbendo sumserunt. Hæc autem omnia deteriora quidem sunt, quam si quis aliam victus rationem instituat. Multo tamen minus lædunt quæ hoc tempore peccata committuntur, quam si, primis duobus vel tribus diebus, vasa quis omnino exinanierit, mox quarto vel quinto die talem cibum exhibeat. Quin etiam multo deterius, si quis, totis his diebus vasis antea exinanitis, posterioribus deinceps diebus ita victum instituat prius quam morbus maturus evadat. Hac enim ratione plurimis liquido mortem inferet, nisi mitis omnino morbus extiterit. Quæ vero per

initia errata committuntur, his non similiter incurabilia existunt, sed multo facilius sanantur. *Hippocr. vict. acut. n.* 20. Cum vero cibos aut potiones addere vel detrahere coeperis, paulatim & additiones & detractiones faciendæ. Qui sufficientes cibos conficere queunt, iis sorbitiones ne exhibueris, cibum enim prohibent, iis vero qui non possunt, dato. Si quid dare voles virium reficiendarum gratia, alicam & ptisanam triticeam exhibeto. Hæ namque sorbitiones valentiores sunt, post coenam autem exhibendæ. *lib. de affect. n.* 42. Regula est generalis, ex alimentorum defectu vires cadere, & ex abundantia in morbis vires supprimi. Ex hac causa in morbis acutissimis, qui sunt brevis durationis, tenuissimus victus præcipitur, & quandoque perfecta inedia, ita etiam in morbi vigore, quia tunc vis vitæ ad morbi materiam coquendam multum laborat. Quo ergo incrementum morbi propius est ad ἀκμὴν, eo magis de cibo est detrahendum, ne tamen deficiat æger. *Gorter.*

APHOR. II.

Ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή, τὸ προστιθέναι γὰρ βλάβη. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

IN paroxysmis (seu accessionibus) cibum subtrahere oportet, addere enim noxium est. Et quæcunque per circui-

tus

tus ingravescunt, in ipsis accessionibus reformidare oportet.

VOX παροξυσμὸς proprie *exacerbationem*, & irritationem significat, a verbo παροξύνεσθαι, quod ad morbos ipsos transferentes, eos exacerbari dicimus, quando graviores fiunt, & deteriorem accipiunt conditionem. Quoniam vero morbos dupliciter exacerbari, & vehementiores fieri contingit, vel quando ad vigorem tendentes augentur, aut quovis modo ingravescunt, vel quando certis quibusdam periodis exacerbationes habent, & remissiones, unde morborum aliqui singulo die exacerbantur, alii alternis diebus, nonnulli longioribus intervallis, eodemque ordine procedentes ad finem perveniunt: ideo Hippocrates hunc duplicem exacerbationis modum respiciens, in hoc aphorismo docet, subtrahendum esse alimentum, non solum quando morbus priori modo exacerbatur, quod ad tempus universale morbi spectare videtur, sed etiam in secundo modo, quando scilicet per certas periodos exacerbationes habet, & particulare tempus morbi respicit. In priori exacerbationis modo, quia est tempus morbi difficillimum seu vehementius, quod se exserit per symptomata graviora aut copiosiora, & coïncidit cum statu seu vigore, victum *subtrahere oportet*, h. e. victu tenuissimo utendum est, ut patuit in *aph.* 8. Sed vero hic additum est, quod etiam in exacerbationibus seu paroxysmis morborum per periodos seu circuitus redeuntibus subtrahere, imo *reformidare*, & *nihil dare oporteat*, quæ eadem est sententia cum 1 *aph.* 19. Atque hoc modo

modo præsens aphorismus universalem sententiam continebit, quæ illas duas omnino comprehendit, videlicet, ubi morbus in suo vigore consistit, tunc tenuissimo victu utendum est, & alteram, quibus per circuitus paroxysmi fiunt, nihil dare, neque cogere. Cur vero hæc subtractio in paroxysmis facienda sit, causam assignat, *nam addere noxium est*; ratio quidem, quæ primo aspectu ridicula apparet, cum certum sit, quæcunque prohibentur, eadem noxia haberi, verum diligenter considerata aptissima, & ingeniosissima agnoscitur. Circa alimenti enim exhibitionem in morbis triplici modo procedi potest, vel detrahendo aliquid consueti alimenti, vel apponendo quid amplius, vel in eadem diæta persistendo. Cum igitur Hippocrates ab experientia hanc sententiam probare intenderet, effectus evidentiores in medium adducere oportebat; & quia morbo ingravescente in eadem diæta persistere, etiamsi aliquid mali adducat, id tamen non est adeo evidens, quemadmodum illud, quod ex alimenti appositione, & auctione, resultat, ideo Hippocrates evidentiores effectus attendens inquit, quia *in exacerbationibus apponere, noxium esse* apparet, ideo in his subtrahendum est. Quasi dicat, cum videamus, morbo leviter procedente, ex alimenti appositione damnum admodum evidens non succedere, quemadmodum ubi morbus exacerbatus fuerit, signum est, in exacerbationibus alimentum plus lædere, quam in reliquo tempore, ita, ut diversa diæta instituenda sit. Quare si extra exacerbationem in consueto alimento persistimus, in exacerbationibus aliquid detrahendum esse apparet, ita ut vel tenuior

victus

victus præscribatur, si paroxysmi prorogatio omnimodam inediam non permittat, vel ab omni alimento prohibeatur æger, si fieri potest, quousque paroxysmus cessaverit. *Martian.* *p.* 426. *In febre cibus minime offerendus*, præceptum est apud *Hippocr. de loc. in hom. n.* 39. Accessionis tempore limpidam quoque aquam febrium facere incendium, monet *Cæl. Aurelianus l.* 1. *acut. c.* 15. *p.* 54. Quoscunque febres non continenter detinent, sed intermittentes invadunt, his post accessionem cibi exhibendi, conjectura facta ne quando a recenti cibo, sed jam concoctis cibis febris ingruat. *Hippocr. de affect. n.* 52. Etenim, ceu bene monet *Celsus l.* 3. *c.* 5. *p.* 126. perpetuum est, ad quod omne consilium dirigi potest; cibum quam maxime semper ab accessione futura reducere: &, hoc salvo, dare quam integerrimo corpore. Quod non inter duas tantum, sed etiam inter plures accessiones servabitur. H. J.

Περίοδος seu *Circuitus* est quo morbus aliquis ab uno puncto ad idem redit punctum; ut si hodie ab hora prima te invadat febris, & redeat post biduum, vel circa eandem vel aliam horam, vocatur totum illud tempus Periodus. Periodus in duas partes principes, in accessionem & remissionem, dividitur. *Accessio* seu invasio, quæ etiam irritatio & paroxysmus dicitur, in febribus tempus difficillimum totius periodi, continet partes seu tempora quatuor: 1 principium, quod ἀρχὴν & ἐπισημασίαν vocant Græci, cum primum incipit frigere corpus; & hæc pars proprie *accessio* dicitur: 2. inæqualitatis tempus, quando partim friget, ut in exterioribus, partim etiam calet in interioribus:

bus : 3. augmentum, quando totum corpus calet, & præcipue circa pectus: 4. στάσις seu ἀκμὴ, quando est jam in summo vigore & quasi stat. Remissio, ἄνεσις, aliquando habet partem unam, aliquando duas. *Erast.* Notari hic etiam potest, differre periodum a typo, quia periodus tempus circuitus significat, typus autem significat ordinem ipsum, utpote quod sit quotidianus, tertianus, quartanus. *Cardan. p.* 37. Memorata quatuor Periodi tempora, atque Remissionis partes duas, *Celsus l. c. p.* 127. in his verbis expressit: Cum febris *instet*, *incipiat*, *augeatur*, *consistat*, decedat, deinde *in decessione consistat*, aut *finiatur*; scire licet, optimum cibo tempus esse febre finita: deinde, cum decessio ejus consistit: tertium, si necesse est, quandocunque decedit: cætera omnia periculosa esse.

Etenim non perpetuo observari potest præceptum de subtrahendo in paroxysmis cibo; & aphorismus non ita simpliciter accipiendus est, sed distinctio adhibenda. Etsi enim facile concedendum est, ubi febris ortum habet a plenitudine, vel ab obstructione ex humore putrido, vel a phlegmone alicujus visceris, & omnino, ubi nulla urget necessitas, in paroxysmo esse abstinendum, & maxime opportunum nutriendi tempus esse ἀπυρεξίαι in intermittentibus, & remissionem in continuis; tamen nonnunquam in ipso paroxysmo æger cibandus est, si virium lapsus id requirat; cum virium semper maxima sit habenda ratio, ipsisque non salvis, ægro salutem Medicus polliceri non possit. Atque ideo si febris sit ab humore acri & mordaci, accensa a sole, ira, inedia, laboribus; & corporis habitu æger sit gra-

gracilis, temperaturaque, & præsertim æstatis tempore, calidus & siccus: nisi vel paulo ante paroxysmum, vel etiam in paroxysmo cibus exhibeatur, facile in ardentem febrim, vel hecticam, vel syncopen, vel convulsionem, aut simile quid incidet, & de virium jactura periclitabitur. Ad quæ mala evitanda, & vires confirmandas, vel in ipso paroxysmo cibum exhibere necessum. Unde arguitur, aphorismum præsentem absolute positum non esse absolute verum. Vid. *Laur. Exerc. p.* 228 *seq.*

APHOR. 12.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἐπιδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνεται ἀρχομένου, βραχύνει. ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νουσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

MORBI, & anni tempestates, & circuituum collatæ inter se vicissitudines, sive quotidie, sive altero quoque die, sive etiam per majora intervalla fiant, accessiones, & morborum conditiones

tiones indicabunt. Quin etiam & per ea, quæ mox apparent, eadem indicantur, quale quid in morbo laterali laborantibus, ſputum ſi ſtatim circa initia ſubappareat, morbum brevem, ſi vero poſterius videatur, longum futurum denunciat. Urinæ quoque, & alvi excrementa, & ſudores, ubi apparuerint, judicatu faciles, vel difficiles, & breves, vel longos fore morbos indicant.

DEſumtus eſt hic aphoriſmus ex *l.* 2. *Epidem. ſect.* 1. *n.* 24. *ſeq.* ubi hæc leguntur. *Ad dignoſcenda morborum principia, conſiderandum an confeſtim conſiſtendi vigorem habeant. Quod ex incremento manifeſtum fiet. Incrementa autem ex ipſis morborum circuitionibus & ambitibus. Ex quibus judicationes etiam ipſæ cognoſcuntur, atque ex acceſſionum (quæ in circuitionibus fiunt) inter ſe commiſſione, num maturius, aut diutius, aut magis affligant, nec ne. Ex omnibus autem continuis, aut intermittentibus, ant diuturnis, vulneribus & ſputis cum dolore affligentibus, orientium tuberculorum inflammationes, & quæcunque ſucceſſu quodam in morbis apparent, atque adeo ex his quæ vulgo in morbis fiunt: quæ celerius quidem, breviorem: quæ vero tardius, diuturniorem ſolutionem indicant: morbo ipſo plerumque eas, quæ in morborum reverſionibus fiunt, acceſſionum anticipationes atque alia incrementa denegante.*

Vidimus ad præced. *Aph.* 11, ad capiendum cibum, caveri debere paroxyſmum: qui ergo præноſci poſſit, quo tempore ſit futurus paroxyſmus, & quanto tempore duraturus ſit

mor-

morbus, congruum erat hic doceri. *Indicabunt morbi* ipsi: nam morbus quivis eſt natura ſua aut chronicus, aut acutus: atque cuivis morbo eſt ſua propria conſtitutio, quam plerumque habere ſolet. Itaque ſpecies morbi ſignificat conſtitutionem. Exacerbationum naturas aperiet adhuc obſervatio *temporum anni.* Nam iidem morbi temporibus calidioribus breviores fiunt; frigidioribus longiores. *Valleſ.* Ita æſtivæ quartanæ fere breves exiſtunt, autumnales vero longæ, præſertim quæ ad hiemem pertingunt. 2 *aph.* 25. Cujus generis exacerbationes futuræ ſint, intelligitur etiam ex illarum *incrementis mutuo inter ſe collatis*: nam anticipantes exacerbationes ſeu paroxyſmi, oſtendunt ingenium febris, modumque tenuandi victus, monentque Medicum, ne cibandi opportunitatem in longius intervallum differat. Sic ſub *intermittente quotidiana* febre, aliquot horis paroxyſmum anticipare vides? prope in januis eſt *continua*; ſub *tertiana* paroxyſmi anticipant? in procinctu eſt *tertiana duplex*; ſub hac iterum? in *continuam* fiet tranſitus; qui ſub *quartana* quarto die recurrebat paroxyſmus in tertium cadit? hic in ſingulos? ex quartana *quartanam duplicem*, ex hac *triplicem*, ex triplici *continuam* expectabis: quæ omnia aſſequeris *conferendo incrementa*, *quod quotidie*, *quod alternis diebus*, *quod longiore fiant intervallo.* Hoc eſt, quod *Celſus l.* 3. *c.* 4. *p.* 122. inſinuat hisce verbis: *Medicus ipſas acceſſiones intueri debet*; *& ex his conjectare*, *quando dandus cibus ſit.* At etiam *ex apparentibus* evacuationibus morbi cognoſcere licet indolem, an citius, tardiusve ceſſaturus ſit. Sic *ſputum in pleuriticis apparens ſtatim ac incipit morbus*, *brevem* hunc futurum indicat; contra *diutius emanens* illum *producit.* Sunt enim

 ſputa

ſputa illa ſigna concoctionis, aut co traria. Uti ſputa pleuriticorum; ſic & *urinæ*, *alvi excrementa*, *ac ſudores*, citius, tardius, prodeuntia, *indicant morbos & difficilis judicii*, & *facilis*, & *breves & longos. Hecquet.* Quæ namque celerius magisque madeſcunt, judicationis celeritatem denunciant, quæ vero tardius & minus, tardiorem judicationem ſignificant. Et pleuriticorum dolores ſtatim ſponte deſinunt, ubi quid effatu dignum ſpuere & expurgari cœperint. *Hippocr. vict. auct. n.* 6 & 7. Sputum vero in morbo laterali ubi matureſcere & exſpui tertio die coeperit, celeriores ſolutiones facit, quod ſi poſterius, tardiores. *Coac. ſect.* 3. *n.* 132. & *l.* 3. *de morb. n.* 21.

APHOR. 13.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

SENES facillime jejunium tolerant, ſecundum eos, qui conſiſtentem ætatem degunt, minimum adoleſcentes, ex omnibus vero præcipue pueri, atque inter ipſos, qui ad actiones obeundas promptiores exiſtunt.

APHOR. 14.

Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν· πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. εἰ δὲ μὴ, τὸ

τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν· διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται· ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες· ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

QUÆ increfcunt plurimum calorem innatum obtinent, plurimo igitur indigent alimento, alioqui corpus abfumitur. In fenibus vero cum paucus calor infit, idcirco fane paucis fomitibus indigent, a multis namque extinguuntur. Eandem etiam ob caufam neque fenibus, quod eorum corpus fit frigidum, febres perinde acutæ contingunt.

HI aphorifmi de diæta fanorum tractant, quatenus ad conftituendam eam ægrotantibus, hæc conducit, in qua præfcribenda duo potiffimum funt attendenda, morbus, qui per fe alimentum prohibet, & virtus, quæ illud indicat: de quibus actum eft in præcedentibus; nihilominus, quia alia multa adfunt coindicantia, quæ ad idem non parum conferunt, de his etiam agendum erat: quod facit in his & fequente *aph.* 15; docens, quomodo ex ætatum diverfitate, & anni temporum viciffitudine, diæta conftituenda fit, ut horum exemplo, cæterorum pariter ratio habeatur. Hæc autem funt, regio, confuetudo, & vitæ genus, & alia, de quibus inferius mentionem facit, quæ tantum conferunt ad victus rationem rite præfcribendam, quantum hæc in ægrotantibus quam maxime confervanda funt, quam-

vis aliqua adſit exceptio in rebus non naturalibus circa qualitates alimentorum, de qua re inferius tractabitur in expoſitione aphoriſmi 16. Cum igitur in *aph.* 13. doceat, ſenes facillime jejunium ferre, minime vero pueros, tacite admonemur, ſenibus, dum ægrotant, non adeo periculoſam eſſe inediam longiori tempore ſervare, quem ad modum cæteris ætatibus, & maxime pueris, quos frequentius nutrire cogimur ob rationem in *aph.* 14. ab Hippocrate allatam. Indeque apparet, quam temere ſe gerant illi, qui ſenes, parum, & ſæpe nutriri conſulunt, ea ratione commoti, quia calor exiguus eorum a multitudine ciborum ſuperatur, exemplo decepti parvi ignis, qui a lignorum multitudine extinguitur, quia cibi non hebetant calorem ventriculi, ſed augent potius, ut Hippocrates *lib. de humor. n.* 5. teſtatur. *Martian. p.* 427. Aniculæ ſæpe inediam biduum, aut triduum ferunt. ſubduc cibum unum diem athletæ: Jovem Olympium eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit: ferre non poſſe clamabit. *Cic. Tuſc. Qu. l.* 2. *c.* 17. Celſus *l.* 1. *c.* 3. *p.* 32. ita ſcriptum reliquit: *Quod ad ætates pertinet, inediam facillime ſuſtinent mediæ ætates, minus juvenes, minime pueri & ſenectute confecti:* in quibus verbis videtur ille contrariam ab Hippocratica fovere ſententiam, quod ad ſenes attinet. Sed patebit mox utramque veram eſſe; & hallucinatum eſſe Martianum negantem, quod paucus iſque ſaepe datus conveniens ſit cibus ſenibus. Quatuor tantum facit Hippocrates ætatum mentionem, etſi aliis locis ſtatuat quinque, conjungens hic juventutem cum adoleſcentia. *Conſiſtentes* ætate dicuntur, quorum corpora in ſumma ſolido-

rum

rum membrorum mole consistunt. Hi sunt qui agunt ætatem mediam inter juventam & senectutem: hanc vocat Hippocrates aliis locis primam senectutem aut crudam. Pueritia pertingit ad quatuordecimum annum, adolescentia usque ad vigesimum quintum, juventus usque ad trigesimum quintum, consistentia usque ad quinquagesimum, reliqua est senectus. Quanquam nihil in his finibus est exactum, neque enim in hominibus omnibus æquales ætates sunt, ob diversitatem regionum & temperamentorum, quia alii citius ad incrementum perveniunt, alii tardius. *Valles.* & *Holler.* Ante consistentem ætatem minime ferre homines jejunium, contra in senectute prima sive cruda facillime, assertum est aphorismi 13. Ratio hujus asserti redditur in aph. 14, qui velut commentarius est præcedentis. *Quæ increscunt* corpora, *plurimum calorem innatum obtinent*, vigorem nempe fibrarum elasticarum atque promptitudinem ad oscillandum, a qua virtute pendet humorum per vasa sua itus, reditus, atque hinc sensus caloris. „ Istud „ enim probe nosse convenit, hominem pri„ ma ætate in omni vita esse calidissimum, „ postrema vero frigidissimum. Siquidem quod „ augescit corpus & ad robur tendit calidum „ esse necesse est, at ubi marcescere & ad exi„ tium præcipitare coeperit, frigidius evadit. „ Atque hac ratione quo magis his primis die„ bus homo increscit, eo calidior evadit, & „ quanto magis ultimis diebus marcescit, tan„ to frigidiorem esse necesse est. " *Hippocr. de nat. hom. n.* 24.

Ante cognitum Harvæi circulum, schola medica *innatum calorem*, ab Hippocrate edocta, do-

 cebat.

cebat. Hic vero per suum ἔμφυτον θερμὸν nihil aliud indicare voluisse videtur, nisi id, quod in corpore humano, varium in vario, cum primis rudimentis inceptum, in morte demum absens, nonnullis quidem in morbis auctum, in aliis vero imminutum deprehenderat. Hucusque ut verus, castusque Philosophus egit, ignotæ rei enarrans tantummodo, explicansque, effectus. Utinam hujus Philosophiæ semper memor extitisset! Videatur *libro de carnibus*, & *de morbo sacro*, ut & passim alibi. Sanguinem deprehenderat, dum de vulnere exilit, calidum admodum esse; hominemque, dum multus effluit, frigescere, & pallescere. Conclusit hinc calorem a sanguine nasci: & quæ partes cæteris plura rubra vasa haberent, eas præ reliquis esse calidiores; quo pauciora, eo frigidiores: hanc ob causam cerebrum esse omnium frigidissimam partem; hinc pituitam ad illud colligi, coacervari, & naribus ab eo dimitti; copiosius vero asservatam hanc frigidam pituitam, atque a cerebro ad pulmones dimissam, sanguinem pulmone contentum refrigerare, & coagulare; itidem & ad alias corporis partes a cerebro missam iterum alios, eosque multiplicis generis, producere morbos. Apoplexiam, Epilepsiam, Asthmata, cunctosque pituitosos morbos, hinc explicuit. Scilicet aberrant etiam magna ingenia, dum, quos sibi ipsi limites sapienter præfixerant, hos transiliunt incogitanter. Si Aristotelem consulamus in *libris de Generatione*, *de Respiratione*, & *Meteorologicorum quarto*, videmus subtile hoc ingenium totum in eo occupari, ut doceat, quandoquidem quatuor elementis, aëre, aqua, igne, terra, nihil non constet, id calidius esse, quod in hac commistio-

mistione ignem haberet reliqua principia superantem. Galeni tempore, Medicorum, & Philosophorum discrepantia versabatur circa hæc duo: Utrum calor ex cordis & arteriarum motu ortum habeat, an vero, quemadmodum ipse motus cordi innatus est, eodem quoque modo calor sit innatus? Ipse tamen solidi nihil attulit, sed peripateticis principiis, assimiliter quam Aristoteles, ad hanc quæstionem respondit. Peripateticorum dogmati Cartesianum, & huic Newtonianum successit: sed in quocunque systemate philosophico plurima vix admittunt explicationem datam, ipsa explicatio scatet undique difficultatibus, hiatusque, nullo ratiocinio explendos, post se relinquit. Etenim experimenta calorem hominis sani in letali frigore morientis hominis præsentem demonstrarunt, & in frigore febrili calorem naturali majorem ostenderunt: observationes docuerunt, calorem parti inesse, dum sanguis aut deest, aut quiescit fere; calorem deesse, dum interim abundantia adest requisiti cruoris. Itaque forte fateri cogemur, independenter a sanguine calorem haberi. An multum sapimus præ illis, qui simpliciter dixerint esse calidum innatum? *Haen Rat. med. P.* 3. 149 *sq.*

Sed redeamus ad ætatum differentiam, diversumque in illis caloris gradum; de qua re Hippocrates *lib.* 1. *de diæta n.* 28. sic scribit: „ Puer „ quidem ex humidis & calidis temperationem „ habet, quandoquidem ex his constat, & in „ his incrementum accepit. Quæ igitur ortui „ sunt proxima, humidissima & calidissima, & „ quam plurimum increscunt, eodemque mo- „ do quæ ad hæc accedunt. At adolescens ca- „ lidus quidem, quoniam ignis accessio aquam

„ superat, siccus vero, quia puerile humidum „ jam consumtum est, partim quidem in corporis incrementum, partim vero in ignis „ motionem, partim etiam a laboribus. Vir „ cum corpus constiterit, siccus & frigidus, „ quoniam calidi quidem accessio non amplius „ superat, sed sistitur incrementum in corpore quiescens, & perfrigeratur. Verum ex „ juvenili ætate siccitas adest, neque ab accedente ætate, neque aquæ accessione humiditatem habet, ideoque a siccis & frigidis superatur. Senes autem frigidi & humidi, quoniam ignis quidem decessio, aquæ autem accessio adest; & siccitatis quidem summotio, humidorum vero constitutio ". Hoc in loco observamns, quod vocet Hippocrates viros (ἀνδρὰς) qui in *aph.* 13. καθεστηκότες dicti sunt. Quando autem eodem loco *senes*, πρεσβῦται, dicuntur frigidi & humidi, apparet illos distingui a senibus aphorismi 13, indicarique senes decrepitos, seu *senectute confectos*, ut loquitur *Celsus l. c.* de quibus prædicat contrariam facultatem illi, quam adscripsit suis Hippocrates: hic enim dicit senes *facillime* ferre jejunium, ille *minime*. Uterque vere. Quo propiora ætati summæ, eo difficilius animalia inediam ferre, monemur in *Boerh. aph.* 602.

Pueri crescentes indigent pabulo, quod apponant, dum crescunt, partibus in dies in majorem molem producendis, & ex hac causa inediam ferre nesciunt, maxime si *ad actiones obeundas promtiores* fuerint, in quibus vividiores sunt oscillandi vires, ad consumenda citius assumta comparatæ. Post pueros sunt adolescentes, quibus jejunium non convenit, crescunt enim adhuc. Virilis seu consistens ætas

fa-

facilius tenuiorem victum sustinet, quia amplius non crescunt, & in oscillando mitius laborant, hinc minori egent pabulo. Senibus denique, nempe in prima seu cruda aut viridi dicta senectute constitutis, tenuis victus, seu jejunium, juxta Hippocratem, convenit magis, eo quod partes ipsorum solidæ segnius oscillant, & fibræ arescentes, sic compressis vasis suos arctantibus diametros, plenitudinis statum sistunt. Aetate vero provectiores, decrepiti dicti senes, *frigidi* & *humidi*, exiguo quidem indigent pabulo, ne accumulata sanguinis mole *suffocationis* immineat *periculum*: ex ratione dicta, pauca nempe aut tarda in illis solidorum oscillatione, conniventibusque vasorum diametris. Attamen inediam ferre nequeunt, verum crebra refectione opus habent talium ciborum, qui faciles coctu stimulum quendam addant inerti oscillationi, promovendo humorum circuitui debitum. Quoniam autem senes ad motum segnes sunt & tardi, destituti vivido seu prompto fibrarum elatere, patet, cur adeo non sint obnoxii *febribus acutis*, quod innuit textus. *Hecquet.* Quoniam experientia testatur, non raro senes febre acuta corripi; quod dicitur in aphorismo ita est capiendum. Si senes eadem febre calida tentantur, quam juvenes, illa in senibus multo minorem calorem concitabit. Motus siquidem vitalis a nativitate usque ad perfectum incrementum sensim redditur robustior, in eo perstat, dein languere incipit; stimulus ergo idem applicatus eo validiorem motum suscitat, quo vis vitæ est robustior: inde pueri & senes parvum, adulti vero maximum calorem experiuntur a stimulo. *Gorter.* Hinc Aretæus *de caus. acut. l.* 4. *c.* 10. Inprimis, inquit, senes pleu-

ritidi sunt obnoxii : qui etiam sæpius, quam alii, liberantur. Neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari potest, neque in pulmonem transitus facilis est: quippe qui est in senecta, quam in alia ætate, frigidior, quando & spiratio parva est, & omnium attractio imbecilla. Juvenes autem & viri haud ita frequenter in hunc morbum incidunt: verum neque admodum frequenter evadunt. Nam neque ab exigua causa, neque ob exiguam phlegmonem ægrotant. In magnis autem majus inest periculum. Et pueri minime pleuritide corripiuntur, minusque ab ea periclitantur: quandoquidem puerilia corpora rara, humida, fluxaque sunt, ac multa est in eis difflatio atque digestio, quocirca neque magna contrahitur phlegmone. *H. J.* Stat jam ratum, quod scribit Celsus, l. c. Quo minus fert facile quisque inediam, eo sæpius debet cibum assumere, maximeque eo eget, qui increscit.

APHOR. 15.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι· ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον· καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. τροφῆς οὖν πλείονος δέονται· σημεῖον, αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

PER hyemem, & ver ventres natura calidissimi, somnique longissimi. Per ea igitur tempora copiosiora cibaria exhibenda; siquidem plurimus est calor na-

nativus, ideoque copiosiore indigent alimento. Quod indicant ætates, & athletæ.

Quibus anni temporibus corpora uberius nutrire conveniat, hic tradit aphorismus, contendens ampliore alimento opus esse tunc, quando innatus corporibus calor est amplior, quia una cum anni temporibus hominum ventriculi mutationem accipiunt juxta *lib. de aër. aq. & loc. n. 2.* Sed *ventres*, h. e. coctionum officinas (chylopoieticas vulgo dici solitas) *hieme & vere natura esse calidissimos, ergo his temporibus etiam plura alimenta exhibenda esse.* Quod autem propter innatum calorem pluri egeant homines cibo, probat auctor exemplo *ætatum* & *athletarum.* Pueros & adolescentes certe ex natura sua multum caloris habere, & uberiore egere alimento, vidimus in *aph.* 14. In athletis vero stimulatæ per exercitationes elaterum potentiæ excitant calorem, unde necessitas pendet multi cibi. Imo iis, qui se exercent, præstat solidioribus vesci, ut qui per habitum vehementius semper difflentur, ideoque solidius nutrimentum requirant. *Actuar. de spir. l. 2. c. 5.* Sed unde hieme & vere ventribus major calor? Caloris causa excitans est vivida & prompta ad propellendos per vasa sua humores fibrarum oscillatio, quæ ab elatere aucto intenditur. Sed vero frigus hiemis, ut & primi veris, tendit magis fibrillarum chordas, easque ad oscillandum paratiores reddit. Præterea vernus aër a natura ad id comparatus est, ut excitet in corporibus solidorum fibras. *Hecquet.* Veri autem secundus, post hiemem, locus

locus datur in 1 *aph.* 18. Per hiemem cibi ſumendi ſunt quam plurimi, ſicci, calefacientes, panis multus, opſonia aſſa; bibendum quam minimum, ſed vinum meraciſſimum: at vere cibis mollioribus & paucioribus utendum, panis ſubtrahendus, opſonia detrahenda, & aſſa omnia cum elixis commutanda; copioſius tunc & dilutius vinum bibendum. Hæc ſunt præcepta Hippocratis *lib. de ſal. diæt. n.* 1. & *l.* 3. *de diæta n.* 3. Celſus habet eadem *l.* 1. *c.* 3. *p.* 33. Sed loco carnis aſſæ pro victu hiberno potius elixam ſumi præcipit, vere autem ab elixis ad aſſa paulatim tranſeundum eſſe; cum contra Hippocrates hieme præſcribat aſſa, & vere elixa. Qui cogitat, inter aſſandum, ſub cruſta conſervari in carne ſuccos, qui excoquuntur inter elixandum, facile perſpicit humectandis corporibus aptiorem eſſe carnem aſſam, ſiccandis contra elixam. Hieme ergo convenient potius elixa, quam aſſa, quia tempore hoc cibi ſicci commendati ſunt, tum apud Celſum, tum apud Hippocratem. Intelligere autem oportet elixam carnem, quæ ſumitur ſine jure; nam jurulenta utique humidior cenſeri debet; quo in ſenſu videtur elixa Hippocrates, opponens ea aſſis, tanquam ſiccioribus: quare etiam Celſus *l.* 1. *c.* 6. ubi de remediis præcipit ad ſolutam alvum, prohibet jurulenta, aſſam vero carnem commendat, & *l.* 4. *c.* 19. *p.* 290. aſſam maxime avem, ſcilicet quia minus humoris ingeritur cum aſſis, quam ſi aſſumerentur jurulenta. vid. *Lomm. ſan. tuend p.* 254 *ſq.*

Sed errare videtur Celſus, quando *l.* 1. *præf. p.* 19. ſcribit, quod adoleſcens famem ferat *facilius hieme, quam æſtate*; nam hæc contraria ſunt ſententiæ præſentis aphoriſmi,

ſimi, juxta quem *ventres per hiemem ſunt calidiſſimi*, adeoque minus accommodati ad ferendam famem. Quare etiam nonnulli apud Celſum legendum potius cenſent *facilius æſtate, quam hieme.* Tandem etiam hieme & vere plura exhibenda ſunt alimenta, propterea quod tunc *ſomni* ſint *longiſſimi*; non, quia noctis tempore tranſpiratio inſenſibilis ſit copioſiſſima (quod multi volunt); adeoque pro rata perditi, nempe ejus quod exhalando de corporibus diſſipatum eſt, reparatio fieri debet per alimenta: nam inſenſibilis perſpiratio durante ſomno parcior fit, tantum abeſt ut ſub hoc magnopere juvetur, quod demonſtravit *Jo. de Gorter* in *de Perſpiratione inſenſibili Sanctoriano-Batava. Lugd. Bat.* 1725. 4°. Sub ſomno autem promovetur alimentorum coctio; & quia hæc magis perficitur ſub longiſſimis ſomnis, arguere hinc licet, ventres tunc ſe demonſtrare calidiſſimos, & per id ipſum, quod hieme conveniant cibi copioſiores. Nam celerius cibus dandus eſt eo coelo, quo magis digerit, juxta *Celſ. l.* 3. *c.* 4. *p.* 120. Ex aſſumta hypotheſi, a ſomno fieri coctionem, dictum Hipp. firmari poteſt; ſed experientia contrarium probat: non ſolum enim animalia totam hiemem quaſi dormientia non egent alimento, ſed etiam quidam homines ſopore oppreſſi per plures vivunt dies ſine alimento, vel multo minori copia, quam quæ ſufficeret ad ſuſtentandam vitam in vigilantibus: atque experientia confirmat ſomnum longiorem vitam conſervare cum exiguo alimento. A ſomno fit laudabilis coctio; non vero intelligitur per coctionem, quæ fit in ſomno, citior aſſumtorum ſubactio, nam in vigiliis citius ſubiguntur alimenta, quam in

ſom-

somno, utpote solo blando motu vitali in somno alimenta sunt subigenda; sed in vigiliis actione vitali validiore & sæpe etiam motu animali promovetur subactio. Hinc satis constat, quam perverse nonnulli statuunt, largiorem coenam esse sumendam, quoniam optima fit a somno sequente coctio; quoniam alienam de coctione fovent sententiam. Satius itaque est in infirmis largiorem evitari coenam, ne somnus multitudine alimentorum turbetur, & cibus nimis diu quiescens corrumpatur. In robustis autem, qui solo vigente motu vitali omnia subigere valent, non est opus strictam hanc regulam servare. Ex allatis constat, hieme largiora assumenda esse alimenta, sed non ex dictis rationibus Hippocratis, quia per se non satis firmæ sunt. *Gorter.* De hieme & vere hic dictum est; de æstate & autumno, respectu ad cibatum, docebit aphorismus sequens 18.

APHOR. 16.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι· μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰσθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

VICTUS ratio humida, cum febricitantibus omnibus, tum pueris maxime, atque aliis, qui ejusmodi victu uti consueverunt, confert.

CElsus *l.* 3. *c.* 6. *p.* 130. ita expressit hunc aphorismum, simulque explicavit: *Cibus febri-*

febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certe quam proximus: utique ex materia quam levissima; maximeque sorbitio.

Victus humidus, quem nos liquidum dicimus, in omnibus febribus probatur, tum quia per hunc humidi consumptio, quæ major fit in febre, facilius prohibetur, & quod consumptum est, reparatur exactius, quam per siccum & solidum; tum etiam quia liquidum alimentum citius, & facilius conficitur, quam solidum: quod quidem longa oratione demonstravit Hippocrates *lib. de vet. Med. n* 11. cujus gratia inventas fuisse sorbitiones, concludit tandem, non pro febrientibus modo, sed etiam pro aliis, quos solidiores cibos conficere haud posse observatum est. Hancque sententiam videtur brevibus confirmasse *lib. de alim. n.* 11. ubi hæc habet: *qui celeri appositione indigent, iis humidum ad reficiendas vires optimum remedium: humidum enim alimentum* (ut paulo supra dixerat) *facilius transmutatur quam siccum.* Quia ergo, dum febris tenet, naturalis calor plurimum laborat: ideo sorbitionibus, & potibus ægrotantes nutrire expedit, solidiori cibo dimisso; juxta præceptum *lib. de loc. in hom. n.* 39. *febrienti cibum ne offeras*, febrientem enim intelligit eum qui actu febricitat, nam intermissionis tempore, quod in febribus intermittentibus intervallum dicitur, solidiores cibi conceduntur, *libro* enim *de affect. n.* 18. de tertianæ febris curatione tractans loquitur in hunc modum: & *in accessione quidem sorbitione & potu nutriendum, intermedio autem tenpore cibis alvum subducentibus.* His igitur rationibus *victus humidus* sive liquidus *febricitantibus omnibus convenit: maxime vero pueris, & iis, qui tali victu uti consueverunt.*

verunt. Pueris quidem, quia in ea ætate humidum fubſtantificum copioſum eſſe expedit, cujus ratione pueros minime exſiccandos admonebat Galenus, eo quod humido augmenti gratia egent. Illi vero, qui humido victu uti conſueverunt, majori egent humectatione dum febricitant, quam dum ſanitate fruuntur, quia febris humidum abſumit, & depaſcitur. Ex his ergo patet, quæ de ætate & conſuetudine hoc in loco referuntur, ad anni tempora & regiones male extendi, ſi de qualitate alimentorum loquamur, non de quantitate, nam hæc ab illis differunt plurimum, ætas enim & conſuetudo inter res naturales adnumerantur, quæ conſervantur ſimilibus, anni vero tempora & regio res ſunt non naturales, quibus opponendum contrariis. Nam ſi quis e. g. pituitoſo temperamento præditus hieme, & in humida regione febricitet, tantum abeſt, ut huic maxime humidus victus conveniat, ut contrarium potius indicetur: quando anni temporis & regionis humiditas medicamenti vices gerens, cæterorum humectantium neceſſitatem minuit. Cum ergo victum humidum actu talem intelligamus, in promptu adeſt ſolutio dubitationis, quam movent communiter expoſitores, cur ſcilicet, dum victum humidum probavit febrientibus, ſimul & frigidum non dixerit. Non enim ita univerſaliter vera eſt hæc propoſitio: victus frigidus febricitantibus convenit, quemadmodum ea, quæ humidum probat, quia, etiamſi quandoque febrientibus ſorbitiones actu frigidæ exhibeantur, pro majori tamen parte actu calidæ uſurpantur, imo in inflammationibus internis etiam potum frigidum dari vetat, quod in paſſivis qualitatibus

bus non contingit: eo quia humidum five liquidum alimentum ita convenit febrientibus, ut ficcus nunquam ufurpetur, imo dum hydropi adjuncta febris eft, nedum ficcus victus convenit, & ideo Hippocrates *lib. de intern. affect. n.* 28. de hydropis curatione tractans ficcum victum præfcribit; cum conditione tamen, nifi adfit febris, inferens, propter febrem diætam exficcantem fufpectam effe; quæ fi attenderent noftri, non ita facile in gratiam ægrotantium, & carnes, & aviculas igni affatas in febre concederent: Hippocratem vero calidum, frigidum, humidum, & ficcum fimpliciter prolatum intelligere id, quod eft actu tale, unicuique in ejus doctrina etiam mediocriter verfato indubitatum eft, quando quæ talia funt facultate calida, aut frigida, &c. ad potentiam appellare folet. *Martian. p.* 428. Indigent victu humido febricitantes, ut temperetur calor feu fluidorum impetus, mitigata per humectationem folidorum effreni ofcillatione, aut elatere nimio, quem victus humiditas mollit, frangit aut moderatur, laxando nimium tenfas fibras. Abfint ergo in febrium cura ftimulantia, ficcantia, vinofa, aromatica. *Hecquet.* Abfint etiam decocta carnis, quoniam in corporibus a febre calentibus cito in putrilaginem convertuntur, ac evadunt ftimulantia, calorem febrilem augentia; contra humectantia ingerantur, qualia hodie vocantur antiphlogiftica, & funt acefcentia, quæ non facile per majorem calorem in putredinem convertuntur. *Gorter.* Maxime autem *victus humidus confert* tali *affuetis*, quia confuetudo altera natura; & *pueris*, quia in iis ofcillandi vires vigent, uti dictum eft ad *aph.* 14. Inde etiam

 intel-

intelligitur generale illud Hippocratis enunciatum cum ratione adjuncta, quod extat *lib. de falub. diæt. n.* 2. „ Junioribus corporibus mol-„ lior & humidior victus ratio utilis eft: hæc „ enim ætas ficca eft, & eorum compacta funt „ corpora ". Noftrum corpus obfervatur a nativitate ad perfectum incrementum non folum augeri mole, verum etiam robore, ut, quo propius eft origini, eo minus fit valens; ante nativitatem enutritur enim folo præparato a matre fucco; poft nativitatem lacte & pauxillo panis, non fert folidiora alimenta; fenfim vero increfcens viribus etiam pollet; eft ergo ex fua natura puerorum corpus debile, & alimentis liquidis concoctu facilibus fuftentandum. Quod fi oboritur in tali corpore per febrem major infirmitas, in hoc itaque omnino debemus abftinere a cibo folido & concoctu difficiliori. Recte igitur Hippocrates imperat victum humidum, præprimis in pueris febricitantibus. Confuetudo quoque confideranda eft. Qui a longo tempore nihil nifi humida & digeftu facilia accepit, ejus ventriculus & reliqua organa ita emolliuntur & relaxantur, ut imparia fiant duriora fubigere; hoc experiuntur illi, qui, ad evitandam podagram vel phthifin protrahendam, utuntur diæta lactea; quod fi lac amplius ferre nequeunt, & tunc volunt ad victum communem redire, haud facile priorem victum ferunt. Igitur maxime confert victus humidus omnibus febricitantibus, fed præprimis confuetis. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 17.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω, ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

ANimadvertendi funt etiam quibus femel, aut bis, & quibus copiofior, aut paucior, aut per partes cibus offerendus eft. Aliquid autem tempori, regioni, ætati, & confuetudini concedendum.

EST hic præcedentis aphorifmi confectarium, in quo monet auctor confiderandum effe quoties in die offerri debeat cibus febricitantibus, & aliis; an plenior vel parcior & per partes, intraque jufta intervalla. Declarat vero concedendum effe aliquid & confuetudini, & tempeftati (feu temporibus anni), & regioni, & ætati. Pro ætate, anni tempore, confuetudine, regione, loco, corporum habitu, victus ratio fic eft ineunda, ut inftantibus & caloribus & frigoribus nos opponamus. Nam ita demum optima valetudo confequetur. *Hippocr. de fal. diæt. n.* 2. Quibufdam femel tantum cibum fumere confert, idque quod conferat fibi conftituerunt. Quidam etiam prandere ob eandem caufam, quod iis conferat, coguntur. *de vet. med. n.* 18. In morbis nihil horum utique perpetuum eft. Nam poteft primo die primus cibus dandus effe, poteft fe-

cundo, poteſt tertio, poteſt nonniſi quarto, aut quinto; poteſt poſt unam acceſſionem, poteſt poſt duas; poteſt poſt plures. Refert enim, qualis morbus ſit, quale corpus, quale coelum, quæ ætas, quod tempus anni. Minimeque, in rebus multum inter ſe differentibus, perpetuum eſſe præceptum temporis poteſt. *Celſ. l.* 3. *c.* 4. *p.* 119. Quid faciendum ſuadeant differentiæ ætatum & anni temporum, jam vidimus præced. *aph.* 13—16. Regionum diverſarum conſideratio coincidit cum conſideratione anni temporum, quoad temperiem ſcilicet aëris. Qui Æquatori vicini, tenuem victum facile, Polis autem propiores difficulter eum ferunt. Aeſtas tenuiſſima, hiems validiora petit. Qui ſanus lautiſſimis uſus ea facile difflat, æger pluribus eget ob vaſa & viſcera his aſſueta. *Boerh. aph.* 602. Quid hic poſſit conſuetudo, docet *Hippocrates de vict. acut. n.* 15. ubi hæc leguntur. „ Tum eos qui bis in die, „ tum eos qui ſemel cibum ſumere conſueve„ runt, repentinæ mutationes lædunt, & im„ becillos reddunt, & qui quidem prandere „ non conſueti, ſi prandeant, confeſtim ægre „ habent, & toto corpore graves, debiles, „ & pigri efficiuntur, quod ſi præterea coena„ verint, acidum eructant, quibuſdam etiam „ alvus liquida contingit, nempe quod præter „ conſuetudinem pondere gravetur ventricu„ lus, inſuper ſiccari aſſuetus, non bis intu„ meſcere, neque bis cibos coquere ". Et hæc de victu ſanorum obſervat. Sub morbis autem a viribus ægroti præcipua ſumitur indicatio. Hinc, Plurimi, inquit, lædentur, niſi recte mutatio fiat, qui tota ptiſana utentur. Lædentur etiam qui ſolo ſucco utentur,

&

& qui ſolo potu, quanquam ii minime. *ibid.* n. 14. Et his quidem, qui bis die cibum ſumere conſueverunt, bis danda eſt ptiſana, his vero qui ſemel cibum capere conſueverunt, his primo die ſemel danda, paulatim autem progrediendo, ſi fieri poſſit, iis etiam bis danda, ſi quid adjiciendum videatur. Verum inter initia neque multa copia, neque valde craſſa exhibenda, ſed ut conſuetudinis cauſa aliquid ingeratur, & ne multa vaſorum inanitio fiat. *ibid. n.* 5. Imo quæ ex longo temporis intervallo aſſueta ſunt, quamvis deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent. 2. *aph.* 50. Celſus *l.* 3. *c.* 5. *p.* 126. aptiſſimum eſſe ſtatuit, „ tertio quoque die cibum dare, niſi infirmum „ fuerit corpus, tunc enim quotidie dandum „ eſſe; multoque magis, ſi continentes fe„ bres ſine remiſſione ſunt, quantoque magis „ corpus affligunt, aut ſi duæ pluresve acces„ ſiones eodem die veniunt. ".

Quæritur generaliter, quid magis conducat in ſanitate & morbo, ſemel aut bis, multum vel parum ingerere? Capiuntur alimenta, ut reſtituatur id, quod inevitabili actione corporis deteritur; ex hac itaque ratione omni tempore & parum ſimul eſſet ingerendum, ut ſuppleatur amiſſum. Deinde, ventriculus & reliqua organa chylopoietica facilius poſſunt parvam quantitatem ſimul ſubigere, quam magnam ſemel ingeſtam; atque ſaliva, bilis, ventriculi & pancreatis ſuccus aſſiduo affluens, melius poſſunt parvam quantitatem ſimul ingeſtam ſuperare & ſolvere quam magnam, quia tanta copia horum liquorum confluit eo tempore dum ſemel in die comeditur, cum hærent alimenta in ventriculo & inteſtinis, quam affluit, ſi eadem

 dem

dem quantitas partitis vicibus fuisset ingesta. Constat ergo ex causa, quæ alimenta exigit, & quæ alimenta præparat, conducere, sæpius de die capere cibum, saluberrimum esse. Consentit Sanctorius *sect.* 3. *aph.* 37. ubi corpus *magis gravari* scribit *ab octo libris cibi semel in die comestis, quam a decem, tribus vicibus, unica die assumptis*; & *aph.* 88. *edulium*, ait, *quatuor librarum circiter semel in die sumtum, si noceret, bis vel ter ingestum juvaret.* Sed juxta Ejus *aph.* 105. *bonæ valetudinis pestis est, comedere ante cibi præcedentis coctionem.* Hoc ergo confirmat, bis aut ter de die capere cibum, conducere, modo tantum spatium intercurrat temporis, ut præcedens ingestus cibus perfecte coctus sit. Istud ex hac recepta hypothesi adstruit, coctionem, quæ ad minimum quinque vel sex horas insumit, novo ingesto turbari, ut alimenta ebullientia in olla ab affusa nova aqua desinunt ebullire. At longe abest, nam in infantibus, qui fere omni hora lac sugunt, experimur, non turbari coctionem ventriculi, & in reconvalescentibus & infirmissimis, quo sæpius & parva copia simul sumunt alimenta, eo facilius hæc subigere, & eo minus aggravari. Decepti utique sunt existimantes, coctionem turbari novo ingesto, quia hoc desumunt ex comparatione coctionis per ignem substratum, cum in nobis dicitur coctio, si actione vitalium organorum, & affluxu humorum saponaceorum subiguntur ingesta, minime vero ab igne substrato, ut illi existimarunt. Ratum itaque est, sanitati admodum conducere, aliquoties de die capere cibum, & maxime debilibus ex ætate vel morbo: sed sanos & firmos in sanitate permanere posse, etiam si semel in die

die cibum ſumunt, quia in nobis ita ſunt fabricata organa, ut unica vice tantum poſſimus ingerere, quantum intra viginti quatuor horas requiritur ad nutritionem; quemadmodum hoc quoque in excrementis exonerandis experimur: unde tamen ſequitur eum modum optimum eſſe ad conſervandam & recuperandam ſanitatem. *Gorter.*

APHOR. 18.

Θέρεος, καὶ φθινοπώρου, σιτία δυσφορώτατα φέρουσι· χειμῶνος, ῥήϊστα· ἦρος, δεύτερον.

PEr æſtatem, & autumnum cibos graviſſime ferunt, per hyemem facillime. Ver poſt hyemem ſecundum locum obtinet.

VEntres hieme & vere natura calidiſſimos eſſe, & hinc expoſcere plura alimenta, dictum eſt ſuperius *aph.* 15. Jam, *æſtate & autumno difficillime ferri* docemur. Adeoque in his temporibus corpora paucioribus indigent alimentis? Id quidem non velle videtur Hippocrates: ſed potius, ut detur parum & ſæpe; parum ſimul, quia ventres tunc minus calent, i. e. minus habent elateris, elanguentibus ſolidorum vibrationibus, contrariorum cum ſit contraria ratio; ſæpe, ut reſtituatur quod per ſudores ſub coelo calido deperditur, ne exſolvantur vires. In autumno (qui ex doctrina Hippocratica comprehenditur intervallo duorum

rum mensium Septembris & Octobris) adhuc languent facultates a prægressa æstate; ergo & hoc tempore victus administrari debet ut in æstate. *Vallesf.* & *Hecquet.* Quare, qui morbos autumnales studet evitare, caveat a nimia ingestione alimentorum hoc tempore; & studeat, ut conservetur corpus in eodem pondere, ut erat pondus æstivum, i. e. ut servetur corpus perspirabile. *Gorter.* Aestate tum molli maza, tum potu copioso & diluto, opsoniisque omnibus elixis nutriri oportet, iisque ita utendum dum æstas fuerit, quo corpus molle sit & frigidum. Siquidem hæc tempestas calida est sicca, & corpora æstuosa & squalida reddit. Eadem vero ratione, quemadmodum ex hieme ad ver, sic etiam ex vere ad æstatem perveniendum, cibos quidem demendo, potum vero augendo, ad eumque modum contraria adhibendo ex æstate ad hiemem perveniendum. In autumno contra, cibi quidem majore copia & sicciores exhibendi, & opsonia ad eundem modum, potus etiam pauciores & meraciores. *Hippocr. de sal. diæt. n.* 1. Aestate & potione & cibo sæpius corpus eget; ideoque prandere quoque commodum est. Eo tempore aptissima sunt & caro & olus: potio quam dilutissima, ut & sitim tollat, nec corpus incendat: caro assa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Ut sæpius autem cibo utendum, sic exiguo est. Per autumnum vero cibo jam paulo pleniore uti licet; minus, sed meracius, bibere. *Celſ. l.* 1. *c.* 3. *p* 33 *sq.* vid. etiam *Nonn. l.* 3. *c.* 10. Quæ hic difficultas oboriri potest ex adductis ex Hippocrate & Celso, dum ille æstate commendat opsonia elixa, hic vero carnem assam, ea omnis, quantumvis prima

fronte

fronte contrariæ sibi videantur sententiæ, evanescit expendendo quæ dicta sunt supra ad *aph.* 15.

APHOR. 19.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι, μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἀναγκάζειν, ἀλλ᾽ ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων, πρὸ τῶν κρισίων.

QUibus per circuitus accessiones contingunt, nihil dato, neque cogito, sed de ciborum accessione ante judicationes detrahito.

EXtat hic aphorismus in *lib. de humor. n.* 3. his verbis: *In accessionibus, quæ per circuitus repetunt, nulla alimenta offerenda, neque adurgenda, sed ante judicationes de his, quæ apponuntur, auferendum.*

Quod in exacerbationibus morborum *auferendum* sit *de appositionibus*, h. e. victus subtrahendus, jam dictum est *aph.* 11. Hic additur, quod *nihil dare oporteat, neque cogere* seu *cibo reficere aut refocillare*, legendo *ἀνακομίζειν* pro *ἀναγκάζειν*. Nimirum ad judicationes seu crises morborum tendunt illorum paroxysmi seu exacerbationes: judicationes autem & solutiones morborum non sunt turbandæ: ergo nihil tunc agere expedit, cum jam ad solvendum morbum se totus naturæ referat labor: neque cibi offerendi, quia nutritii succi appulsu fluidorum moles aucta alacrius leviusque circulando san-

guini impedimentum ponit. *Hecquet.* Pertinet huc quod ſcribit Aretæus *de cur. acut. l.* 1. *c.* 1. „ In judicationibus & paulo ante judicationes „ cibus ſubtrahendus eſt ". Si tamen propter infirmitatem neceſſitas urget, ſatius eſt, conſiſtente jam incremento febris, aliquid offerre, quam increſcente: ſatius eſt, inſtante, quam incipiente: cum eo tamen ut nullo tempore is, qui deficit, non ſit ſuſtinendus. *Celſ. l.* 3. *c.* 6. *p.* 127. Natura occupata circa criſin roboranda quidem medicamentis accommodis & cibis, ſed non oneranda eſt. *Wedel.* Quid per judicationes ſeu criſes denotent Medici, explicatur ad jam ſeq. *aph.* 20.

APHOR. 20.

Τὰ κρινόμενα, καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ᾽ ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ᾽ ἐᾷν.

QUÆ judicationem ſubeunt, aut jam perfecte ſubierunt, ea neque moveto, neque medicamentis, neque aliis irritamentis innovato, ſed ſinito.

TOtidem verbis legitur hic aphoriſmus in *lib. de humor. n.* 3.

Uti in præcedente aphoriſmo 19. cavit Hippocrates, ne aliquid agatur, quod judicationi morbi futuræ obeſſe poſſit: ita in præſenti hortatur Medicum, nihil ut moliatur tempore judicationis & judicatione facta. Verbum κινέειν mo-

movere non ſignificat quamlibet motionem, ſive alterationem a medico adhiberi ſolitam circa ægrotantem, ſed eam tantummodo commotionem, quæ fit per ea, quæ ore aſſumta alvum purgant, & quovis modo movent. Nam fruſtra addidiſſet Hippocrates, *neque novare*, *neque medicamentis*, *neque aliis irritamentis*. *Martian*. *p*. 430. Criſis ſeu *judicatio*, item *judicium*, κρίσις, (*a* κρίνω *judico*, *ſecerno*,) dicitur ſubita, ſeu repentina, certo tempore contingens permutatio morbi, ſive in melius ſive in deterius, in ſanitatem vel in mortem. Morborum inſignes mutationes, ſeu in melius, deteriuſve fiant, judicia nominantur, quibus videlicet jus dici ſolet de controverſiis naturæ adverſus morbos. *Bagliv*. *p*. 251. *Judicari* (κρίνεσθαι) *in morbis eſt*, *quum morbi augeſcunt*, *aut marceſcunt*, *aut in alium morbum tranſeunt*, *aut deſinunt*. *Hippocr*. *de affect*. *n*. 8. *Judicatio* vero *morbi diſſolutio eſt*. *Præcept*. *n*. 12. Inde Criſis generatim ſumta, morbi judicationem quamlibet ſignificat, ſtricte accepta pro felici morbi ſolutione habetur. Eſt autem evacuatio ſufficiens & legitimo tempore contingens peccantis materiæ, quæ cocta i. e ad exitum antea rite præparata fuit. Hæc evacuatio per certa corporis emunctoria peragitur. Solemnes viæ ſunt, per ſudores, alvum, urinam, ſputum, hæmorrhagiam, abſceſſum.

Dum mala materies flaccentes excoquit artus,
Queis abeat, certas non habet illa vias;
Alter purpureis extinguit fluxibus æſtum,
Huic nocet effuſus febre calente cruor.
Alter ab effuſo cutis imbre valentior exit,
Dum madidos artus rorida gutta lavat,
Ille videt laxo febrem decedere ventre,

Ille,

Ille, jecur purgans, fella maligna vomit,
Sunt aliis faciles ad turbida lotia renes,
Aſt aliis ſpumans proluit ora mador,
Illachrymans aliquis, quidam mucoribus, auris
Illuvie quidam, dejicit acre malum.

Hebenſtr. de Hom. 358.

Suis quæque ſpecies dignoſcitur & prænunciatur ſignis. Hæc, inquies, ad Hippocratis regionem & ætatem valeant, nunc obſolevere. Reſponſum habe e Baglivo, qui criſium infrequentiæ & mali ſucceſſus cauſam ex eo deducit, quod humores per diverſas remediorum ſeditiones diſtracti non poſſint ad criticæ deſpumationis (evacuationis) negotium ſtato tempore diſponi. At vero etiam nunc ſpecimina habemus ſpontanearum evacuationum, quæ ſtatis contingunt temporibus, & corpori levando inſerviunt. In plerisque morborum acutorum, in quibus liquorum inſignis eſt fermentatio (agitatio ſive commotio), certis diebus paroxyſmi inſtituuntur, hos vero ſequuntur quædam evacuationes. In tertianis intermittentibus & continuis febribus, quæ paroxyſmis exacerbantur diebus imparibus, id contingere videas, quibus violentiores motus & graviora ſunt ſymptomata. Scilicet primo die ſanguis minori motu concitatur, ac proinde febris mitior. At increſcit die tertio, & ſub paroxyſmi finem fit evacuatio, quæ ſæpe in quarti initium incidit. Quod ſi violentior ſit quinto die paroxyſmus, ipſo illo die fieri ſolet evacuatio. In utroque autem febrium genere criſis ſæpe non niſi ſeptimo die evenit, quia tunc major ſanguinis agitatio, unde gravior paroxyſmus. Prægreſſis enim fermentationibus (commotionibus) principia ſanguinis mul-

multum evoluta fuere, ideo evacuatione, quæ paroxyfmum illum excipit, commode abigitur quicquid in fanguine impurum eft, *Du Verney an mechan.* §. 4. Tamen tempus non ita valet, ut crifis alio tempore fine vitæ discrimine non potuiffet fieri. Experimur etiam, malas herbas florendi & femen maturum proferendi tempus accurate quoque obfervare; non eft ergo mirum, femina morbofa fua quoque tempora fervare: valeo tamen præmature flores & femina generare conciliato majore calore; & retardare, detracto calore naturali; hoc quoque fieri in morbis, experientia practica confirmat: optimæ tamen fruges debito tempore colliguntur, quare optima quoque eft crifis, quæ critico die perficitur. *Gorter.* Quod in Græcia olim perfecte fuccederent crifes in acutis morbis, tribuendum potiffimum erit puritati, tenuitatique aëris Græci, & adjacentis Orientis; qui cum præditus fit elatere valde agili, motus pariter humorum vitalium, quibus aër intermifcetur, neceffe eft ut fint maximopere expediti, & agiles; nec ullus externi ambientis occurfus, conftantiam legum naturalium iifdem impreffarum, ita facile valeat perturbare. Contra in aëre aqueis, craffifque impuritatibus foedato, qualis eft feptentrionalium, & ad paludes jacentium regionum, cum humores humani corporis maximis quoque adficiantur impuritatibus, ac veluti confundantur debitæ illorum fermentationes (agitationes feu commotiones) a tam foedo aëris influxu: nil mirum, quod illi, dum morbificis imbuuntur particulis, ad debitum crifeos, five defpumationis negotium fere nunquam poffint pervenire: nam, ut diximus,

im-

impressæ aëris impuritates, regulares illorum motus perpetuo distrahunt, & conturbant. Ante dictæ crisium felicitati, præter aëris puritatem, maxime quoque contribuebat excellens Græcorum in medendo prudentia, quibus solemne erat, naturæ motus habere pro vero indice & duce illius viæ, qua progrediendum est in cujusvis morbi curatione, nec unquam medendi methodum mutabant, nisi per novos naturæ motus admoniti fuissent, quid, quando, & quomodo agendum esset. Quam ob rem, cum pro axiomate perpetuæ veritatis habuissent, naturas esse morborum medicatrices; paucis admodum utebantur remediis in acutorum curatione, ne scilicet regulares eorundem motus per incongrua forsan remedia turbarentur, & debiti naturæ conatus impedirentur. Hac methodo in principio tractati, nil mirum quod, dum ad statum perveniebant, crisibus juxta naturæ leges institutis feliciter solverentur: & ita veluti animadverterent Medici, crises, diesque criticos non esse chimericum quid, sed motus quosdam necessitate physica cuilibet morbo communes, utpote per quos ad debitum solutionis maturationisque terminum perveniunt. De cujus rei veritate per experientiam certiores facti Græci, præfatam crisium doctrinam docte admodum excoluerunt, & stabiliverunt. Sed hodie cum omnia turbata sint in re medica, hæc pariter crisium doctrina non existimatur amplius tanquam oraculum naturæ docentis, sed tanquam inane Græcorum commentum deridetur. *Bagliv. p.* 156 *sq.* Hippocrates primas qualitates medicamentorum nihili facit dum modo id assequatur, quod principaliter intendit, remotionem

scili-

ſcilicet cauſæ, quæ principaliter in humoribus ipſis conſiſtit, quorum gratia opus ſit, ſive purgare, ſive urinam, ſudorem, aut ſputum ducere, ſive aperire, mollire, attenuare, aut quovis modo movere. Unde ſæpe calidis medicamentis utitur in morbo calido; cibos vero, & potus exhibet, & morbo contrarios & qui ipſorum humorum, medicamentorumque qualitates corrigant, & retundant. Unde non mirum, ſi ſæpe pro curatione morborum ea probet cibaria, quæ nullo modo ſanis concedit. At noſtri totum oppoſitum faciunt, quia, ſi medicamentum aliquando exhibendum eſt, ſtatim conſiderant, an calidum ſit, an frigidum, caventes omnino, ne calidum medicamentum detur in calido morbo, nec in frigido frigidum. Cibaria vero exhibent indisſtinćte ſemper eadem, & in calidis morbis, & in frigidis, nihili qualitates eorum habentes, dum modo ſint boni ſucci, & concoquantur facile, quæ quidem alimentorum conditiones, ſicuti in ſanis ſunt neceſſariæ, qui in eo ſtatu conſervandi ſunt, ita ægris plerumque incommodæ, qui a præſenti ſtatu removeri deſiderant. Qui quidem curationum modi ſi rećte conſiderentur, inveniemus optimum eſſe ab Hippocrate obſervatum, quando facilius eſt, corpus ſecundum primas qualitates alterare per cibos, & potus, quæ in majori copia asſumuntur, & in humores ipſos, & carnes mutantur; quam per medicamenta, quæ in minori quantitate exhibentur, & e corpore non longe poſtea exeunt, quorum qualitates dum vitare ſtudemus, nihil eorum aſſequimur, cujus gratia exhibentur. Dum enim, gratia exempli, urinam, aut ſudorem, aut ſputum eli-

elicere ſtudemus, ſi, calefacientia timentes propter febrem, ad frigida, aut temperata confugimus, cum id leviter præſtent, intento fine fruſtramur ſæpe ſæpius. Imo continuo medicamentorum refrigerantium uſu incraſſatis humoribus, corporibuſque denſatis, ſpontaneæ evacuationes ſæpe prohibentur, ut hæc non ſit levis cauſa, cur noſtris temporibus tam raro fiant criſes, quæ frequentiſſimæ erant antiquis. *Martian. p.* 173 *ſq.* Sed &, ſi irritamentum addatur, turbabitur laudabilis criſis. In vitæ actione enim modus eſt, a quo ſi recedit, vel quod motus fiat major, vel minor, in utriſque malum producitur, ſiquidem motus major invertit laudabilem præparationem & corrumpit bonos humores. Tepor naturalis avium impregnatum ovum facit producere pullum, minor impedit, major corrumpit. Inde contra hanc regulam non parum peccant, qui in variolis cum optimis ſignis erumpentibus exhibent calefacientia, moventia, quibus fictam malignitatem excuterent, dum experiuntur variolas nunc bonas, his auxiliis in corruptelam verti. *Gorter.* Adeo autem conſtans eſt naturæ ordo in perficiendis ſtato tempore humorum peccantium coctionibus, depurationibus, ut nonnullæ febres, quantacunque contra eas adhibueris remedia, prorſus cedere nolint, niſi peractum ſit præfixum illud a natura tempus, pro abſolvenda deſpumatione; imo ab adhibilis purgantibus, febrifugis, aliiſque medicamentis intempeſtive, & imprudenter, non ſolum exacerbantur, vel duplicantur, ſed ad mortem quoque viam ſternunt, ob maximam in humoribus excitatam confuſionem, regularibus naturæ motionibus pene contrariam, ſicuti

uti in acutis, & intermittentibus febribus pluries obſervavimus. In Ruſticis & qui medicorum ope non utuntur, jucundo ſane documento hujuſmodi criſes, ſive deſpumationes peccantis materiæ per ſudores, alvi fluxus, urinam, aliaſque naturæ vias perfici, & motu prorſus ordinato finiri videmus. Quorum omnium non ignarus Hippocrates & conterranei Græci, adeo religioſe præfatos naturæ deſpumantis motus proſequebantur, ut in curandis febribus pauca admodum remediorum genera præſcriberent, ne per illa inopportune forſan data moderamen interni Rectoris conturbarent. Hippocrates ipſe in febrium præcipue acutarum curatione pauciſſimis utebatur medicamentis, & ſi excipias lene vomitorium, clyſteres, aut ſimile remedium, quod circa initia adhibere cogebatur; in progreſſu morbi ſola ptiſana ad morbi genium varie temperata contentus, & naturæ reliqua committens; adſidens illius ſpectator criſin expectabat, ut conſtat ex illius *lib. de vict. acut.* Licet vero criſes ſint conſtantes naturæ motus, variare tamen ſolent, prout variæ ſunt medendi methodi, varia anni tempora, regiones, vitæ genus, temperies ægrorum, & ætates, &c. Brumali tempore ſucci vitales humani corporis tum ob frigiditatem ambientis, tum etiam ob uſum ciborum craſſioris ſubſtantiæ, lenteſcunt aliquantulum, & ad motum celeriorem ineptiores evadunt, cumulatis interim in maſſa ſanguinis ob impeditam magis tranſpirationem copioſis impuritatibus. In tali ſanguinis ſtatu, & tali pariter anni conſtitutione, accenſæ febres longum temporis intervallum conſumunt, in abſolvenda perfectæ criſeos de-

ſpumatione, imo ob ante dictam partium craſſarum, heterogenearumque copiam, inſigni confuſione afficiuntur humores, & hac de cauſa ad deſpumationes naturæ regulares difficulter perveniunt; tunc temporis quoque febres non ita acutæ ſunt, nec ad celerem depurationem faciles, uti ſolent eſſe æſtate. Eadem pariter de cauſa in frigidis paludoſis, & ſeptentrionalibus regionibus raro criſes perfectæ obſervantur, ut Germani, aliarumque frigidarum regionum Medici abunde teſtantur. His igitur in caſibus indulgendum aliquantiſper medicamentis paulo calidioribus, digeſtivis, & roborantibus, quibus natura veluti exhilarata, tantum in humoribus excitet motum, quantus requiritur ad depurationem ſtato tempore, & perfecte abſolvendam. Appetente autem verno, & æſtivo tempore, in ruſticis, & pauperculis, Medicorum ope raro utentibus, poſt inſtitutam (ſi oportebat) phlebotomiam, tenuem victum, & diluentia prudenter, & juxta acutiei morbi indigentiam præſcripta, paucis interjectis diebus per ſalutarem ſudoris, urinæ, aut alvi criſin febres illorum acutas, inflammatoriaſque ſolutas vidimus. Vere namque atque æſtate, cum ab aucto aëris elatere, auctaque exinde inſenſibili tranſpiratione, humores fiant agiliores purioreſque, ſcoriæ morboſæ iiſdem confuſæ ac velut incoctæ celerius quoque extricantur, coquuntur, & per ſubſequentes criſes foras eliminantur. Hoc idem de calidis regionibus reſpectu frigidarum, de temperamento calido, & juvenili ætate, reſpectu humidi, ætatiſque ſenilis, & ſic deinceps ſentiendum erit. *Bagliv. p.* 232 *ſqv.* Ad cauſas criſium nobis non æque procedentium,

um, ac veteribus, referri etiam debet vivendi apud nos genus, ab illo; quo Hippocratis ævo utebantur homines, diversum. Illis enim corpora erant densiora & exercitationibus crebris indurata, sudores non tam facile, quam nobis, fluebant: alvi clysteribus sæpe eluebantur, corpora balneis & inunctionibus frictionibusque tantum non quotidie curabantur: quorum pleraque apud nos vel omnino a multis omittuntur, vel rarissime fiunt. *Schulz. H. M. p.* 250.

Judicationem sive crisin fieri, cognoscitur, si prægressa fuerit coctio bona, si evacuatio critica præsens contingat die critico seu circa tempus proprium crisi, manifestans se per vomitum; salivationem; muci excretionem; excreationem sputorum; alvi fluorem; urinam; hæmorrhagiam ex naribus, utero, hæmorrhoidibus; sudorem; abscessum; pustulas; tumores; bubonem; parotidem; aphthas; humorum ex loco in locum translationem. *Boerh. J. M.* §. 938. Morbi præcipites & acuti effluente ex naribus sanguine judicatione absolvuntur, idque die judicatorio, ac sudore copioso exorto, urinaque purulenta ac vitrea affatim reddita, in qua quod subsidit laudabile sit, aut abscessu effatu digno, & alvo mucosa & sanguinea dejiciente, ac derepente prorumpente, vomitionibusque non pravis sub judicationem contingentibus. *Hippocr. Coac. sect.* 1. *n.* 214 *sq.* Morbi omnes solvuntur aut per os, aut per alvum, aut per vesicam, aut alium quendam ejusmodi articulum. Sudor vero omnibus communis est. *Hippocr. de victu acut. n.* 56. In febribus ad articulos & maxillas præcipue abscessus contingunt, in vicinia do-

lorum cujuſque, ad ſuperiorem partem magis, & in totum. Si tardus fuerit morbus & deorſum feratur, infra etiam abſceſſus contingent. maximeque pedes calidi, infra futurum abſceſſum, frigidi vero ſupra, denunciant. *lib. de humor. n.* 3. Quibus febris continua diutius cum ſecuritate trahitur, ſi neque ex dolore, neque ex inflammatione, neque ex alia ulla manifeſta cauſa contingat, in iis abſceſſum cum dolore & tumore, præcipueque ad inferiores partes ſperare oportet. Maxime autem in his expectare abſceſſus oportet, qui infra triginta annos ſunt, & tunc expectare abſceſſus oportet, ubi febris viginti dies tranſmiſerit. Majoribus autem natu minus accidunt, etſi febres longo tempore detinent. *Coac. ſect.* I. *n.* 202 *ſeq.* Factam vero criſin ſalutarem declarant coctio crudi prægreſſa; morbi ſtatus; vis vitæ bona; excrementa ſimilia naturalibus, convenientia morbo, parti affectæ, vitæ, victui, ætati, ſexui, temperiei; tempus; locus; levamen poſt hæc tam quoad morbum, quam quoad ſymptomata; color, calor, robur, pulſus, reſpiratio, actiones omnes, ſtatim reſtituta, vel incipientia multum reſtitui; tum conſtantia criticæ evacuationis uſque ad finem morbi: ſi enim omnia hæc, vel pleraque, ſigna adſunt, tum perfecta erit ſeparatio morboſi a ſano; diciturque criſis perfecta evacuans, vel ſeparans. *Boerh. J. M.* §. 939. Et hæc eſt, de qua loquitur aphoriſmus præſens, judicatio perfecta. Somni profundi neque turbulenti, judicii firmitatem denunciant. *Hippocr. Coac. ſect.* I. *n.* 220. Quum itaque jam natura, morbi medicus, invenit ſibi ipſa aggreſſiones, & non edocta, nulloque magiſtro uſa, ea,

ea, quibus opus eſt, facit, ut loquitur Hippocrates 6. *Epidem. ſect.* 5. *in principio*; tunc certe *nihil movere, ſed* omnino *ſinere oportet*. Ut enim Medicinæ caput eſt ſcientia agendorum, non agendorum peritia, artis apicem tenet, qui *ſinere* novit, ab iis omnibus arcendo manum, quæ ordine ſua natura continet, admovendo cæteris, quæ ab illo deerrant ordine. *Hecquet*. Cum ad criſin natura vergit, aut eam jam exciverit, tum a remediorum copia tanquam a peſte cavendum. *Bagliv. p.* 251. Medicos plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficere, non inſcite monuit Dictator ille apud *Livium l.* 22. *c.* 18. Nimirum Medicus, naturæ miniſter, motum naturæ, dominæ ſuæ, obſervare debet, nihil, ea operante, temere mutare, niſi ut effrenem frenet, vel ut pigriorem excitet, quemadmodum docet *Heers* in *Obſerv.* Nihil magis naturæ circa criſin occupatæ nocet, quam purgantia. In criſi perfecta medicus ſpectator eſſe debet magis, quam turbator. *Wedel.* Ubi vero coepit quidem Natura, non ſatis autem magnum impetum inſtruxit ad evacuationem, ſed medicis auxiliis opus eſt; quid tunc ſit agendum Medico, ea de re agit ſequens *aph.* 21. Quid coctio ſignificet crudi ad bonam criſin requiſita, docetur ad *aph.* 22. Ex quibus ſignis prænoſcenda ſit futura vel inſtans criſis, ſive quæ ſint ſymptomata critica, aperiet 2 *aph.* 13. uti inperfectam criſin revelabit 2 *aph.* 12. Quæ denique ad tempus ſpectant criſios atque dies criticos, tradent 2 *aph.* 23 & 24. Unum hic operæ pretium erit adjicere. Quanquam enim ſedulo cavere oportet, ne, inſtante morbi ſolutione, tumultus in hu-

moribus creentur; fieri tamen posse, ut necessarium sit hoc ipso tempore exinanitionem aliquam moliri, censendum est; idque præsertim, si summa forte urgeat corpus excandescentia, quæ nimia agitatione omnia turbans secretionibus e sanguine faciendis impedimento sit futura. Ipsa igitur sanguinis missio in hoc statu adeo non nocet, ut etiam promoveat crisin. Nec alia ratione id evenit, quam qua, ingruentibus jam variolis aut morbillis, ubi materia vehementer turgent vasa, sanguinis detractio pustularum eruptionem accelerat. Porro haud multum diversa est *abscessuum criticorum* conditio; qui, ut ad maturitatem perducantur, non raro, si copia & calore supra modum peccet sanguis, depletiones ex venis, aut per alvum, moderatas desiderant. Scire enim oportet, Antiquos in febribus purgationes damnasse, quod pleraque medicamenta cathartica illis temporibus essent validissima; qualia sunt scammonium, veratrum nigrum, tithymali succus, & consimilia his acria; quocirca clysteribus infusis alvum suppressam ducere satis habebant. Nobis vero cum leniora semper in promptu sint, quibusvis fere morbi temporibus citra metum inflammationis, si res exigat, intestina exinanire licet; præsertim si, quod sæpe fit, hanc viam natura ipsa monstraverit. *Mead Oper. p.* 476.

APHOR. 21.

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκȣ ἂν μάλιϛα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

QUÆ

QUÆ ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducito, per loca convenientia.

DEsumptus hic aphorismus est ex *lib. de humor. n.* 3.

Postquam Hippocrates *aph.* 20. monuisset, nihil esse tentandum Medico tempore criseos, hacque facta perfecte: jam videtur eundem instituere velle, quid illi agere incumbat, ubi in propatulo quidem est, quo vergat natura, attamen deficit, nec sufficit ad judicandum, h. e. non satis magnos instruit impetus ad faciendam separationem seu evacuationem materiæ morbum facientis. Tunc medica auxilia in usum vocanda sunt: secundandum nimirum naturæ saluberrimum opus est, quod per auctiorem progressivum humorum motum, ad correctionem & resolutionem materiæ morbificæ ipsiusque tandem excretionem dirigitur. Id quod optime perficitur diluentibus, humectantibus, temperantibus, aperientibus, roborantibus & nitrosis, nec non iis, quæ, in febribus tempore præsertim intermissionis, congruas excretiones promovent. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 8. Conf. *Boerh. J. M.* §. 1179. Aget ergo Medicus, sicubi evacuandum fuerit; observando *quo maxime* natura *vergat*, studendoque ut *eo ducantur* evacuandi humores, *per loca convenientia*, hoc est, singulo humori propria, per quæ nempe illos expellere natura solita est. V. g. in febribus intermittentibus natura singulas accessiones solvere velle videtur per vehementes sudores; h. e. locum indicat,

 quo

quo duci debeant ſuperfluitates. *Liſter.* Si circa evacuandum menſtruum foeminarum, aut hæmorrhoïdalem, ſanguinem, laborat natura, per uteri, & hæmorrhoïdalia, vaſa eo pertinentibus remediis directio inſtituenda venit. Quæſtio eſt de ſputis ducendis, de ſudoribus, egeſtionibus alvinis, urinis? auxilio erunt bechica, ſudorifera ſeu diaphoretica, purgantia, diuretica. Tremunt labia, moleſtant nauſeæ? da vomitorium. Prurit naſus, facies rubet, lachrymæ fluunt involuntarie & oculi ſuffunduntur? applica remedia naribus, fomenta, frictiones &c. ut fiat hæmorrhagia narium. *Hecquet.* In morbis debilibus medicamenta naturâ valentia minime ſunt exhibenda, neque imbecillitas medicamenti paucitate metienda eſt. Sed in valentibus naturâ, valentibus medicamentis utendum, debilibus vero non valentia medicamenta danda. Neque medicamentum tranſmutandum eſt, ſed ſingulis ſecundum ſuam naturam exhibendum, ita ut debilibus quidem, debilia natura medicamenta, valentibus vero morbis, valentia natura medicamenta exhibeantur. Morbi autem per eam partem, cui maxime vicini eſſe ſolent, educendi. Per eam autem partem, qua ſingulis quam proximus eſt exitus, educi debent. *Hippocr. de loc. in hom. n.* 55. Ex. gr. in pleuritide, ſi dolor ad jugulum de ſe ſignificationem præbeat, ad brachium vero, vel circa mammam, vel ſupra ſeptum tranſverſum gravitatis ſenſus inſit, internam in cubiti flexu venam ſecare, & quam citiſſime copioſum ſanguinem detrahere convenit, eo uſque dum multo rubicundior, aut pro puro aut rubro lividus effluat. utrumque enim uſu venit. Si

vero

vero eas quæ ſunt ſub ſepto transverſo partes dolor affligat, nullamque ad jugulum de ſe ſignificationem præbeat, alvum veratro nigro aut peplio emollire oportet, &c. *de vict. acut. n.* 12. In hydrope, ſi quidem fluxio ad cutem magis proceſſerit, externis partibus fomentum adhibendo, ſi vero intro ad ventrem, neque foris quod affluit conſpicuum ſit, medicamentum propinando, ſin utramque in partem, utrimque detrahendo, curare oportet. Diligentia autem adhibenda eſt, ut quam proximum exitum facias, ſive ſupra, ſive infra, ſive alia quavis corporis parte exitus detur. *de loc. in hom. n.* 33. In delirio, ſi murmuraverit venter, alvique egeſtiones bilioſæ fuerint, ſcammonio exhibito moderate purgandum. *de vict. acut. n.* 50.

At vero generaliter & abſolute ſumtus aphoriſmus verus dici nequit. Nam nequaquam ſemper eſt imitanda natura, ut, dum ſymptomatice per oculos & aures movet. Hinc non conveniunt errhina debilibus oculis, vel auribus, in ophthalmia, auditus difficultate, multo minus verò dolore. Sunt enim hæ partes ſenſu tactus exquiſito donatæ, ob id acribus medicamentis, quibus vacuationes a capite movere neceſſe eſt, vehementer irritantur, dolor & calor excitatur impenſius, quod intendimus non conſequimur, imo ejus loco ſurditatem, cæcitatem, aliumve inſignem harum partium affectum molimur. *Wedel Amœn. p.* 458. Equidem haud omnes excretiones vel motus, qui in corpore noſtro contingunt, pro ſalutaribus naturæ ductibus a prudente & perito Medico haberi debent, quippe horum ea ſæpe eſt natura, ut potius vergant ad damnum & deſtru-

 ctionem

ctionem corporis, quam ad ejusdem curationem & conservationem. In insultu v. g. apoplectico & gravi ac violenta partium capitis læsione stomachum ad vomitum irritari, quotidianæ experientiæ res est. Si quis itaque medentium hanc ad vomitum inclinationem pro ductu Naturæ habere & eum vomitoriâ medicinâ secundare velit, is certe non absque insigni ægrotantis damno id conficiet. Atrocibus ex calculo tormentis ordinario vomitum jungi, notum identidem in praxi est; nihil vero nocentius excogitari poterit, quàm si quis ad illum naturæ motum promovendum emeticam medicinam porrigere vellet. In principio quoque pestis, febrium malignarum & variolarum vel vomitus vel alvi fluxus ægrotantes infestant, ubi sane summæ esset res imprudentiæ, si quis hunc ductum naturæ vacuantibus & irritantibus adjuvare anniteretur. Cachecticis, qui labem in visceribus contraxerunt, & hepar vel lienem infarcta & obstructa habent, sanguinis per venas sedis fluxus valde familiaris est, & levi ex causa, animi nempe vel corporis motu aut medicina quadam exagitante suscitatur: tantum vero abest, ut ægrotantes inde solamen quoddam suarum miseriarum accipiant, ut potius magnus virium languor conjungatur & vis morbi valde adaugeatur. Ecquis itaque pro ductu Naturæ salutari, quem Medicus omni modo secundare & promovere debeat, id genus excretionis æstimare velit? *Hoffm. de med. em. & purg. post ir. §. 2.* Præstans est monitum Hippocratis *lib. de humor. n.* 1. *Ducere oportet quam in partem feruntur humores, per loca accommodata, nisi quorum maturationes* (coctiones, πεπασμοὶ) *progressu temporis contingunt,* *quæ*

quæ vel foras, vel intro, vel aliò quò expedit tendunt. h. e. datis locis inconvenientibus, convenientior, quantum licet, aſſignandus. *Wedel.* Hinc Medici eſt curare, ut cognoſcat quò verſus cœperint impetum ſucci; & ſi videat illos in regionem convenientem inclinare, eo ducere, ſi tamen ducere oportet. Sin autem videatur humor inclinare in regionem non convenientem, non oportet impetum juvare, ſed repellere & avocare. Revellere oportet, ſi, quò non convenit, vergant; ſi vero qua convenit, oſcula his aperire, qualiter ſingula repunt. E. g. in oculis fluxione tentatis, revulſionem ad fauces facere convenit, ſi modo conferre videatur. Vid. *Hippocr. l. 6. epidem. ſect. 2. n.* 58 *ſqv.* In pleuritide a ſuſcepto frigore in corpore æſtuante oborta, ſerum excrementitium retentum in corpore, nonnunquam vergit ad inteſtina; quia tamen locus non eſt conveniens, pleuritis non ſolvetur per hanc evacuationem, ut e contrario curari facile non poſſit niſi alvus ſiſtatur; cum evacuatio hic conveniens magis ſit expectoratio, quæ ab alvi evacuatione impeditur. *Rega meth. med. aph.* 823. Ita in exanthematibus febrilibus, v. g. variolis, ſi materia morboſa ruat ad alvum, faciatque eam laxam, malum aliquando maxime timendum eſt a retrocedente materia morbifica ad interiora, niſi mature revocari poſſit ad cutim. Liquet inde, dari æque caſus, ubi Medicus exercere poſſit magiſterium, atque ubi miniſter naturæ eſſe debeat. Utrumque hoc medentis munus in exemplo fluentis alvi egregie expoſitum habetur ex libris Philomeni apud *Alex. Trall. l.* 8. *c.* 7. in h. m. Alvus tum in febribus, tum citra febres profluvio laborat.

rat. In febri autem difficilior ejus eſt curatio, animadverſionemque & conjecturam diligentem requirit. Nam inter initia naturæ aliena & noxia ſalubriter evacuare conatur, ipſa nimirum natura ad ſuperfluos incommodosque humores rejiciendos undiquaque cogente. Idque alias in ſtatu febris, alias in declinatione: nunc quidem cum magna profuſione humorum, ſubitaque & critica, qua febres ſolvuntur: ſæpe vero paulatim & multis perſeverat diebus, & pene in ipſa declinatione conſiſtit. At tunc profluvium aut ſiſti non debet; quia natura omnes ſuas vires intendit: aut motus ejus adjuvari. nam ſi quis ventrem conſtringere volet, magnam excitabit ægritudinem. Vidimus enim ventrem initio affectus ad quartum quintumvé diem profluxiſſe, & poſtea fluorem aut per ſe, aut Medici auxilio ſubſtitiſſe: unde ægri in magnum periculum inciderunt, ita ut phrenitici aut lethargici efficerentur, doloresque capitis, aut perniciofæ in eis parotides excitarentur. Quare initio ea, quæ corporis commodo atque utiliter excernuntur, minime reprimere convenit, ne materia ſurſum educta humorum, ſupra dictos affectus generet, ſed ad ſtatum uſque contemperari cibis debent. Ubi vero diutius jam profluvium perſeverarit, non modo ſuperflua evacuans, ſed etiam habitum colliquans, viresque conſumens, tunc ſane ei reſiſtere medicamentis expedit. Attendendum autem, num alvus nimium an modice, aut certe non profluat: magna quidem reſolutio coërceri, parva levius contineri debet. Adſtricta autem alvus relaxanda eſt, aut iis quæ per os aſſumuntur, aut quæ per anum immittuntur, aut quæ ex-

trin-

trinſecus imponuntur, donec criticus dies ſupervenerit. Nam biliosus humor ſolis cibis mollientibus, magis ut deſcendat, quam in corpore retineatur, eſt ſolicitandus. Si enim biliosum aut in ventre, aut in inteſtino collectum retineatur, exituque prohibeatur, loca ambientia offendit, ſtomachum ſubvertit, caput replet, viſcera inflammat, febres magis accendit, ſitim auget, omniaque prædicta ſymptomata in capite excitat: ſummatim, totum morbum graviorem efficit. H. J. Qui evacuandi ſint Medico humores, & quo tempore, ſequens edocet aphoriſmus.

APHOR. 22.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖϛα ὀυκ ὀργᾷ.

COCTA medicamento purgante educito, ac moveto, minime cruda, neque per initia, niſi turgeant. plurimum vero non turgent.

EAdem leguntur in *lib. de humor. n.* 3.

Nulla eſt in doctrina Hippocratis ſententia, quæ manifeſtis verbis exarata majores attulerit difficultates, quam præſens aphoriſmus, ex cujus aliena interpretatione, tot & tam variæ Medicorum opiniones circa purgationem emanarunt,

narunt, ut nihil certi de ea determinari possit. Videsis *Bernard. Paternum de humorum purgatione in morborum initiis tentanda. Spiræ* 1597. 8°. & *Fallop. fol.* 38 sq. item Scripta aliquot eristica, quæ Romæ prodiere super genuina aphorismi hujus expositione. Edidit nimirum *Philander Collutius Marsilii Cagnati* expositionem aphorismi. In hunc Cagnati Commentarium Annotationes scripsit *Prosper Martianus*; cui respondit *Jo. Manelphus* h. t. *Responsio brevis ad Annotationes Pr. Martiani in Commentarium Mars. Cagnati super aphor.* 22. *primi libri Hippocr. Concocta medicare* &c. *Romæ* 1621. 8°. *Aëtius Cletus* quoque Cagnati defensionem suscepit sub hac epigraphe: *Dilucidatio in aphorismum* 22 *primæ sectionis, pro defensione interpretationis Mars. Cagnati nuper edita per Phil. Collutium. Romæ* 1621. 8°. A Martiani autem partibus stetit *Petrus Castellus* edita *Epistola de Elleboro, contra Jo. Manelphum & Aëtium Cletum pro Prosp. Martiano. Romæ* 1622. 4°. & *Epistola secunda de Elleboro, in qua confirmantur ea, quæ in superiori Epistola allata fuere. Romæ* 1622. 4°. Docemur, concoctos humores medicamento purgante, aut quovis alio educendos esse, crudos vero nequaquam, neque a principio morbi, nisi adsit turgentia; quod raro contingit. Cum vero purgatio circa morborum initia adeo familiaris fuerit Hippocrati, non possumus dicere, eum in hoc aphorismo morborum principium maxime a purgatione excludere voluisse, dum dixit, *neque in principio*, sed hæc protulisse, ut hoc etiam tempus, purgationi alioqui omnium aptissimum, incongruum demonstraret, ubicunque cruditatis signa apparent. Nomine autem principii non intelligimus primum morbi insultum,

ſultum, ſed totum illud tempus, quod a vigore diſtinguitur, & a declinatione. Hæc enim fuit temporum morborum diviſio Hippocrati uſitata, quam quidem ex pluribus locis licet colligere, apertiſſime tamen eam nobis ſignificavit in 2 *aph.* 29 & 30. *inchoantibus morbis ſi quid videtur movendum, move; cum vero vigent, melius eſt quieſcere: circa initia enim & fines omnia imbecilliora, at circa vigores fortiora.* Quare principium in acutis morbis, quique non admodum celeriter moventur, uſque ad ſeptimam diem aliquando extenditur, ita, ut ſexta etiam pharmacum dari poſſit; hocque adnotare volui, ne quis ex eo, quod Hippocrates purgationem in principio morbi adeo celebravit, ſtatim medicamentum exhibendum eſſe a principio exiſtimaret, quod multos facere video, qui ſtatim in prima viſitatione medicamentum ægrotanti præſcribunt, prius quam ſæpe de natura morbi ullam cognitionem habere potuerint, ex qua importuna curatione plura mala evenire ſolent, quæ poſtea errorem Medici manifeſtant, dum morbus ſe prodit de genere eorum, qui purgationem ante ſectionem venæ non admittunt, quorum catalogum facit Hippocrates *lib. de vict. acut. n.* 36. Quod quidem periculum ut evitaret ipſemet Hippocrates, medicamentum nunquam (exceptis repentinis & graviſſimis morbis) exhibere auſus eſt prius quam dies tertia morbi ſaltem elapſa eſſet. Imo *lib. cit. n.* 42. de febris ardentis curatione tractans hæc habet, *ſi tibi medicamentum purgans idoneum videatur, id tribus primis diebus non exhibendum, ſed vel quarto.* Dictis non adverſatur, quin potius illa non leviter confirmat aphoriſmus 24 hujus ſectionis, in quo Hippocrates

pocrates insinuat, in acutis morbis raro per principia purgandum esse: nam si purgatio, ubi facienda est, in principio maxime convenit, illud *raro purgandum in principio* non prohibet purgationem, sed eam potius stabilit, quasi diceretur: etiamsi principium purgationi aptissimum sit, quia eo tempore leviora sunt pleraque eorum, quæ purgationi adversantur, cujusmodi est febrium vehementia, virium debilitas, & alia hujusmodi, tamen neque eo tempore semper purgandum est in acutis, sed admodum raro, & maxima cum præmeditatione; & ratio est, quia, cum non statim prima, aut secunda die liceat medicamentum purgans dare, ob rationes superius assignatas, morbique acuti cito vehementiam contrahant, raro evenit, ut, quo die purgatio conveniens esset, febris talem magnitudinem non acquisierit, quæ purgationem suspectam non reddat; scimus enim, vehementia febris urgente, purgationes admodum periculosas esse: unde Hippocrates *lib. de medicam. purg. n.* 4 hæc habet: *Quicunque igitur a febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiserit febris; sin minus, saltem non intra quatuordecim dies; carnes enim ipsorum & ventres, cum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris major fit, & color evertitur, & morbi regii speciem præ se fert.* &c. Quotiescunque igitur in acutis morbis febris a principio caloris est vehementis, hoc enim intelligit Hippocrates per febres fortes, eo casu a purgatione penitus abstinendum est, etiam a principio. Quum vero leniter invadit morbus, ante quam febris fortis, & vehementis caloris fiat, purgatio institui potest; quod quia raro

in

in acutis morbis evenit, qui statim vehementes fiunt, & eorum, qui non adeo cito magnitudinem contrahunt, multi eas non habent conditiones, quæ purgationem admittunt, hinc fit, ut occasio purgandi raro in acutis morbis contingat. Neque repugnant traditæ doctrinæ, quæ *lib. 7. Epidem. n.* 32. leguntur: *Propterea in principiis purgandum non est, quoniam sua sponte in his temporibus expurgantur.* Principium enim hoc in loco non intelligitur morbi, sed temporum, in quibus purgatio facienda est; nec purgationem circa initia morborum prohibet Hippocrates, sed tempus magis particulare præscribit. Dixerat paulo ante, purgationes per inferiora faciendas esse in remissione accessionis, per superiora vero in ipsomet insultu; & quia hæc tempora latitudinem habent, nos admonet, in eorum principiis id faciendum non esse, rationemque adducit, quia sua sponte in prædictis temporibus expurgari solent; quare ne simul cum motu naturæ contendamus, admonet, ut principium eorum temporum elabi permittamus, observantes, an natura moveat, nec ne, principioque transacto, & natura non evacuante, ad purgationem deveniendum erit, verbaque illa subjunxit, ἦ χρόνια ἐπικίνδυνα *num in hæc tempora incidentia periculosa?* indicans malum esse, & periculosum eo tempore evacuare, quo natura ipsa sponte movet. A principio igitur purgandum, si reliqua consentiant, quia illud tempus purgationi omnium aptissimum, & accommodatissimum est, non adeo tamen, ut cum signis cruditatis id facere liceat, & ideo subjunxit Hippocrates in nostro aphorismo, *neque in principiis*, exceptionem tamen addidit, *nisi turgeat.* Appo-

 suit

ſuit vero conditionem, *ſi turgeat*, tanquam ſignum humoris minime fixi, & qui medicamento facile cedat. Cur vero in valde acutis deſideretur turgentia, nequaquam vero in reliquis morbis, dummodo non adſit cruditas, ratio eſt, quia propter morbi acutiem adeo periculoſum eſt pharmacum, ut, niſi magna adſit purgationis facilitas ex parte humoris purgandi, quam turgentia indicat, ab eo abſtinere ſatius ſit, quam ægrotantem in diſcrimen adducere. Eandem purgationis facilitatem neceſſariam exiſtimavit Hippocrates in utero gerentibus, ne difficultas purgationis, aut puero, aut matri, aut utrique perniciosa redderetur, & ideo 4 *aph.* 1. legimus: *Utero gerentes ſunt medicandæ a quarto ad ſeptimum, ſi turgeat.* Purgationis tandem facilitas neceſſaria eſt, quando morbi magnitudo eam expoſcit, verum ægrotantis vires non omnino ſunt firmæ, & ideo Hippocrates *lib.* 1. *de morb. mul. n.* 63. in curatione cujuſdam morbi ex puerperii ſuppreſſione ortum habentis, purgationem abſque turgentia præſcribere non eſt auſus. Ibi enim hæc leguntur: *Si vero ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura, & febris habet; pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & alias attolluntur, alias deficiunt; & hæc patitur incipiente morbo, & ſic habet, temporis autem progreſſu cavæ faciei partes rubeſcunt. Quum ſic habuerit, leves cibos exhibeto, &, ſi turgeat, pharmacum infra purgans bibendum dato.* &c. Quotiescunque igitur purgationis difficultas magnum aliquod incommodum afferre poteſt, turgentia requiritur, quæ purgationem faciliorem reddat, aliter vero nequaquam, & ideo nullibi turgentiæ mentionem in Hipocratis

tis doctrina pro purgatione invenies, præterquam in præfatis casibus, videlicet in valde acutis, in utero gerentibus, in gravioribus morbis cum virium imbecillitate, & cruditate vigente. Subjungit tandem, *plurimum vero non turgent*, quod dictum non est simpliciter intelligendum, ita, ut nos admonitos velit Hippocrates, raro in morbis humores ita dispositos esse, ut turgere dici possint; sed ad præcedentia respiciens hæc protulit. Dixerat enim, cruditate vigente non esse purgandum nisi turgeant, inde vero subjungit, plurimum vero non turgent, h. e. dum signa adsunt cruditatis: ita ut sententia sit, humores, & forti, & levi pharmaco, aut sorbitione purgandos esse, ubi concocti fuerint, crudos vero nullo modo, neque in principio, alioqui purgationi aptissimo, nisi turgeant, & ad evacuationem parati fuerint, quod raro cum signis cruditatis evenire solet. *Martian. p.* 430 *seq.*

Exponente *Hecqueto*, humores in principiis morborum turgentes purgare convenit, sed qui concocti fuerint, non crudi, qui nempe coctionis signa præ se ferant, quandoque isthæcmet turgentia coctionis sit argumentum: sunt autem corporum, locorum, cœli, solique, & morborum constitutiones, sub quibus adjuta stimulataque natura, succorum energiis breviat laborem, & purgationem sub primis ab ortu diebus concedit. Juxta Eundem alia est turgescentia, quæ prohibet purgationem, quando corpus turget undequaque oppletum a succorum refluorum stasibus & stagnationibus; de qua turgentia Hippocrates *lib. de loc. in hom. n.* 38. scribit: Febres propterea fiunt, quum corpore superinflammato carnes intu-

muerint, & pituita ac bilis conclusa quieverint, & neque refrigeretur quicquam, neque exeat, neque moveatur, neque aliud quid subeat. — Neque tamen dum corpus turgescit medicamentum potui exhibendum; non enim judicationem nisi parvam subeunt, utpote corpore turgente. D. *de Tournefort* in præsente aphorismo duo distinguit; prius est generale quoddam præceptum, quod citra exceptionem ab Hippocratis discipulis admitti debet, crudos nempe humores & nondum coctos evacuari non oportere, sed coctionem ipsam expectandam, nisi materia, quæ morbi causa est, in motu sit, & orgasmo, hoc est, nisi præcipuis corporis partibus immineat, easque simul invadat. Pars altera aphorismi, *raro autem turget*, est peculiaris quædam Hippocratis observatio, & quæstio est facti, utrum sæpe, an raro turgeat, idque penes diversas regiones variare solet. Unde illud Medico incumbit diligenter expendere, qui morbi in loco, ubi degit, grassari soleant. Existimat D. de Tournefort in Græcia morbos acutos minus frequenter existere, & præceptum cum observatione adjuncta confundi non debere, neque hinc concludendum raro purgandum esse in morborum initiis, sed potius id sæpe aut raro faciendum, ut orgasmus frequens est, aut rarus in ea regione, in qua versamur. In Gallia autem morbi persæpe orgasmo sunt conjuncti: unde, si Hippocrates in Gallia scripsisset, illud forsan addidisset, *materia autem utplurimum turget*. Orgasmi signa aliquando fallunt, unde magna cautione utendum est, ubi hæc judicia sunt ambigua. Vid. *Hamel Hist. p.* 504. *Gall. di Min. Tom.* 4. *Part.* 12. *p.* 233. Aphorismum de so-

ſolis humoribus extra venas poſitis intelligendum eſſe; atque adeo illos, ſi quando turgeant, concoctique fuerint, nobiſque moleſti admodum ſint, quod raro in principiis morborum contingat, purgante aliquo aut aliàs educendos eſſe, cenſet *Liſter*. Non intelligendus aphoriſmus de blanda purgatione, quæ, publicarum viarum ſordes eluens, humores innoxios prolectat: ſed de valida, atque ut barbari vocant eradicativa, quæ contumaces & in profundum merſos potenter educit. Nam Hippocratis tempore eccoproticis noſtris carebant, nec niſi validis, & deleteriis purgabant. *Chicot Diſſ. p.* 48. Humores crudi una cum ſanguine confuſi necdum concocti ex præcepto Hippocratis moveri non debent: non alia certe ratione niſi quod nondum ſint ad ſecretionem parati. Hinc Medici in maligna febre, quod humorum & ſpirituum ſit magna confuſio, purgare non audent. Illa igitur humorum coctio intelligi debet, vel cum minus ſunt efferati & miſceri incipiunt; vel cum noſtro calore reſoluti jam ad ſecretionem ſunt accincti. Quemadmodum, ut Walæi exemplo utar, caro quæ elixatur, tum ſpumam ſuam deponit, cum ignis vi fuit attenuata; atque ut piſces inter coquendum aceti additione ſpumam citius ejiciunt, ſic naturam noxiis humoribus extenuandis, & debellandis intentam idoneis medicamentis, quæ calida ſunt, & plerumque altius penetrant, adjuvamus. Hinc raro in augmento, ſæpius in principio declinationis, humore jam edomito, medicationes adhibentur. In principio vero cum crudi ſunt & incocti humores, nihil movere oportet niſi, inquit Hippocrates, turgeant, h. e. cum

oberrant, & fluctuant, tum enim medicamento facilius cedunt. *Hamel Oper. T. 2. p. 161 sq.* Maxime controvertitur apud auctores, an purgantia in principio febrium putridarum exhibenda sint. Quod diffidium, missis disputationum ambagibus, ita resolvendum est. Ratione materiæ febrem putridam continuam immediate producentis, quæ in venis majoribus continetur, purgationem in principio non convenire, nisi ea turgeat, id est, ita exagitetur a natura irritata, ob pravam ejus qualitatem, eamque expellere conante, ut inde excretioni magis disposita sit, & ex illa turgentia metuendum sit, ne in aliquam partem nobiliorem irruat; quod tamen quia raro contingit, utplurimum illius concoctio exspectanda est, antequam per medicamenta purgantia ejusdem evacuatio suscipiatur. Ratione vero materiæ in prima regione contentæ, si plurima illa sit, quæ febrem augeat, naturam gravet, eamque a materiæ in venis contentæ concoctione avertat, purgantia, altero a venæ sectione die exhiberi poterunt, sed leviora, quæ primam tantum regionem evacuent. Humores autem vitiosos & excrementitios in prima regione, hoc est, ventriculo, intestinis, mesenterio, aut circa præcordia redundare, cognoscimus ex nausea, oris amaritudine, siti, dolore stomachi, aut alterius partis in ventre inferiori contentæ, alvi fluxu, aliisque symptomatis, quorum ratione aliquando purgatio ipsi venæ sectioni præmittenda est. *River. p. 431.*

Ut clarius percipiamus mentem aphorismi & expositorum ejus, necesse est, ut videamus, quid dicatur in morbis crudum & cruditas, coctum seu concoctum & coctio seu concoctio,

ctio, turgere & turgentia sive orgasmus. Materia morbi prædita ea mole, figura, cohæsione, mobilitate, inertia, ut faciat, vel augeat, morbum, appellatur *cruda* (ὠμὸς, & ἔνωμος). Ille autem status morbi, in quo hæc ita se habet, dicitur *cruditas* (ὠμότης) morbi; quod obtinet æque in morbis, ubi tota massa humorum infecta est, quam in iis, ubi una modo pars tali materie obsessa habetur. Quod idem de solidis, quatenus vitio humorum ægrotant, verum est. Cruditas illa cognoscitur. 1. ex vigore morbi durante vel increscente. 2. ex augmento assiduo symptomatum. 3. ab exercitio functionum adhuc valde læso. 4. omnium optime ex recessu humorum circulantium, secretorum, excretorum, & excrementorum, a statu sano, quoad copiam, vel qualitates; unde in sudore, lachrymis, muco, saliva, sputo, redditis per vomitum, bile, fæce alvi, urina, ichore, pure, sanguine, menstruis, lochiis, lacte, abscessu, aphthis, &c. indicatur. Si autem materia morbi prius cruda, per actiones vitæ, aut propriam indolem, vel per medicamenta apta, sic mutata est quoad molem, figuram, cohæsionem, mobilitatem, inertiam, ut minus recedat a statu salubri, minus lædat, adeoque impetum morbi imminuat, *cocta* jam appellatur (πέπων). Status autem morbi ille, in quo hæc ita fiunt, appellatur *coctio*, *maturatio*, vel πεπασμὸς. Cognoscitur ille status morbi & materiæ 1. ex quiete morbi, ejusdemque decremento, viribus vitæ interim constantibus, vel & increscentibus. 2. a sedatione, imminutioneque, symptomatum, concomitante vitæ robore. 3. a restitutione functionum in integrum. 4. ex similitudine hu-

morum circulantium, secretorum, excretorum, excrementorumque, cum naturalibus. *Boerh. J. M.* §. 922 *sequ.* Conf. *Hippocr. de vet. Med. n.* 32 *& seq.* Non frigidum est, quidquid in sanguine crudum audit. *Crudum* sit quidquid a temperie benigna recedendo, calori nativo minus est morigerum. Hoc in sensu humores *adespoti*, omneque jugum respuentes, crudi sunt. Hos enim indomitos non regit Natura, vix vincit calor nativus. *Hecquet Qu. An morbi a serosa colluvie?* §. 5. *Coctus* est humor qui rite subactus est, exquisite commolitus, facilis ad circuitum, ad fluendum paratissimus. Nascente morbo cruda sunt omnia; causa palam est. Plethorâ exuberans sanguis, aut remixtâ impeditæ transpirationis materiâ turgescens, cordis & arteriarum oscillationibus atque trituræ fortius resistit. Ita crescente fluidorum virtute & massa, solidorum decrescit vis & imperium, præposteræ fiunt oscillationes; qui enim sub sanitate ad solidorum nutum agebatur sanguis, sub morbo solidis imperat adeo, ut, qui antea nullus erat intestinus aut fermentationis motus, primas tunc teneat. Hinc febris, quæ sanguinis est supra solida oscillantis prædominium. Sed hac subinversa lucta, abnormi facto succorum circuitu, quæ excernenda erant retinentur, excernuntur quæ retinenda. Tunc ut augetur sanguinis moles, minuitur comminutio, illius amittitur cum vasorum diametris proportio, ruit æquilibrium. Motu, crasi, misturâ incongruus fit liquor. Crudum dices? ita sane; imperfecte enim subactus est, capillarium diametris impar, secretionibus ineptus. Eo in statu impetuosius arietabit sanguis? cuneabitur magis. Fortius impinget? ar-

arctius hærebit & morabitur. Interim retrogradis factis oscillationibus, secretiones resiliunt, viscera & glandulæ suos affatim eructant succos, qui exundant, varie miscentur, eliquescunt. Hinc diarrhoeæ, sudores, ptyalismi, perirrhoeæ: verbo, qua data porta ruunt & præcipitantur crudi liquores. Crudi, inquam, triturâ enim (a qua omnis coctionum vis) deficiuntur. Idem *Qu. An potus ægris interdicendus?* §. 4. Conf. Ejusd. *de purg. med. cap.* 17. Coctio nil aliud est, nisi separatio, sive extricatio morbosæ materiei a sana, cum qua veluti confuse innatando ac levi contactu circulando, ad minimum alicujus purgantis, vel alterius remedii stimulum statim cedit, obedit, & qua datâ porta, sanam relinquendo, foras protruditur, ac educitur, &c. *Bagliv. p.* 354. Coctio in morbis non tantum consistit in despumatione morbosæ materiei, ejusdemque a bonis liquidis separatione; verum etiam in debita laxitate canalium, & fibrarum oscillantium, si morbi sint acuti; si autem chronici, in tono earundem naturali, & intentione elateris debita. In acutis namque crispatura, & potens oscillatio viget in solidis; in chronicis vero laxitas, & atonia. *ibid. p.* 485. Duplex coctio in morbis numerari debet; alia ad mitigationem, alia ad evacuationem; quandoque enim satis est noxias humoris morbidi qualitates obtundere, tunc coctus dicitur ut ut nulla evacuatio succedat; imo talis coctio sæpe humorem evacuationi ineptum reddit: huc referenda coctio in morbis solidi. Coctio vero ad evacuationem duplicis iterum est generis: alias enim materiæ morbi crassæ, glutinosæ, tenaci, tenuitatem & mobilitatem conci-

liare debemus antequam expulsionem tentare fas sit; & dum sic attenuatur humor non raro generatur acrimonia, unde patet coctionem ad morbum revera cum coctione ad evacuationem aliam esse. Pluries e contra morbidos humores adeo mobiles & acres deprehendimus, ut sacrum sit evacuantia adhibere, ne, vel levissimo addito stimulo effrenes hinc inde summo impetu vagantes, brevissime irreparabilia damna inducant. Tunc mitiganda acrimonia illa & frenanda mobilitas: species hæc coctionis ad evacuationem, affinis est coctioni ad morbum. Prima cruditas dici posset *cruditas infra evacuationem*; secunda *cruditas supra evacuationem. Tissot febr. bil. p.* 32 *sq.* Omnis concoctio naturæ vincentis opus est, eoque semper securitatem pollicetur. *Paul. l.* 2. *c.* 8. Concoctiones judicationem (crisin) brevi fore & certam salubritatem portendunt. Cruda vero & incocta, quæque in malos abscessus vertunt, aut judicationis cessationem, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem reversiones significant. *Hippocr. lib.* 1. *Epidem. sect.* 2. *n.* 87.

Antiqui, medicamentis quibusdam datis, concoctionem moliebantur; eo quod cruditatem maxime horrebant: deinde eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo sæpius alvum subtrahebant. *Cels. l.* 3. *c.* 4. *p.* 118. Remedia, quibus coctio adjuvatur, consistunt in attenuatione spissi, in lenimine acris, in apertura viarum obstructarum, in roboratione laxi, in laxatione rigidi, moderamine motus. *Boerh. J. M.* §. 1179. Fac, defervescendo detumescat sanguis, sicque trituræ cedat. Quod cum conferant potus & diluentia, ultro sequitur, a potu suc-

cos

cos habere, unde penitius comminuantur. *Hecquet, an potus ægris interdic. l. c.* Non cruda purgare oportet, quod torminibus & animi defectu periclitentur ægri; dein quod frustra id fiat, nam nec medicamento trahenti, nec naturæ expellenti cruda materia cedit, atque æger damnis augetur. *Duret. de purg. hum. p.* 78. In acutis nimirum & inflammatoriis morbis, in quibus nimiam solidorum crispaturam supponimus, si purgantia, diaphoretica, & spirituosa remedia intempestive, id est crudo adhuc existente morbo, nec debita in solidis laxitate procurata, præscribantur; videbis tunc a fluido magnam vim fieri visceribus partibusque internis, & pro partium per quas transit diversitate, diversa oriri symptomata, dolores, inquam, deliria, vigilias, convulsiones, &c. *Bagliv. p.* 312. Si viscera æstus intra se conceptos adhuc validius effundant, si sitis excruciet, si lingua scabra subtorrida, aut in partes hiantes fissa, quantumcunque rudimenta coctionis appareant, & quamvis lene sit catharticum, nefas est exhibere, donec æstus deferbuerit, sedato humorum impetu, quo venæ, & viscera fervent: sed strenue tunc coctioni & mitificationi erit incumbendum. At si nulla sitis excruciet, si ἀνώδυνον & molle sit hypochondrium, si perfusa alvus blando enemate ex sententia dejecerit, in fluida, & sequaci materia, tunc extra periculi aleam medicamentum propinabitur. *Chicot Diss. p.* 45. Conf. *Hippocr. l.* 3. *de morb. n.* 6. Materiæ febrilis *concoctio* nihil aliud revera significat, quam peccantis materiæ a sana separationem. Hanc igitur ut acceleres, non satagendum nescio quibus attemperantibus, sed febris ef-

fer-

fervescentia tam diu permittenda est, quam diu salus ægrorum passa fuerit; cum autem finem spectat, atque declinationem, secretione jam conspicua, tunc quidem calidioribus medicamentis illam a tergo insequemur, ad rem eo celerius ac certius perficiendam. Atque hoc re ipsa est, febrilis materiæ concoctionem promovere; cum evacuationes & refrigerantia moras nectant, & curationem impediant, ipsamque sanitatem jam appropinquanten abigant, uti sæpius a me fuit observatum. *Sydenh. p.* 72. Asclepiades medicamenta sustulit; alvum non toties, sed fere tamen in omni morbo, subduxit. Febre vero ipsa præcipue se ad remedium uti professus est. — Ego autem, medicamentorum dari potiones, & alvum duci non nisi raro debere, concedo. Et id non ideo tamen agendum, ut ægri vires convellantur, existimo: quoniam ex imbecillitate summum periculum est. Minui ergo tantum materiam superantem oportet; quæ naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. *Celf. l. c.* Ventres in morbis medicamento purgante subducere convenit, quinto die ubi concocta fuerint, inferiores quidem ubi materiam consistentem cognoveris (cujus rei signum est, si neque anxietate, neque capitis gravitate ægri divexati fuerint) cumque calores mitissimi fuerint, & ubi post accessiones desierint. Superiores vero, in ipsis accessionibus. Tunc namque etiam ipsi in sublime elevantur, ubi ægri anxietatem & superiorum partium gravitatem sentiant. *Hippocr. lib.* 7. *Epidem. n.* 32. Quibus autem per febres ab initio vertigines & capitis pulsationes adsunt, & urina tenuis, in his expectandum est ut ad judicationes febris ingra-

gravescat, neque mirandum si delirent. Quibus per initia urinæ nebulosæ sunt, aut etiam crassæ existunt, hos, si alia quoque conferant, purgare oportet. Quod si inter initia urinæ tenues fuerint, eos minime purgabis, sed si visum fuerit, per infusum alvum sublues. &c. *de vict. acut. n.* 44. Quum vero in principiis morborum raro adesse soleant humores cocti sive ad excernendum dispositi; ergo nec tunc per evacuantia agere conveniet: nisi tamen motus illorum tam intestinus quam progressivus notabiliter impetuosus id indicet, ad deprimendam ferociam. Illud enim turgere non ideo in morbis obtinere censebatur, quod levior nausea, vomitusve, adesset, aut quod os amaresceret, aut quod corruptus in eo dominaretur sapor; nam citra quidquam horum acuti rarius inchoant (Haen Rat. med. P. 3. p. 7.) sed vero *turgere* ὀργᾷν, unde ὀργασμὸς *turgescentia* vel *turgentia*, proprie dicitur de animalibus libidine titillatis, quando ob concubitus desiderium, impetuosirem agitationem ac commotionem humorum, intensioremque corporis æstum patiuntur, quam ut stare loco queant. Et hac voce huc translata videtur Hippocrates designare voluisse motum aliquem subitaneum in humoribus, qui inflantur & exitum quærunt, vel sunt sese præcipitaturi ad partem aliquam, quales sunt valde mobiles, acres, biliosi: quod cognoscitur, si ægri mox in principio morbi sint inquietissimi cum summa præcordiorum augustia, nausea, ructibus nidorosis, conatu vomendi ac dejiciendi, dolore vago totius corporis, præcipue capitis, frequenti coloris in facie mutatione, pulsu inæquali, & rigore æstum leviter interpellante.

lante. *Rega med. meth.* §. 811. Conf. *Lobb meth. of fev.* §. 310.. *Ettm. oper. T.* 4. *p.* 619. *T.* 1. *p.* 399. *Mich. Villan. de syrup. fol.* 30. Duplex est turgescentia, alia ad molem, alia ad motum. Turgent humores tum crudi tum cocti si copia omnes vel aliquas præpediant functiones: turgere adhuc dicuntur & tunc turgent ad motum quando acrimonia & mobilitate vehementer partes stimulant & irregulares motus cient, utut sæpe parca adsit quantitas. *Tissot l. c. p.* 33. Hinc purgandum esse præcipitur in valde acutis, præsente orgasmo seu turgescentia, eodem die, si quidem morari in talibus malum est, in 4 *aph.* 10. Consentaneum autem est, ut in acutis morbis raro purgante medicamento utamur, quod in principio non sæpe turgeant humores affligentes, neque, si turgeant, ægrotus sit ad purgationem aptus: neque etiam nobis tempus sui parandi accommodatum præstet. Turgere autem dicuntur humores, cum motu vehementiore agitantur, & ab uno loco in alium confluentes, in principio morbi vexant hominem, doloresque ac titillationes affetendo, eum quiescere non sinunt. Hos ergo humores evacuare convenit, eos dico qui in motu, latione, & fluxu sunt: qui vero in aliqua parte corporis jam consederunt, neque ullo alio auxilio, neque medicamento purgante movendi sunt prius quam concocti fuerint: tunc enim naturam etiam evacuationi habebimus adjutricem: hæc enim simulatque humores concocti sunt, eosdem dimovere, idque quod supervacaneum est expellere conspicitur: quo sane tempore crises etiam fiunt. *Oribas. Collect. l.* 7. *c.* 23. *p.* 282. Ergo, casu turgescentiæ excepto, expectabis coctionem crudi

ante quam moveas, juvando naturam, & promovendo coctionem crudorum, per diætam, per pharmaciam, diluentem, incidentem, attenuantem ea, quæ sunt crassa, spissa; quam præparationem indicat ipse Hippocrates 2 *aph.* 9. & 7 *aph.* 70.

At ajunt necessarium esse evacuantia medicamenta in principio præscribere, ut subducta portione materiæ peccantis minuatur morbus, & natura melius incumbat coctioni reliquæ. Hoc tamen contra experientiam est, siquidem evacuationes, quæ per initia, & crudo jam existente morbo succedunt, frequenter suspectæ sunt, & periculosæ; suntque, ut ait Hippocrates, *judicatoria non decernentia*, nam nec morbi, nec symptomatum levamen exinde supervenit, sed major exacerbatio; per irritationem namque fiunt, non per debitam naturæ separationem, idque potissimum cum eradicantia sunt pharmaca. Si igitur natura nunquam movet in principio morborum materiem, crudam tunc, & cum bonis succis confusam, multo minus ars ejusdem interpres & ministra hoc tentare debebit. Quique Medici vel ignorantia, vel odio sectæ contrariæ id tentabunt, quo fortiora, vel purgantia, vel diaphoretica, vel alia hujusmodi medicamenta exhibuerunt, eo majorem inducent in humoribus confusionem, cujus de causa, minima profecto a præfatis medicamentis succedet evacuatio, vel si magna, in perniciem erit, symptomata augebuntur, & morbus vel in longitudinem, vel in interitum desinet. Contra ab iisdem medicamentis, vel minima quantitate datis circa finem coctionis, non solum maxima succedit evacuatio, sed ea cum levamine symptomatum, & patientis. Verum-

rumtamen, ne omnia uno calceo metiamur, fatemur re vera dari nonnullas febres, in quibus, nulla expectata coctione, peccans materies statim eliminanda sit per sudores, aliasque vias naturæ magis accommodatas, tum quia malignitate peccat, & sanguinem ad fatalem coagulationem disponit, unde ex diuturniori ejusdem in humoribus mora mors acceleratur; tum quia ab alimentis pravæ qualitatis, aliisque hujusmodi causis producta forsan fuerit, inter quas numerari possunt Epidemiæ contagiosæ, & malignæ, in quibus omnibus cunctatio perniciosa est, solent enim celeriter ægrotantem jugulare, &c. *Bagliv. p.* 233. Doctissimus *Freind* in *Epist. de purgant. p.* 72. ubi tractat de evacuantium in variolis utilitate, „ Non, „ *inquit*, tam dies curiosius numerandi sunt, „ quam cubantis conditio expendenda: si quidem medicina non ad temporis mensuram, „ sed ad morbi momenta accommodari debet: „ & quo celerius gravia mala corripiunt, eo „ maturius quoque auxilia rapienda sunt ". Hippocrates quoque cruditatem humorum non distinguit ex morbi tempore, sed ex signis propriis cruditatis, quæ in febribus in urinæ tenuitate potissimum consistunt, ea quippe vigente, nullo morbi tempore purgationem admittit. Quod præceptum, ut universale semper est supponendum, quando de purgatione fit mentio. vid. *Martian. p.* 173. Itaque *incipientibus* etiam *morbis*, *si quid movendum videatur, move* : 2. *aph.* 29: maxime missione sanguinis, quia hæc minuit materiam, quæ concoqui debet, ut reliquum facilius concoquatur. Si sint cruditates in ventriculo; optima ratione per vomitum sine mora educuntur veluti tur-

gen-

gentes, nam citius forte corrumpentur quam concoquantur, & ſi concoquantur, venas nimis replebunt. Dein, quæ ad inteſtina ruunt, per inferiora educimus, etiam ante concoctionem, nam ſequimur tunc quo natura vergit. Sed hoc non eſt proprie crudum humorem, ſed excrementa, educere; quare etiam non medicamentis purgantibus draſticis utendum eſt, ſed eccoproticis, emollientibus. vid. *Hippocr. de vict. acut. n.* 7. & 9. In febrium malignarum initio, putridorum humorum illuvies in primis viis ſtagnans clyſteribus frequentibus potius, quam purgante medicamento educenda eſt. Si tamen tanta ſit in prima regione cacochymia, ut clyſteribus ſufficienter educi non poſſe videatur, quod præcipue contingit, quando humores pravi in ventriculo redundant, tumque adeſt ſumma inappetentia, oris amaritudo, nauſea & vomitus, vel quando adeſt lumbricorum copia: utiliſſimum eſt, purgante medicamento eam educere, ut materia morbifica, in venis contenta, poſtmodum commodius edomari valeat. Illa autem medicamenta, primam tantum regionem evacuantia, ex benignioribus eligenda ſunt, vitando vehementia, imo etiam mediocria. Atque adeo uſurpari tuto poterunt caſſia, manna, tamarindi, ſyrupus roſaceus, & de cichorio compoſitus. Vixque licet ad ſennam & rhabarbarum tranſcendere, aut ſaltem non niſi in exigua quantitate, magna urgente cacochymia, cæteris permiſcere. *River. p* 455. Præterea natura ipſa in primis ſæpe morborum acceſſionibus bilem, aut pituitam, per vomitum, & per alvum, ejicit: nefas ergo eſſet, naturæ motus non imitari. vid. *Mich. Villan. l. c.*

Fluxilia per se & ad motum apta, imo urgentia & turgentia, brevi manu expurganda. Turgens materia in febribus acutis maturius per emetica, hinc & per decocta lenientia evacuatur. *Wedel.* Sed vero Baglivus minime largitur necesse esse purgantia in principio exhibere, ut educantur cruditates e primis viis ibidem a cibis nimia copia ingestis cumulatæ, & insignem morbo fomitem subministrantes; siquidem cruditates primarum viarum sponte sua digerantur, vel potius per medicamenta stomachica, & fermentorum digestivam vim acuentia, & roborantia; quum per imprudentem catharticorum usum, in massam sanguinis magis magisque insinuentur, morbusque ita aut augeatur, aut foveatur. vid. *Bagliv. l. c.* Nimirum non in singulis morbis purgationem adhibendam esse in principio monet præclarus vir; at in iis duntaxat, quorum causa primis viis inest, & magnus cacochyliæ apparatus ibidem hærens occasionem magnis daturus est morbis, nisi per prudenter adhibita in principio purgantia subducatur. Eodem tamen tempore, quo purgationi indulgetur, exhiberi vult stomachica, & reliqua quæ crudum humorem primis viis digerant remedia. Et si quædam ad vomendum propensio sit, purganti pharmaco emeticum misceri posse censet. Singulis vero vel alternis diebus præscribit potionem ex decocto senæ, tartari & epithymi cum floribus cordialibus & cinnamomo, addito syrupo de cichorio Nicol. cum duplo rhabarb. & aqua cinnamoni. Post quatuor vel quinque horas a sumpto pharmaco, si purgatio lente progrediatur, clystere utitur ad faciliorem reddendum humorum exitum. Totum

tum præterea ventrem mane & vefperi fovet decoctione calida cichorei, agrimoniæ, rad. althææ, malvæ, & nitri, ad relaxandas magis primas vias, humorem concoquendum, & blande difponendum ad fecessum. Si vero patiens purgationes ferre non poffit ob nimium fractas ftomachi vires, & magnam in vifceribus turbationem a putrefacta cacochylia, tunc fingulo mane clyfteres imperat emollientes, & fi magnus fit humorum cumulus, bis etiam in die, fomentis per totum ventrem ante clyfterem femper adhibitis. Quolibet mane etiam laudat ufum juris pulli cocti cum 12 femin. citri contufis, & cichoreo fylveftri, & cum eo mifcet vel aquam theriacalem, vel elæofaccharum fuum ftomachicum, quod componitur ex effentia citri, fpiritu rofarum & oleo cinnamomi, cujus drachmam unam circiter exhibet fingulo mane cum jufculo. Usque ad feptimum diem clyfteribus, & ftomachicis quotidie utitur. Poft feptimum obfervat denuo, quam periodum, & cum quibus fymptomatis affumit febris, & methodo cuilibet neceffaria occurrit. Inter figna, quæ apparatum humorum in primis viis denotant, fequentia fe obfervaffe tradit. Os valde amarum eft cum quadam naufea horis matutinis. Lingua vifcida, glutinofa, ingrati faporis, cum oris foetore, dentes quoque luridi funt, & confpurcati. Stercora multum foetida, & flatus pedendo emiffi ingenter foetent. Caput aliquando nutat, & gravitat: & fi patiens fupra lectum perpendiculariter erigitur, caput hinc inde nutando gravitat: aliquando caput fere continuo dolet cum gravitate, & pulfatione circa tempora; & dolor exacerbatur

post prandium; & aliquando post coenam aures murmurant cum sibilo. Urinæ naturales vel a statu naturali non multum recedentes. Febres post prandium, & post coenam augescunt, & typum duplicis tertianæ continuæ servant. Calorem in volis manuum aut pedum, & in hypochondriis patiuntur. Vultus pallet: alvus sicca est. Inappetentia moderata. At contra, si vel minima suspicio appareat acuti, & inflammatorii morbi, lingua sit arida, urina crocea, salibusque saturata, calor ingens per totum, anxietas, magna sitis, & omnium siccitas cum metu latentis viscerum inflammationis, a purgatione in principio omnimode abstinendum esse hortatur: eo quod tunc purgatione in principio non solum peccans materia non educatur, cum non cedat quæ adhuc cruda est affectio; sed novo addito impetu, novisque stimulis excitata vehementius effervescat & hinc inde excurrendo, morbum augeat, & symptomata, donec tandem desinat in aliquod viscus, in eoque morbi sedem, aut inflammationem producat. Idem etiam docet Hippocrates *lib. de vict. acut. n.* 36. *Quicunque ea, quæ inflammantur, statim in principio morborum medicamento purgante solvere tentant, ii de intento quidem & inflammato nihil auferunt; non enim remittit affectio, quæ adhuc cruda est; quæ vero morbo resistunt, ac sana sunt, colliquefaciunt. Debili vero evadente corpore, morbus invalescit.* In acutis itaque morbis curatio a sanguinis missione in principio semel, vel pluries celebranda, prout occasio, aut natura morbi postulaverit, incipi debet, juncto clysterum emollientium, aut temperantium usu usque ad septimum, &c. *Bagliv p.* 705 *seq.* Et Hippocrates *lib. de purg. n.* 5. in fe-

febribus vehementibus medicamenta purgatoria exhibere vetat: verum si alicui opus fuerit, infusum per clysterem adhibere permittit, quotiescunque volueris, quia hoc minoris est periculi.

Denique non prætereundum est, interpretes plerosque hunc aphorismum de medicamentis per alvum purgantibus intelligere solummodo, rectius tamen statuere *Sydenhamum*, quod æque in evacuationibus aliis, inprimis vero sudoribus provocandis, quam in subducenda alvo, locum habeat. vid. Ejus *Oper.* *p.* 207. 565. 679. Vocabulum φαρμακεύειν *medicari*, quo utitur Hippocrates, Interpretes stricte, sed male, intelligunt de purgatione in specie, nam *medicationis* vox vi nomenclaturæ non præcise ad purgationem per inferiora restringenda est, sed in genere etiam omnem notabilem, per quæcunque loca convenientia faciendam, aut per vomitum, aut per secessum, aut per urinas, aut per sudores provocandos, evacuationem innuit; in quibus omnibus, cum salutari ægri successu instituendis, necessario *coctio prius expectanda est. Ettm. oper. T.* 1. *p.* 397. Equidem potissima Europæorum Medicorum pars, interque eos Germani, Galli, Angli, principes viri, curam omnium pene acutorum emeticis inchoant, tusa forte prius vena. Hic tamen agendi modus medicinæ antiquitatem minime redolet, faustoque sæpe eventu caret. Hippocrates vomitoria nunquam dedit, nisi vel febris absens esset, 4 *aph.* 17. vel nisi in febribus non inflammatoriis prava in ventriculo materies ita abundaret, ut plane ὀργᾷν censeretur, ac proinde ægrum perpetuis in agitationibus versantem, quovis tum alimento, tum medicamento, frustrare-

 tur;

tur; 2 *aph.* 29. Cæterum in ſynochis putridis, quibus οὐκ ὀργᾷ, quibus non turgeret materies, aut in acutis inflammatoriis, nunquam; 1 *aph.* 24. Interim conſtat in morbis malignis tum vario tempore, tum vario modo, mutationem a generali regula obſervari nonnunquam, hacque Medico cognita etiam medendi modum patere, qui a communi medendi modo ſit diverſus. Sed ſimul conſtat ejusmodi mutationem haud raro præſentem, dum abeſt, dici: unde dandorum emeticorum conſuetudo nimium increbuit, ex principio Hippocratico περὶ τοῦ ὀργᾷν haud bene intellecto. Turpiter namque erraruut Medici, dum, quæ Hippocrates 4 *aph.* 17. de dando emetico extra febrim præcepit, ea ipſis applicuere febricitantibus. Hinc factum, ut in malignis, & non malignis, vomitoria dederint indiſcriminatim, cum eorum rariſſimi ſint, in quibus nauſea, vomituritio, præcordiorum anxietas, os amarum foedumve, plus minus non adesſent. Hoc ipſi *turgere* adpellarunt, cum neutiquam id ita adpellare debuiſſent; ſi enim id *turgere* dicendum, turgebit in omni fere morbo materies; ſcire autem oportet cum Hippocrate plurima non turgere, adeoque raro eſſe emetico utendum acutorum in principio. Solent, ab introverſa perſpirabili materia, enarrata ad præcordia ſymptomata oriri, ſolent aliquando a deglutito epidemicorum miasmate. Vis diluentium & involventium hæc ſtimulantia enervat, expellit; emetica & purgantia turbant naturam totam, nec hoſtem auferunt, quod ille ſubtilior ſit, altiuſve infixus. Plurimi piaculum eſſe credunt emetica in ſtadio inflammatorio variolarum non dedisſe;

se; sed an illi vomituritiones non observaverint eo usque perennare, donec debita fieret exanthematum expulsio? observatur citra data vomitoria conatus illos vomendi silere aut debito tempore, aut sæpe multo ante, si diluentium copia inertem in ventriculo stimulum reddidit. vid. *Haen l. c. p.* 6 *sq.*

Prolixæ præstantissimorum Medicorum in argumento gravi meditationes prolixam effecerunt aphorismi expositionem; quæ omnis tandem eo redit, ut doceamur, ne medicamentis evacuantibus moveamus humores in morbis adhuc crudos existentes, sed ut nunquam non expectemus concoctionem eorundem; minime vero in principio morbi acuti evacuationem tentari debere, quod ut plurimum tunc materia ejus sit adhuc cruda, nisi adsit orgasmus, hoc est, nisi ad excretionem suo impetu ferantur humores non expectata concoctione: quod tamen raro in eodem morbo contingat, & tantum in morbis valde acutis, malignis, epidemiis quibusdam, ac ubi in primis viis magnus cruditatum est apparatus; ita, ut tunc locum habeat præceptum præcedentis *aph.* 21. cum quo præsens omnino cohæret, monstrans inprimis qualia educere oporteat, ne in errores prolabamur promovendo impetus corpori perniciosos, ut ad illum aph. annotatum est.

Multæ quidem & magnæ rixæ de hoc aphorismo doctissimos ac celeberrimos inter viros natæ sunt. Nec eorum quenquam novimus, qui sensum consiliumque Præceptoris probe intellexerit. Jaculati sunt perplures; qui collineaverit, nemo. In trium verborum interpretatione, tanquam in cardine, tota res vertitur: hæc verba sunt, πέπονα, vel πέπονα, i. e.

i. e. *cocta*, quibus opponuntur ὠμὰ, hoc est *cruda*, & ἐν ἀρχῇ, *in principio*. 1°. Non tam de humoribus, quam de solidis corporis partibus intelligenda sunt ὠμά. Istud probatur vel uno hoc loco *lib. de vict. rat. in acut. n.* 36. ubi divinus senex eos vituperat, qui viscerum inflammationes purgatione primum audent aggredi, non solum quia *de contenta parte nihil detrahunt, cum non cedat, qui crudus est, morbus*; verum etiam quia, *quæ sana sunt & morbo resistunt, contabefaciunt.* Non dicit Hippocrates humorem crudum, sed morbum crudum non cedere. οὐ γὰρ ἐνδιδοῖ ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. Insuper, quænam ea sunt, nisi solida, *quæ morbo resistunt, quæ sana sunt, quæ contabescunt?* Hic igitur nihil aliud cruditas est, quam nescia flecti rigiditas. 2°. Ad πέπονα quod attinet, ex præcedenti enodatione inferendum est coctionem esse partium earundem mollitudinem, qua favente, & solida & fluida facile moventur. 3°. Denique, his præmissis non arduum est persuadere, purgationem aphorismo nostro non prohiberi ἐν ἀρχῇ τῆς νούσου, in principio morbi, sed ἐν ἀρχῇ τῆς θεραπείης, in principio curationis. Quasi dixisset Hippocrates, in quovis acuto morbo, sive jam inest, sive imminet inflammatio, pars affecta nimis, initio, plena est, nimis contenta, nimis rigida, quam ut medicamento purganti obtemperare possit, nisi prius fuerit relaxata. Ergo purgatione statim exagitari non debet, sed antea venæ sectione molliri. Vetat igitur Medicorum Princeps inflammationum aliorumque morborum acutorum curationem purgatione incipi; eandem purgatione sæpissime promoveri ac perfici non vetat, postquam, vena bis, ter, quaterve secta, sic

sic emollita est morbi sedes, ut medicamento facile, cum successu & sine periculo moveri possit. *Io Bapt. Du Bois Quæstio med. An colicis figulis venæ sectio? Paris.* 1751. 4°. §. 2. Conferri meretur *Essai sur la conformité de la Medecine des anciens & des modernes*, &c. *par M. J. Barker. à Amsterd.* 1749. 12°. *pag.* 161 *& seq.*

Aphor. 23.

Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐφόρως. καὶ ὅκου δεῖ μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

QUÆ prodeunt copia minime æstimanda, sed ut, qualia expedit, prodeant, & æger facile ferat. Atque ubi ad animi defectionem usque educere oportet, id etiam faciendum, si æger sufficere queat.

EST aphorismus hic truncatus, continuatio doctrinæ in duobus proxime præcedentibus propositæ, desumtus ex *lib. de humor. n.* 3. ubi, immediate textui aphorismi 21 cohærens, integer ita legitur. *Quæ prodeunt, copia minime sunt æstimanda, sed quam diu prodeant qualia oportet, & æger facile ferat. Ubi vero virium debilitatem, aut animi defectionem judicare oportet, quamdiu hoc feceris, aliò vertendum, aut siccandum, aut humectandum, aut revellendum cujus gratia id fit, si sufficere æger possit.*

Duo hic clinico proponuntur Medico observanda: ut ex natura morbi humorum discrimina noverit, quo judicare queat, an, quæ prodeunt, sint qualia oportet, h. e. cum bonis ægri rebus: ut virium ægri habeatur ratio, quia ultra, quam æger facile ferat, non est evacuandum, nec, casu etiam urgente evacuationem ad animi usque deliquium, illa molienda est, nisi vires ægri suffecerint. *Lister.* Prodire autem, qualia oportet, i. e. ad morbi ingenium & naturam accommodata, dignoscitur, non ex quantitate, sed ex morbi diminutione, symptomatumque remissione, quam consequitur euphoria illa amabilis, qua ægrotus sarcina liber, a pondere levis, ab inutili vacuus, non exutus utili appareat. Damno igitur erit evacuatio, si alios a morbido pellit humores. Pro mensibus suppressis, manat uberrime fluor albus; hæmorrhoïdum loco diarrhœa fluit; loco transpirationis insensibilis, sudationum imbres; sanitatis damno jacturæ sunt. *Hecquet.* Præterea vero damnanda est illorum opinio, qui catharticum non bene operatum fuisse existimant, nisi cum prodierit copia muci (qui abrasus est ab intestinis) & æger insigniter debilitatum se sentiat; sanguinis autem semper eam quantitatem educendam volunt, quæ jam animi deliquium inducat. vid. *Rega Meth. med.* §. 824. *Duret. de hum. purg. p.* 82. Conf. notata ad 1 *aph.* 2. ubi agitur de evacuationibus sponte Naturæ fientibus. In morbis, quos quis minime cognoscit, medicamentum minime vehemens potui exhibendum. Quod si inde levior æger evadat, demonstrata via est, & extenuando curatio instituenda est. Sin vero minime levius, sed ægrius habeat, contraria fa-

facienda. Si extenuare minime conducit, tumidum reddere contulerit, crebroque permutare, hoc consilio usus. Quibus in morbis, robusto ægro, quis permutatione utetur, morbo vero debili, tunc quidem audacter valentiore quam morbus est medicamento utendum, ut, quamvis quod sanum est unà cum ægroto educatur, nulla inde sit noxia. At ubi morbum valentiorem, ægrum vero debilem nactus fueris, debilibus medicamentis curatio instituenda est, quæ morbo superiora sint, ipsumque abducant, ægrum autem nihilo debiliorem efficiant. *Hippocr. de loc. in hom. n.* 46. Ejusdem tenoris est alter locus *ibid. n.* 39. cui Cornarius & Foesius contrarium sensum accommodarunt, affirmativam reddentes sententiam, quæ negative legenda est ita: *Non oportet autem debilibus fortia medicamenta propinare*, sed *robustis quidem forte, debilibus vero debile exhibendum est.* Vid. *Martian. p.* 85. Quantitas detrahendi sanguinis ex vehementia morbi & viribus ægrotantis æstimari debet; juxta præceptum Hippocratis: In morbis acutis sanguinem detrahes, si vehemens fuerit morbus, & qui ægrotant ætati florenti fuerint, & virium robore valuerint. — Sin vero detracto copioso sanguine æger debilior videatur, infusum alvi per clysterem tertio quoque die exhibebis, donec in tuto æger fuerit, & fame opus habeat. *de vict. acut. n.* 35. In pulmonum & laterum inflammationibus, si quidem dolor sursum ad jugulum tendat, vel ad mammam & brachium, internam brachii venam secare oportet, ea parte qua dolor affligit, & sanguinem detrahere pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore, plusque & cum majore fiducia, si dolor acutus

tus fuerit, ad animi usque deliquium ducere, postea alvi infusum per clysterem exhibere. *Ibid. n.* 52. Maximum continentium febrium præsidium, si modo vires valentes sint, est sanguinis diminutio, vel usque ad deliquium animi. Primùm namque in contrarium statum agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Hoc vero nihil inveniri possit neque ipsis ægris, nec naturæ, quæ animantes gubernat, jucundius, utiliusve. Postmodum in corporibus ipsis necessario supervenit alvi dejectio, nonnunquam & vomitus bilis. Quas res statim a toto corpore madores sudoresve excipiunt. *Galen. meth. med. l.* 9. Enim vero, deficiente anima, id quod circa genas labiaque rubrum esse solet, in pallidum convertitur; pallet quoque frigetque totus corporis habitus, atque universa cutis sudore madescit. Hæc utique fiunt ob resolutionem fibrarum, supremas arterias stringentium, & lapsum sanguinis ex vasis exilibus: ea autem si contingant arteriis inflammatis, solvitur ilico inflammatio, nec non id genus febrium ardentium, quod a generali fere arteriarum obstructione nascitur. *Glass de febr. p.* 73. Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejusmodi sustinent: celeriusque eâ, qui nimium est pinguis, affligitur. Ideoque vis corporis melius ex venis, quam ex ipsa specie æstimatur. *Cels. l.* 2. *c.* 10. *p.* 78. Ergo febris vehemens, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, Celso judice, sanguinis detractionem requiret. Galenus autem vires, ex venarum pulsu magis quam ex earum specie æstimavit; itaque in hujusmodi morbis, si pulsus valens sit & plenus,

is venam pertundere præcepit *lib. de cur. per sang. miss.* & hoc inprimis venæ secandæ indicium omnes Medici post illum probaverunt. Fallit autem ubi arteria situ profunda est, vel spiratio difficilis, vel caput, vel præcordia morbis opprimuntur. Habet & hæc res multas præterea cautiones, quia venæ, sicut Celsus *l.* 3. *c.* 6. *p.* 129. edicit, sæpe lentiores celerioresve sunt, & ætate, & sexu, & corporum naturâ. Et plerumque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnunquam etiam incipiente febre subeunt & quiescunt, ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo gravis instat accessio. Contra sæpe eas concitat & resolvit sol, & balneum, & exercitatio, & metus, & ira, & quilibet alius animi affectus; adeo ut, cum primum medicus venit, solicitudo ægri dubitantis, quomodo illi se habere videatur, eas moveat. Conf. *Glass. l. c. p.* 68.

APHOR. 24.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι, τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

IN morbis acutis raro, & per initia medicamentis purgantibus utendum, idque diligenti ante adhibita circumspectione faciendum.

HUJUS aphorismi explicatio peti debet ex dictis ad præced. *aph.* 22.

APHOR.

APHOR. 25.

Ἢν, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

CUM purgantur, quæ purgari decet, confert, & facile tolerant; ubi contra accidit, difficulter.

EST hicce aphorifmus repetitio eorum, quæ leguntur in 1 *aph.* 2 & 23. ac idem extat etiam infra 4 *aph.* 3.



HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO SECUNDA.

HIPPOCRATIS
APHORISMORUM
SECTIO SECUNDA.

Aphor. I.

Ἐ'Ν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον· ἢν δὲ ὠφελέῃ, ἐ θανάσιμον.

QUO in morbo ſomnus laborem facit, letale; quod ſi juvet ſomnus, minime letale.

CElſus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. ita expreſſit: *Is morbo facile conſumitur, cui ſomnus dolorem auget.*

Conſentaneum eſt, ut ſi morbus letalis, ſomnum oportere ut laborem faciat: & ſi non ſit letalis, ut juvet: Et ſi non ſit letalis, ut non faciat laborem: & ſi ſit letalis, ut non juvet. At dubitatio eſt, quia in omnibus acceſſionum principiis ſomnus laborem & damnum adfert, quomodo ergo dijudicabimus hoc? Reſpondeo, quod Hippocrates hic loquitur de morbis acutis, in quibus potius adſunt exacerbationes, quam acceſſiones. Alia dubitatio eſt, quoniam in incrementis morborum ſomni laborem adferunt, & tamen id non vetat, quin ægri ſerventur. Verum ut hæc intelligamus, videamus, quid per laborem intelligat Hippocrates. πόνος Græce *labor* eſt, duoque præcipue ſignificat, *dolorem* & *fatiga-*

 tionem,

tionem, ut 2 *aph.* 46. dum inquit: δύο πόνων ἅμα γινομένων, id eſt, *duorum dolorum qui ſimul.* Et rurſus 2 *aph.* 48. ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, id eſt, *cum fatigari cœperit.* In morbis, cum non aſſumatur cibus, aut valde exiguus, non poſſunt contingere ſomni dulces: ſed ſi natura concoquit & perficit, quod tentaverat, melius ſe habet neceſſario homo a ſomno quam antea, ſi non laborem ſentit patiens. Non ergo in acutis ſomni labores in incremento afferre poſſunt, ſi morbus letalis non ſit, quin magis juvet ex alia parte materia benigniore reddita: propterea Hippocrates adduxit iſta duo ſimul, letale & non letale, non fruſtra. nam aliter unum ex alio intelligeretur: ſed ut uno aphoriſmo, qui generaliſſimns eſt, in omnibus morborum temporibus cognoſceremus morituros & ſupervicturos. Si enim labores ſine juvamento apparuerint, morientur ægri: ſi juvamentum ſine labore, ſanabuntur: ſi utrumque, conſiderare oportet quid vincat, & juxta illud ferre judicium. Ita doctrina redditur generalis, nec exceptione temporum opus eſt, & omnibus convenit & dilucida eſt: in qua nihil ſupponimus, niſi ut æger recte regatur, ne cibus negotium illi faceſſat. *Cardan. p.* 115 *ſq.* Non, ſi ſemel æger a ſomno laborem pertulerit, ac delaſſatum ſe ſentiat, ſtatim pronunciandum eſt, letaliter habere; ſed ſi ſemper, aut ſaltem pro majori parte id contingat, id enim humorum pravitatem, qui capiti minantur, ſignificat; e contra vero, ex morbo interire vix poteſt, qui ſomnos per totum morbum placidos, & naturam ſublevantes, qui humorum benignitatem, cum naturæ dominio, & partium principalium optima diſ-

positione attestantur. *Martian.* *p.* 438.

Est somnus nihil aliud, quam quies corporis, sensuumque tam internorum quam externorum cessatio; h. e. in somno naturali & tranquillo integra actionum omnium intermissio animalium est: hinc dicitur mors quædam humanitatis.

Quid mors? æternus somnus. Somnus? brevis est mors. Paling. Zod. p. 172.

Cessatio sensationum fit ab influxu fluidi tenuissimi in nervos & sensoria languidiori, unde hæc flaccescunt, relaxantur, ut actiones & motus objectorum vivide ad sensorium internum, quod in cerebro est, perducere nequeant. Prout itaque ille influxus fluidi nervorum gradu secundum majus est minus diverso impeditus est, eo quoque magis vel minus somnus est profundus & difficilior excitatio. *Hoffm. Med. rat. T. I. p.* 483. Per somnum sanguis ad interiora magis se recipit. *Hippocr. l. 6. Epidem. sect.* 5. *n.* 46. In somno motus humorum est languidior quam in vigilia, eorumque impulsus in vasa lateralia minor, unde secretio ad cutim seu perspiratio Sanctoriana imminuta (non auctior, quod tamen, post Sanctorium, inter alios etiam Hoffmannus & Boerhaave asseruêre); nutritius succus colligitur, & intime partium poris se associat; unde tam animantia quam homines vigiliis emaciari, somno vero roborari & pinguescere videmus. Hinc pulchre Hippocrates 6. *Epidem. sect.* 5. *n.* 16. *labor articulis & carnibus cibus est, somnus visceribus.* Solida enim augentur ac roborantur exercitationibus, sub somno autem melior fit alimentorum coctio, & hinc viscera nutriuntur. Ergo somnus utilis & necessarius corpo-

ri eſt ad inſtaurandas deperditas ſub vigilia vires.

—— *feſſos ſopor irrigat artus.* Virg. 3. Æn. 511. Animadvertimus a ſomno reparari vires, corpora fieri agiliora, & ad ſubeundos labores magis idonea, animum quoque ad præſtandas actiones ſuas inde reddi alacriorem, & univerſum corpus omnem deponere laſſitudinem, unde ſomnus optimum virium pabulum ſummo jure appellari debet. Quam inſigniter enim vires morbo collapſæ per ſomnum reficiantur, optime perſpectum habent, qui gravioribus acutis morbis afficiuntur. Quanto maturius enim ſomni beneficio perfrui poſſunt, eo celerius vires ac ſanitatem recuperant. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 603. Si ergo a ſomno pejus ſe habet æger, turbatum ſe ſentit, id notat ſpaſticas aut convulſorias diatheſes. *Hecquet.* Profundi ſomni neque turbulenti, judicii (ſeu criſis) firmitatem denunciant, turbulenti non ſine corporis offenſione, inſtabiles ſunt & infirmi. *Hippocr. Coac. ſect.* 1. *n.* 220. Somnus laborem facit, tum in actu ipſo, ſudoribus, pavoribus, inſomniis terrificis, interruptione, tum poſt ipſum. *Wedel.* Somnus inductus medicamentis hypnoticis, neque ſalutem, neque mortem declarat, nam omni tempore talis poteſt concitari: experientia docuit in principio acutorum ſomnum hypnoticis inductum raro profuiſſe, quoniam tempus non eſt in quo lentor mutari poteſt in materiem criticam; at ſuppurationis tempore conducit hypnoticis conciliare ſomnum, ut diu fuit obſervatum in variolis, quæ multo felicius curantur, ſi ſuppurationis tempore nimius motus compeſcatur hypnoticis diluentibus. Hinc Papavarina miſcent

fcent pectoralibus in fine peripneumoniæ & pleuritidis. Interdum in chronicis morbis, ex humore tenui & acri natis, aut quibus eſt motus perturbatus, ut in mobilitate & paſſionibus hyſtericis, ſomnus & ſomnifera conveniunt; omnium optime humores tenues ſomno & ſomnifero craſſeſcunt, quod dicitur coctio in his humoribus; & niſi quies inducatur motui perturbato, non ſolet ceſſare paroxyſmus. Ita a priori determinare valemus, num proderit ſomnus, vel damnum ſit allaturus: in noſtra autem opinione firmiores ſimus, ſi peracto ſomno æger ſentiat levamen vel laborem. *Gorter.*

APHOR. 2.

Ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.

UBI delirium ſomnus ſedaverit, bonum.

EXemplo hic declarantur dicta in præcedenti aphoriſmo. Sic ubi ſomnus febrem ſedaverit, aut dolorem, aut ſitim, aut anxietates, bonum. Nam ſtaſes ſanguinis ſublatæ notantur, circulatioque ſanguinis magis expedita facta. Inde contra, ſi delirium auget ſomnus, aut febrem, aut dolorem, aut ſitim, aut anxietates, malum. *Valleſ.* Παραφροσύνη, i. e. *deſipientia*, dicitur phrenitis ſymptomatica a malo aliunde in cerebrum delato in febre, inflammatione, &c. orta a raptu materiæ phlo-

gisticæ in cerebri meninges. *Boerh. aph.* 771. 776. estque nihil aliud, præter variarum rerum nullâ inter se concordiâ, nullo ordine cohærentium, menti exhibitam effigiem, quam simul abnormes, & inconditi corporis motus comitantur & excipiunt. Id est, illa spirituum animalium errabunda motus irregularitas, qua menti diversorum objectorum effigies objicitur, & ad hanc effigiem variæ in corpore perficiuntur operationes, quantumvis ipsa rerum objecta, sensibus revera non obversentur, nec illi motus aut mentis imperio, aut ullo ratiocinantis facultatis consilio, perpetrati videantur. *Mead Oper. p.* 69 Omnibus autem insanientibus somnus & difficilis, & præcipue necessarius est, sub hoc enim plerique sanescunt. *Cels. l.* 3. *c.* 18. *p.* 152. In somno nervi non accipiunt a cerebro tam copiosum, nec tam fortem, ut in vigilia, influxum spirituum. *Boerh. J. M.* §. 593. Inde ergo fit, ut minus incitatas fibras motrices, sopitas spasticas illarum contractiones, placidus magis excipiat humorum circuitus. Constanti enim observatione & experientia habemus comprobatum, omnes illas, quæ animæ adscribuntur functiones, ad quas sanæ rationis, ingenii & phantasiæ vires una cum inclinationibus referimus, secundum naturam & ordinem sese habere, si sanguis justa temperie & quantitate gaudens ad cerebrum delatus per ejus vasa placido, libero & æquabili fertur itinere, adeo ut hac ratione sensus etiam externi, nisi vitium in ipso organo sit, recto ordine succedant; has omnes vero nobilissimas functiones & immutari & pervertí, imminui vel penitus deficere, quando videlicet sanguis & humores a naturali temperie

perie & quantitate deflectentes ad cerebrum devecti non æquabili & moderato, sed valde difficili, tardo & impedito, aut nimis celeri & vehementi motu progrediuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 193. Dicta confirmat *Hippocrates lib. de flat. n.* 20. in hisce: In primis autem in animum induco, ex iis quæ in corpore insunt, nihil magis ad intelligentiam conferre quam sanguinem. Is namque ubi consistente habitu persistit, prudentia etiam constat. Permutato vero sanguine, simul quoque intelligentia concidit. Cujus rei multa sunt testimonia. Ac primum quidem somnus, qui animantibus omnibus communis est, quæ dicta sunt confirmat. Is enim ubi corpus corripuerit, tum sanguis refrigeratur, cùm suâpte naturâ somnus refrigerare soleat. Perfrigerato autem sanguine, tardiores sunt ejus pertransitus. &c. Somnus ut signum & ut causa deliria sedat; ut signum, lymphæ sufficientis, vel minus deficientis; ut causa, spiritibus placide irretitis & placatis. *Wedel.*

APHOR. 3.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τȢ μετρίȢ μᾶλλον γενόμενα, κακόν.

SOMNUS, vigilia, utraque modum excedentia, malum.

CElsus de malis tractans ægrotantium signis, *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. *Pessimum*, ait, *est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim*

ſine continuo delirio eſſe non poteſt. Neque vero ſignum bonum eſt, ſomno ultra debitum urgeri: pejuſque, quo magis ſopor interdiu, noctuque continuat.

Eſt dormire bonum & vigilare, ſed utraque quamvis
Optima ſi fuerint, immoderata nocent.
Rantzov. conſ. valet. cap. 12.

Sopores pertinent vel ad morbos, ſub quibus *comata*, *lethargi*, ſimileſque gravati cerebri affectiones obſervantur; vel ad ſanitatem, quam non raro comitantur in multis juges in ſomnum propenſiones, deſidiæ & membrorum pigrities. Si prius, ſanguinis ad cerebrum fortius evibrati, difficileque remeantis ſignum eſt: ſi poſterius, ſuccorum a tranſpiratione reſiduorum ſuperamenta coacervari illic cogitabis, vel ſolidorum culpa nimis laxorum, vel fluidorum exuperantia, ſeu ſuccorum nutritiorum ingluvie. *Hecquet.* Sopor profundus & altus omnino damnandus eſt. *Hippocr. Coac. ſect.* 2. *n.* 35. ac fortaſſis ſopore tentati ad aliquam convulſionem deveniunt. *ibid. n.* 47. Nimia ſomnolentia oriri ſolet ab omni cauſa, quæ impedit liberum fluxum, & refluxum, ſpirituum bonorum, & ſatis copioſorum, a medulla cerebri per nervos ad organa ſenſuum, & muſculorum voluntati ſervientium, iterumque ab his ad originem horum nervorum in medulla cerebri; eſt quidem hæc cauſa multiplex admodum, tamen referenda facile ad plethoram, obſtructionem, humorum effuſionem, vaſorum compreſſionem, inflammationem, ſuppurationem, gangrænam, inertiam, collapſum ab inanitione, uſum opii & narcoticorum, aromatum, ſpirituoſorum fermentatorum, naribus

bus nimis applicatorum , vel corpori ingestorum , cibos duros , pingues , copiosos , diuque in stomacho hærentes , magna nimis copia ingestos. *Boerh. J. M.* §. 857. Ad exterius corpori applicata, quæ somnolentiam homini conciliant, pertinet etiam aër tum gelidus, tum nimium æstuans. Etenim frigore non solum partes solidæ & fibræ corporis majorem in modum densantur, adducuntur & breviores, rigidæque fiunt, sed etiam ipsi humores coguntur, ita, ut omnis mobilitas iis pereat. facta enim quiete prius somnum, tandemque mortem sequi constat. Ab aëre calidiore humores turgescere incipiunt , quibus & vasa cerebri ita premuntur , ut spirituum transitus impediatur. Qui vero somnum non discutiunt; sed pigri, desidesque ei nimium indulgent, præcipue si consuetudo accedit, tandem insuperabili fere somnolentia & torpore opprimuntur. His enim ex tali desidiosissimo otio enascitur summa fibrarum laxitas & debilitas, humores lenti ac viscidi fiunt, ex quibus ille perfectissimus succus, spiritus, elaborari nequit. Quare tales torpidi ac stupidi fiunt, adeo, ut illis difficile sit somnum expellere. *J. E. Thebesii Diss. de somno ut signo. Lips.* 1741. 4°. Somni longiores calefaciendo carnem colliquefaciunt , corpusque diffundendo resolvunt, & imbecillum reddunt. *Hippocr. l.* 2. *de diæta. n.* 37.

Contrarium nimia seu immoderata vigilia nimio somno vitium, familiare iis inprimis, qui libris impallescunt, quique temporis illa parte abutentes, quam coctionum absolutioni natura propriam fecit, cruditatum cumulationibus se committunt; amplius, nervorum, quos diu-

tius tendunt & vehementius, elaterem violando, neurici fiunt & hypochondriaci. Vigiliæ nimiæ genus aliud eſt ſub acutis morbis, in quibus rapidior ſanguinis motus per cerebrum meat celerius: ſub chronicis ægritudinibus, factus ſanguis acrior, nervos perpetuo vellicat, aſſidueque pandendo arteriarum diametros, ſpaſmodice hiantes tenet, arcetque lenes illas ſanguinis moras, quæ ſomnum invitant aut faciunt. *Hecquet.* Vigilia (nimia) cruditatem facit, alimentum ſubtrahit, laborem adfert, corpus contriſtat, mentem labefactat: propterea facileque furere, atque atra bile vexari iſti conſueverunt. Mediocris autem ſomnus ad alimenti diſtributionem, & ad laborum diurnorum levationem utilis eſt. *Aret. de curat. diut. l.* 1. *c.* 3. In morbis peſſimum eſt, ſi ſomnus neque noctu neque interdiu accedit. Id enim ob dolorem laboremque accidit, vel delirium fore ſignificatur. *Hippocr. Coac. ſect.* 3. *n.* 367. & *Prognoſt. n.* 9. Vehemens vigilia potus ciboſque tum crudos, tum incoctiores reddit. *de vict. acut. n.* 24. Sed cur non etiam mentio fit inſignis ejus noxæ, quam a vigiliis oculi perpetiuntur? Certe hoc ipſum ſatis aperte demonſtrat, quantum *Hippocrati* ſemper contractior ſtylus adlibuerit, cum nulla ſit alioquin frequentior Studioſorum querela, nulla quam vel ægrius ferant vel minus caute diſſimulent affectio; *vides*, inquit Magiſter quidam apud A. Gellium, *oculos meos ægros aſſiduiſque lucubrationibus prope jam perditos;* & Horatius dum ſomniculoſum Juvenem increpat l. 1. Epiſt. 2, 37:

- - - - *Nam cur*
Quæ lædunt oculos feſtinas demere &c.

Ut

Ut nihil hic attineat, aut noctem quod oculis noceat a nocendo dictam afferere, aut Salernitanorum versus Leoninos in testimonium producere, in quibus, postquam multa retulerunt oculis quam maxime contraria, ut balnea, Venerem, piper, ventos, pulverem, fumum, laborem, & similia, in hoc tandem conveniunt, quod

Ista nocent oculis, sed vigilare magis.

Naud. matut. stud. p. 71 *sq.*

Vigilia, somno opposita, dicitur ille status corporis, in quo & ipsum cerebrum & nervi atque sensoria fluido tenuissimo turgent, ejusque liber & sufficiens adest influxus, unde fibræ ac membranæ tensæ ac rigidæ manent, ut objecta externa in eas agant hasque actiones anima percipiat. Quodcunque itaque sanguinis cursum celerem per vasa capitis & cerebri efficit, & fibras in motu & actione conservat, id quoque vigiliam assiduam efficit: quo pertinent cura & continua animæ actio in affectibus, nec non profunda & intenta cogitatio, aër valde siccus & simul calidus, potus calidi, ut herbæ thee, caffee, medicamenta acria, volatilia, ingens calor & æstus corporis in febribus, concoctio difficilis, cibi salsi & acres. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 485. A diuturnis vigiliis corpus tum vitalibus tum animalibus spiritibus exhaustum redditur; manent igitur, ex languidis redditis functionibus naturalibus, cruditates in visceribus; sequitur nausea, vomitus; actiones ventriculi atque intestinorum læduntur; appetitus imminuitur, depravatur; præparatio humorum ex chylo & sanguine turbatur; oriuntur febres; nutritio ipsa impeditur; motibus vitalibus citatioribus corpus de-

destruitur; solida rigida fiunt, atque debita mobilitate destituuntur; excretionibus perdurantibus, inprimis majori facta perspiratione insensibili, humorum copia nimis aufertur, ac corpus extenuatur; cacochymiæ, cachexiæ, acrimoniæ varia genera nascuntur; corpus ponderosius fit quoad sensum ægri, licet levius factum sit quoad stateram, prius ab imminutis viribus, posterius ab auctis excretionibus proficiscitur. Ex quibus recensitis malis imminentibus alia fere innumera symptomata sequi possunt. Animi quoque vires quantopere frangantur, quilibet facile intelligere potest. *Thebes. l. c.* Febribus semper corripiuntur homines in locis ab hoste obsessis, qui vigilias perpetuas agere coguntur. De delirio a vigiliis, *Boerh. aph.* 772. Ab iisdem atram generari bilem affectionesque inde pendentes, *ibid.* 1093. 1108. De cephalalgia atque amaurosi ex nimiis vigiliis orta, quæ tamen beneficio salivationis mercurialis feliciter sublata fuit, extat in *Eph. N. C. vol.* 4. *obs.* 137. Tandem etiam notatu dignum est, quod somnus eo fiat impeditior, quo diuturniores præcesserint vigiliæ; nam hæ benignos humores consumunt, acres vero calidas particulas in sanguine cumulant, quæ cerebri fibrillas continenter solicitant. *Hoffm. l. c. p.* 613.

Ad quæstionem, quantò tempore hominem sanum somno indulgere conveniat; & an semel quotidie noctis tempore, an meridianus etiam somnus indulgeri possit? difficilis est responsio, quæ omnibus ex æquo satisfacere queat. Teneris infantibus longiori somno opus esse & crebro, omnes noverunt: pueris, quo magis

gis adolescunt, somni necessitatem minorem reddi, ut semper tamen longiori, quam viri, somno indigeant: experientia discimus. Sunt Medici, qui sex horas somno indulgere satis putant. Aliqui septem horis somnum describunt: sunt etiam qui octo requiri, ad reficiendum hominem studiis literarum deditum, contendunt. Quo minus autem securi in definiendo somni tempore esse possimus, facit admodum diversa temperamentorum conditio. Sunt homines qui plurimum cibant & non minus alacriter laborant, & quod magis est, non corporis sed animi viribus, in gravissimi momenti occupationibus, strenue versantur, qui tamen ultra fidem pauco somno sufficienter recreantur. Sunt alii minus robusti & vividi, qui delassari se nimis cito sentiunt, & somnum longiorem requirunt. Optime igitur faciunt, qui in se ipsis explorant, quantum natura sua requirat. Quo quisque tamen plus laborat, pluribusque rebus animi sui vires occupat & distrahit, eo justius somno multo se recreabit. Qui vero totis diebus parum occupantur seriis, & nec corporis vires ullo labore atterunt, quo magis somno se permittunt, eo segniores tardioresque evadunt; & corporis quidem sarcinam satis cito contrahunt, qua ignobilis animus magis deprimitur; vix autem laudabilem habitum corporis & inculpatam valetudinem diu tuebuntur. Talibus igitur consultius est somno aliquid detrahere, quam illi indulgere. *Schulz. Rer. n. nat.* §. 20 *sq.* Neque omnibus malum, neque omnibus salutare est, si somnus studio intercipitur. Sanitati consulunt ii, si plus vigilant quam dormiunt, qui nimio somno prægresso usi

usi fuerunt, qui in aëre frigido atque humido, qualem autumnus atque hiems adfert, vivunt, quo solida laxari & succos frigidos reddi constat; qui pituita & sero abundant, cacochymia, cachexia atque hydrope laborant, in quibus tardior humorum motus lentorem & majorem ad somnum proclivitatem gignit. Non sine graviori noxa somnum arcent, eoque parciori utuntur ii, quos deficiunt humores laudabiles, ac siccior est temperies, qui in aëre sicco calido vitam degunt, fibra rigida laborant, excretiones vehementiores perpessi sunt, qui spiritibus carent. *Thebes. l. c.* Sufficientis somni signum præbent corpus agile, mens alacris, neque ulterior in somnum propensio. *Hoffm. l. c. p.* 604. Et hujusmodi somnus Tertulliano audit recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, & Medicus laborum. Vid. *Fritsch Gesch. P.* 1. *p.* 361. Longiores somni indicant succos frigidos; breviores, iique variis imaginibus inquieti & turbati, calidos & mordaces. *Galen. de sanit. tuend. l.* 4. *c.* 4. Debiles stomacho, natura sunt somnolenti; mane vix evigilant, imo nunquam somno satiarentur matutino, potissimum quando vesperi replentur victu copiosiore. Sunt pariter debiles, languidique corpore, facie aliquantum pallidi: & quod primum est, maxime somnolenti: & si non dormiant quantum stomachi debilitas postulat, pessime habent, morbisque quamplurimis fiunt obnoxii. Sinendi itaque sunt ut dormiant, præcipue si pueri sint, aut juvenes. *Bagliv. p.* 476. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto surget: qui parum, quiescere debet; &, si mane surgendi necessitas

ſitas fuerit, redormire. Qui non concoxit, ex toto conquieſcere, &c. *Celſ. l.* 1. *c.* 2. *p.* 22. Qui poſtridie cibos eructant, & quibus præcordia, nimirum cibis non concoctis, attolluntur, iis longior ſomnus confert. *Hippocr. de ſalub. vict. rat. n.* 12. Somnus item conducit multus melancholicis; *Boerh. aph.* 1097. 1103. podagricis; *ibid.* 1075. & conciliandus eſt vulneratis; *ibid.* §. 202. Quod ad ſomni rationem attinet, quemadmodum a natura nobis eſt conſuetum, interdiu quidem vigilandum, noctu vero dormiendum. Quod ſi illud immutatum fuerit, deterius exiſtimandum. *Hippocr. Prænot. n.* 9. & *Coac. Sect.* 3. *n.* 365. Quod denique ſomnum concernit meridianum: non audiendi ſunt, qui eum omnino tanquam perniciosum damnant in omnibus naturis; tantum enim abeſt, ut aliquibus perniciosus ſit, ut quandoque etiam maxime ſit neceſſarius. Nam pituitoſis, ſi plurimis ſunt hi uſi cibis, etiamſi tali ſomno non ſint aſſueti, pauxillum dormire non nocet, præcipue ſi capite non ſint imbecilli: calore enim tunc per ſomnum ad interiora revocato, coctio fit melior, ut Galenus docet. *Valverd. ſan. tuend. p.* 99 *ſq.* Somnum meridianum viris, qui per multas occupationes toto die verſare ſuum animum debent, minime ereptum imus, præcipue ſi imbecilli ſunt ſtomacho, & huic quietis generi aſſueverunt. *Schulz. l. c.* §. 21. Somnus meridianus unica hora continuatus Literatis, inprimis debilioribus, non exiguum uſum præſtat; quoniam ſub eo, abſtrahendo a ſenſatione, ac reliquis animi curis, functiones naturales, concoctionis, chylificationis, ſanguificationis &c. melius ſuccedunt: ſuadendus interim eſt non ſta-

tim

tim finito prandio, ne confestim massa cibaria concoquenda in primis concoctionis initiis, necessario quodam motu destituatur. *Alberti de præserv. Liter. morb.* §. 16. In extrema senectute eadem est ratio cibi, & somni; quia frequens esse debet, & refectio, & dormitio, sed brevis & pusilla: quin etiam ad ultimam metam senectutis, mera quies, & perpetuus quasi decubitus prodest, præsertim temporibus hiemalibus. *Baco Hist. V. & M. p.* 109. De meridiano somno generatim considerato aliqua adhuc annotanda occurrunt; siquidem omnes ad unum fere Medici ipsum adeo suspectum habuere, ac noxium pronunciarunt, ut vix aliud quidquam eo nocentius existimasse videantur. Equidem Hippocratem docuisse, meridianum somnum totum corpus atque adeo animam ipsam perturbare & gravissimis subjicere periculis, scribit Ronsseus: textum tamen ejusmodi apud illum invenire hactenus non potui. Interim scire convenit, quod, qui meridiari prohibent, naturæ nequaquam (ut Medici officium est) inserviant, aut obsequantur, verum eidem vim inferant. Siquidem si omnia animalia natura duce a refectione, maximo cum emolumento, & quiescere & dormire videamus, credendum omnino est hominibus non minus utilem, quam brutis animantibus, somnum a sumpto prandio futurum. Nam qua arte, quibus technis, qua tandem ratione demonstrare poterunt, meridiari malum esse, quando quotidiana experientia compertum habeamus, brutis animantibus, ad corporis incrementum, animaliumque facultatum robur meridianum somnum plurimum conducere? Quod si brutis prodesse concedamus, non poterimus non fateri

teri eundem quoque hominibus fore utilem: ſiquidem, ſi cum animalibus reliquis, naturales, ac animales facultates habemus communes, neceſſe eſt in utriſque eaſdem ſimilibus & conſervari, & augeri, & lædi. Quod ſi ita eſt, concedendum erit, nihil eſſe quod magis ad hanc rem faciat, quam a moderata cibatione tempeſtivum ſomnum: hic etenim calorem innatum refocillabit, concoctionem adjuvabit, & corpus diſtributioni humorum præparabit, & facultates animales cum naturalibus firmiores, ac vegetiores reddet, tantum abeſt ut aliquam ſecum adferat noxam; eſt enim capiendi ſomni tempus opportuniſſimum, vel ipſo Paulo auctore *l.* 1. *c.* 97, a cibo; & ſi opportuniſſimum omnino eſt, non poteſt non commoditates plurimas ſecum adferre, quas ſigillatim recenſuit Paulus, ciborum concoctionem, dolorum lenimen, laſſitudinis ſolamen, animi ægritudinum oblivionem, tabidi & exhauſti corporis refectionem, animi confortationem, ac mentis clarificationem. Hinc factum eſt, ut omnibus ſit in ore verſiculus ille, *Menſibus eſt quibus R, noli dormire magiſter.* Hinc quoque Celſus *l. c.* longis diebus meridiari concedit, ſed *potius ante cibum, ſin minus, poſt eum.* Quid? quod & Hippocrates *de diæta l.* 1. *n.* 36. „ Confert, ait, æſtate interdiu „ ſomno uti breviore quam multo, uti ne cor„ pus ab anni tempore reſiccetur"; ac *l.* 3. *n.* 8. æſtate utendum eſſe vult potibus mollibus, albis, aquoſis, prandio modico, & ſomnis a prandio brevibus. Siquidem cum æſtate, propter circumſtantem extrinſecus caliditatem, innatus noſter calor diſſolvatur, atque diſſipetur; utile eſſe cenſuerunt, eidem fomitem

quemdam subministrare, ac concoctionem per somnum promovere. Nam apoplexiæ, oscitationes, pandiculationes, vertigines, stomachi rugitus, diuturni capitis dolores, quæ meridianum somnum magna ex parte subsequi dicuntur, non tam accepta ferenda sunt somno, quam copiæ ingesti cibi, aut ipsi alioqui crapulæ: videmus enim eos, qui ad satietatem usque cibos ingerunt, etiamsi non adsueverint meridiari, omnibus his ocyssime adfici: ac rursus eos, qui sobrio ac parco contenti prandio, concoctionem meridiatione promovere, pancreatice vivere, cibos concoquere, vigere sensibus, & a quam minimis impeti malis. Si igitur sanitati tuæ consultum voles, prandio nonnihil demas, ac deinde post jucundam cum convivis confabulationem, somno te des: nam & Hippocrates ipse *de Diæta l.* 2. *n.* 37. *Somni*, inquit, *post cibum calefacientes humectant*, *alimentum in corpus diffundendo.* Abstinendum tamen est a promeridiano somno hyberno potissimum tempore, atque sub finem autumni. Quum enim ventres hyeme & vere natura calidissimi, ac somni longissimi sint (*aph.* 15.), ad ciborum concoctionem satisfaciet somnus nocturnus; nam & noctium longitudo, & temporis constitutio ad promovendum somnum plurimum faciunt. Vid. *Ronssei Epist. n.* 19.

APHOR. 4.

Οὐ πλησμονὴ, ὐ λιμὸς, ὐδ᾽ ἄλλο ὐδὲν ἀγαθὸν, ὅ τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

Ne-

Neque satietas, neque fames, neque aliud quippiam bonum, quod supra naturæ modum fuerit.

Celsus *l.* 1. *c.* 2. *p.* 23. de imbecillis agens, *Nunquam*, inquit, *utilis est nimia satietas, sæpe inutilis nimia abstinentia.*

Ut peccat, stomachum qui mole gravavit iniqua,
Sic plerumque nimis continuisse nocet.

Hessus p. 28.

Omne nimium naturæ inimicum esse, docere vult Hippocrates. Id exemplo somni & vigiliæ in præcedente aphorismo, nunc vero famis & satietatis declarat. Quod si re vera, quemadmodum existimant, quæ quidem sunt valentiora læderent, quæ vero imbecilliora, tum ægros, tum sanos juvarent & nutrirent, res facili negotio conficeretur. Longe enim tutius ageretur, si res ad imbecillimum deducatur. At nunc non levius peccatur, neque minus læditur, si quis pauciora & infra modum assumat. Fames enim plurimum potest in hominum natura, tum ad sanitatem & imbecillitatem, tum ad mortem inferendam. Multa vero alia mala & varia quidem ex plenitudine oriuntur, neque vero minus gravia ex inanitione. *Hippocr. de vet. Med. n.* 15. Cum multis cibis multum etiam spiritum ingeri necesse est. Nam cum omnibus his, quæ eduntur aut bibuntur, spiritus aut copiosior, aut paucior subit. Atque id inde manifestum est, quod eructationes plerisque post assumtos cibos & potus accidunt, nimirum cum inclusus aër recurrat, ubi bullas in quibus latet perfregerit. Quando igitur corpus cibis expletum

fuerit, tum ſpiritus quoque magna copia accedit, diutius immorantibus cibis, qui quidem, cum præ multitudine exire nequeant, diutius immorantur. *lib. de flat. n.* 9. 10. Cordi autem & corpori ubi ex cibis ac potibus plus æquo ſufficiens ſanguis acceſſerit, reliquoque humori admixtus fuerit, niſi per ventrem aut veſicam reliquo humori permixtus exierit, corpori dolorem exhibet. *lib.* 4. *de morb. n.* 10. In quibus cibi labores ſuperant, paulatim collecta repletio exiſtit. Nares a coena citra cauſam manifeſtam implentur, & plenæ eſſe videntur, nihil tamen emungunt. Cum vero mane deambulare & exerceri coeperint, tum mucum & ſputum rejiciunt, procedenteque tempore palpebras etiam graves habent, frontem pruritus occupat, cibis abſtinent, potumque minus appetunt, habitus color deperditur, & aut deſtillationes, aut febres cum horrore excitantur, quocunque tempore repletionem commoveri contigerit. *lib.* 3. *de diæta n.* 13. At quibuſdam, ubi labores a cibis ſuperantur, iſta contingunt. Cum plenitudo quidem incipit, ſomni longi & ſuaves ipſis obveniunt, & interdiu etiam dormiunt. — Cum vero corpus plenitudinem amplius capere non poteſt, ambitus vi ſecretionem intro jam remittit, quæ alimento a cibis provenienti obviam facta, animum perturbat. Tunc non amplius ſuaves ſunt ſomni, ſed hominem perturbari neceſſe eſt, ſibique pugnas committere videtur. *ibid. n.* 15. Plura alia ſigna & effectus repletionis recenſentur ibi uſque ad finem libri; quæ cuncta huc redeunt. Ventriculus nimis repletus, extenſus, non poteſt ſe contrahere, adeoque non digerere ingeſta, & quo plus impletur,

eo minus evacuatur, sed constringitur, unde cruditas, corruptio, ructus, nausea, cardialgia, vomitus ac lienteria; a compressis vero arteriis coeliacis, aorta, mesentericis, circuitus humorum factus perversus sanguine inferiores corporis partes orbat, vasa autem ad superiores partes nimium replet, unde isthinc pendentes solent oriri morbi, dyspnoea, vertigo, apoplexia, & cætera a sanguinis copia nimia pendentia mala. At vero a deficiente nimium cibi quantitate, vires corporis evadunt debilitatæ pro rata, ut vis vitæ est valida, dissipatio humorum magna, ac ut defectus alimenti diutius protrahitur. Etenim ubi sanguis novo chylo de alimentis parato amplius non reficitur, carens blando, demulcente, humore, actionibus vitæ interea perennantibus, solidæ partes corporis deteruntur, destruuntur, consumuntur, humores evadunt acriores, rodentes, putrefacti; unde anima foetens, ructus, nausea, animi deliquia; ingens & atrox appetitus, & mox idem integre prostratus; postea immanis sitis, siccitas, debilitas, cum torminibus & borborygmis; vomitus biliosi, cum insigni macie, & pervigiliis; tandemque epilepsiæ, febres furiosæ, mors. Docent hæc canes ad catenas magnam perpessi famem.

Est modus in rebus: sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Horat. 1 Sat. 1. ỳ. 106.

Modum autem, neque pondus, neque ullum alium numerum, ad quem ista referas, ut exacte cognoscas, non ullum alium invenias, quam corporis sensum. *Hippocr. de vet. Med.* n. 16. Copia cibi optima cuique, quam sequi-

 tur

tur sensus refectionis, non torporis. *Boerh. J. M.* §. 1039. Labores, cibi, potus, somnus, res venereæ, omnia mediocria. *Hippocr. 6 Epidem. sect. 6. n. 6.* Quæ est illa laudata in victu mediocritas? Valetudinem excolunt citra satietatem cibis vesci, & impigrum esse ad laborem. *ibid. sect.* 4 *n.* 41. Si quis pauca edat, & pauca bibat, nullum ei morbum adfert. *l.* 4. *de morb. n.* 10. Hæc est autem ciborum offerendorum occasio, ut ea copia exhibeantur, quam corpus superare valeat. *de loc. in hom. n.* 54. Celsus *l.* 1. *c.* 1. *p* 21. præcipit *modo plus justo, modo non amplius assumere : & semper quamplurimum cibum, dum modo hunc concoquat.* Nam cavere vult, ne quis consuetudini cuipiam se nimis religiose adstringat. Loquitur autem de perfecte sanis; qui, dum accipiunt quantum possunt coquere, non ad satietatem, sed ad mediocritatem accipiunt. Respondeat copia cibi labori: ut, quantum perdideris, reparetur. *Cibi enim & labores adversas inter se facultates, mutuo tamen ad sanitatem conferentes, obtinent. Labores namque ea, quæ adsunt, consumere solent, cibi vero & potiones, quæ vacuata sunt, explent. Hippocr. l.* 1. *de diæta n.* 2.

Non est mandendum sano, nisi sciverit ante
Ingestos ventrem devacuasse cibos.
Nam damnum credat, quo vix præsentius angit,
Quando indigestis additur esca cibis.
Neque cibum tardet, dum vult curasse salutem,
Nam vacuus venter phlegmata crassa trahit.

Pictor. san. tuend.

In dictis hactenus manifestum est, supponi aphorismum loqui de alimenti copia nimia vel nimis parca a sanis ingesta; quod plerisque pla-

placet, favente opinioni loco parallelo Celsi adducto. Aliter sentit *Gorterus*, existimans sermonem esse de fame in morbis deleta, eademque nimia; per satietatem intelligens illum ægri statum, in quo si corpus præcedentia ingesta alimenta omnia subegit, ita ut, si fuisset sanus, nunc debuisset esurire, attamen, quamvis nihil alimentosi sit in corpore, talem sensum percipit ac is qui satur est, h. e. cibum non appetit, aut, si parum ingerit, statim satur est: id quod pendeat a muco nimio ventriculi latera obducente, vel bilis inertia, cum alimenti defectu in ventriculo & chyli in sanguine, quare homo non solum satur videatur, & minima ingesta alimenti quantitate oppletus, verum etiam multo difficilius ingestum cibum in bonum chylum convertat. Sic vigente morbo acuto semper minor est fames, quam in sanis, si æger vero nihil appetit, sed semper satur sibi videtur, multo pejus est, quam si alimenta petit: sic quoque in morbis chronicis satietas illa mala est censenda, quia declarat famem deletam esse, vel quod ventriculus pituita scateat, vel bilis sit iners, unde tunc ingesta alimenta imperfecte cocta causam morborum chronicorum fovent. Contra vero fames in acutis tanta, qualis sentitur in sanitate, modum excedere dicitur, quia corpus debilius non valet mediocrem alimentorum quantitatem concoquere, sed permittit, portionem manere crudam, vel abire in spontaneam corruptelam: in chronicis autem morbis melius quidem est, si fames modum excedat, quam si sit deleta; interim tamen non est bonum nimia fame laborare, quoniam talis non fit ex sanitatis causa, & corpus ex ægritudine

 debile,

debile, multitudine alimentorum onuſtum, in graviorem ſolet incidere morbum. Paulo itaque minus, quam in ſanis requiritur, eſt ingerendum, licet fames plura exigat, & interim nimiæ famis cauſa eſt curanda. *Gorter.* De ultima aphoriſmi particula, *neque aliud quicquam*, conſule dicta ad 2 *aph.* 51.

APHOR. 5.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

Laſſitudines ſponte obortæ, morbos prænuntiant.

Protinus timeri debet, ſi graviora membra ſunt; ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumve corpus laſſitudinem ſentit. Celſ. l. 2. c. 2. p. 48.

Non aliud morbi mortiſque inſtare periclum
Certius affirmant Medici, quam cum integra viſu,
Luxurianſque valetudo, ſine vulnere cauſæ
Ullius, nulloque vigorem fracta labore
Sponte fatigata atque labans ſibi diſplicet ipſi.

Coulej. p. 316.

κόπος ſeu laſſitudo eſt totius corporis omniumque artuum quaſſatorum moleſtia, per quam neque ipſi quieſcere, neque moveri poſſunt vel minimum, ſine laſſitudinis ſenſione. Sed ut illius τοῦ κόπου duæ ſunt cauſæ, labor & otium: ita & febrium, quæ inde κοπιώδεις dicuntur, duo genera quoque exiſtunt. Sunt enim quædam a labore ardentes, ab acribus & biliosis ichoribus intro in venas attractis: ſunt etiam

sic nominatæ, quas parit suppressio excrementorum, quæ in peculiari cujusque natura redundare consueverunt; ac fere in vetustatem incidunt febres hujusmodi Κοπιώδεις. *Duret. in Coac. p.* 19. Lassitudo spontanea distinguitur ab alia, quæ oritur a causa manifesta, qualis fuerit labor, quæ nempe traxerit originem a nimio motu membrorum & quietem indicat magis quam morbum, de qua agitur lassitudinis specie 2 *aph.* 48. Sponte veniens lassitudo indicat impeditum humorum per partes fluxum; a quibus cumulatis gravatæ pressæque partium fibræ, in oscillando segnescunt, musculorumque tardant motum. Causa proxima spastica diathesis in illis; antecedens repletio utplurimum. Manifestant vero se spontaneæ lassitudines in cute & viscerum involucris, quæ tota membranea sunt, & interceptam denotant transpirationem: nam in cutem innumera desinunt transpirationis secretoria, quæ obstructa ubi sunt doloris sensum quendam excitant, qui est illa lassitudo. Orientur ergo morbi primum ab impedita transpiratione pendentes. *Hecquet.* Hippocrates ad fluxiones a suscepto frigore referre videtur, quando *lib. de loc. in hom. n.* 18. ita loquitur: *Eos, qui a frigore bile vexantur, lassitudo eam ob causam detinet; quod carnes bene habitæ minime quiescunt, sed concutiuntur, concussæque molestia & lassitudine tentantur, non secus ac ex via concussæ.*

Veteres spontaneam lassitudinem non sine ratione diviserunt in *squalentem*, *laboriosam*, *ulcerosam*, *tensivam*, *phlegmonosam*, ex adjunctis symptomatibus causas lassitudinis indicantibus. 1. Qui in membris citra labores prægressos observat lassitudinem cum cutis colore squalido, hæc signa satis denotant,

ex cacochymia vel cachexia hanc generari lassitudinem: atque ita formatur curatoria indicatio, nos debere anticacheॆcticis hanc discutere lassitudinem, corpus esse movendum atque fricandum. Talis lassitudo mane surgenti solet sentiri major, atque moderato labore levatur, quia id crudum aucto motu solvitur & expellitur, sed somno & quiete magis accumulatur. 2. Lassitudine autem pressus si ne quidem per momentum in eodem situ manere potest, sed continuo præ anxietate membra hinc inde jactat, uti fit in febre laboriosa, talis lassitudo periculosissima est, nam lassitudine constat virium defectus, & ex inquietudine, organa vitalia affici, hominemque anxietate urgeri. 3. Molesta vero sensatio in membris, quem ad modum in membris ulceribus obsessis, cum lassitudine tunc observatur, quando ex materia purulenta, per corpus dispersa, generatur lassitudo; sæpe etiam in scorbuto & cacochymia in acrimoniam conversa. Talis ergo lassitudo si sit ex pure, quietem exigit ac medicamenta, quæ puris corruptelam inhibent: in chronicis autem antiscorbutica & diaphoretica præcipua sunt. 4. Ex humoris abundantia æque, quam ex diminutis viribus nascitur lassitudo, sed quia copia major non solum inducit lassitudinem, verum etiam impletionem, inde plethorici lassitudine tensiva laborant, quæ facta naturali vel artificiali evacuatione evanescit: ita unica instituta venæ sectione vel superveniente alvi fluxu tollitur sæpe vernali tempore lassitudo. 5. In febribus acutis, ardentibus, inflammatoriis frequentissime observatur phlegmonosa lassitudo, quia aucta circulatione & compacto lentore diminuti sunt spiritus,

sed

sed irritamento concitatus motus vitalis non desinit urentem calorem in corpore producere: admodum periculosa est hæc lassitudo, antiphlogisticis curanda. Omnes species spontaneæ lassitudinis ex morbosa oriri causa, jam satis constat; ergo non est ambigendum quid denotet *morbos prænunciant*, nempe lassitudines illæ semper oriuntur ex latente morbosa causa. Hoc declarant multi si sine labore corpus sentiunt lassum; ajunt, morbum expecto, nam plus solito sum defatigatus. Hoc non est sine ratione, nam lassitudo semper indicat minorem agendi potentiam, qua ingesta alimenta nova non satis subiguntur, & quæ sunt evacuanda, retinentur, ipsique boni humores ex laudabili statu recedunt, ita ex his corruptelis inductis per motum infirmiorem varii nascuntur morbi. Ut igitur præveniantur morbi, spontanea lassitudo est curanda. *Gorter.* De lassitudinis specie illa, quæ fit per morbos, vid. 4 *aph.* 31.

APHOR. 6.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

Quibus pars aliqua corporis dolet, neque fere dolorem sentiunt, iis mens ægrotat.

Apud Celsum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 62. hic aphorismus ita expressus est: *Quibus causa doloris, neque sensus ejus est, his mens laborat.*

Hoc

Hoc eſt, qui magnam partem morbi, quo laborant, non ſentiunt, iis mens laborat; & convertendo: qui delirant, vel phrenitide laborant, morbum ſuum non ſentiunt. Confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia. *Hippocr. de alim. n.* 4. Unaquæque vero corporis pars altera alteri, cum hinc vel illinc perruperit, ſtatim morbum facit, venter capiti, & caput carnibus ac ventri, & reliquæ omnes eadem ratione, quem ad modum venter capiti, & caput carnibus ac ventri. *de loc. in hom. n.* 2. Hinc ſi quis aliqua corporis parte laborans morbum non ſentit, ei mens laborat. Intelligentiæ autem cerebrum internuncius eſt. *de morbo ſacro n.* 17. Senſorium commune eſt in cerebro: ſi ergo hoc non afficitur, vel minus debito afficitur ab eo quod in corpore moleſtum eſt, abſentia hæc ſenſus arguit mente laborare hominem, quia cerebrum laborat non recipiens ab nervis, ſenſus inſtrumentis, impreſſionem. Confirmat id quotidiana experientia exemplo delirantium. Laborat autem mens, tum quæ morbum graviſſimum levem vel plane non æſtimat, ac minorem; tum quæ dolorem vel aliud malum externum obvium non ſentit, quæ objecta non æſtimat triſtia, dolorifica, læta, ſupina, oſcitans, confuſa, præoccupata, turbata. Periculoſiſſime ægri degunt, qui in periculo verſantes nec ægrotare ſe credunt. *Wedel.*

APHOR. 7.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτηνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Attenuata longo temporis intervallo corpora, lente reficere oportet; at quæ brevi, celeriter.

Vult auctor, quod non queat celeriter refici, quod longo tempore extenuatum eſt, ſed quod requiratur, ut lente, exiguo nempe cibo, ſenſim aucto, appoſitio fiat. Qui vero brevi erit extenuatus, poterit copioſiori cibo frui, & inde celeriter refici. *Valles*. Qui igitur a longis ægritudinibus extenuati fuerint, lente reficiendi erunt, ne ſcilicet ciborum nimia mole obruatur debilitata ſolidorum virtus oſcillatoria ſeu energia: conniventia enim tunc vaſcula capillaria indigent mora & tempore ut ſenſim perditum tonum recuperent. Si vero intra breve temporis intervallum extenuatum fuerit corpus, quia tunc vaſa tantum majora a ſola ſanguinis inanitate conſident, nondum flaccefcentibus illorum capillaribus vaſis, celeriter refici poſſunt. *Hecquet*. Verbo: Quo diutius corpori applicatæ debilitantes cauſæ; eo major orta debilitas, plurave vaſa effectum debilitatis recepere, ſeu, eo longius a majoribus vaſis ad ortas inde minorum vaſculorum ſeries propagata eſt debilitas. Ergo longius temporis ſpatium requiritur ad roboranda ſeu refi-

reficienda ea rurſum. Contra, ubi brevi extenuatio facta eſt. Hinc diu famem perpeſſi cautiſſime cibandi ſunt. Præſens debilitas tarditatem jubet; nec enim alibi perniciofior mutatio ſubita. *Boerh. aph.* 46. Præcipit aphoriſmus extenuata corpora poſt morbos chronicos lente reficienda eſſe; poſt acutos autem brevi. Intelligitur macies, quæ vel ex morbo acuto vel chronico fuit nata, remanens poſt morbi curationem, ut nulla alia ſit in eo corpore labes morboſa, niſi quod humores & inprimis pinguedo conſumta ſint, quæ ſunt reſtituenda nutrimentis ingeſtis. *Gorter.* De ſanis Hippocrates ita monet: Qui celeri appoſitione indigent, iis humidum medicamentum ad reſumendas vires optimum. Qui vero adhuc celeriore, per odoratum. At qui tardiore appoſitione opus habent, iis ſolidus cibus exhibendus. *lib. de alim. n.* 11. conf. 2 *aph.* 11.

Aphor. 8.

Ἢν ἐκ νούσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται.

Si quis ex morbo cibum capiens, vires non recipiat, copioſiore alimento corpus uti ſignificat. Quod ſi cibum minime capienti iſtud contingat, evacuatione indigere ſciendum eſt.

Quia

Quia corpus imbecillum a morbo nimium cibum ſubigere nequit, & vaſa repleta ſuccis novis loca recuſant, nutritio ſeu aſſimilatio non procedere, adeoque nec viribus augmentum accedere poteſt. Et hoc eſt primum membrum aphoriſmi; ad quod pertinent quæ habet Hippocrates *Coac. ſect.* I. *n.* 179. *Qui ex longa valetudine ſeſe recolligentes cibum bene ſumunt ac nihil proficiunt, ii maligne relabuntur.* Aſt qui a morbo non utitur uberiori alimento, ſed pauco, & tamen vires non reficiuntur, vel qui cibum non capit, eum repudians, & proinde debilis perſiſtit, ſignificatur viſcera adhuc eſſe obſtructa, & *evacuatione indigere*; quod vult poſterius aphoriſmi membrum. Pro *cibum capiente* intellige famem, pro *cibum non capiente* inappetentiam: nemo enim ex morbo reconvaleſcens ſine cibo ſumto roborari poteſt. *Gorter.*

APHOR. 9.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκε ἄν τις βέληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

Cum quis corpora purgare volet, ea ad fluxum bene comparata faciat oportet.

Ad excretionem præparandum eſt prius corpus, quam validiora purgantia ſumantur. Nam ubi viæ ſeu emiſſaria, in inteſtinorum cavitatem deſinentia, non laxata, ſed ſpaſmo-

ſpaſmodice contracta, humores non attenuati & fluxiles i. e. meabiles, ſed ſpiſſi & meatibus viſcerum impacti, a dato pharmaco, vice oprati ſucceſſus, non niſi turbæ in corpore excitantur. Recte ergo præparantia, vulgo digeſtiva vocata, purgantibus præmittuntur, incidentia videlicet, reſolventia, in primis ſalina, cum diluentibus. Humectantia laudat Hippocrates 7 *aph.* 70. quia cum interne data, tum externe abdomini applicata, fomentorum, cataplaſmatum forma, non modo ad fæces induratas faciunt emolliendas, ſed etiam ſpaſmis tollendis, relaxandis conſtrictis, conveniunt, ut facile tranſmittantur impacta. *Meatus recludendi ſunt*, ait Hippocrates *l.* 6. *Epid. ſect.* 2. *n.* 60. Ubi quis alvum ſolvere volet, diutius immorari cibis confert, & acribus ac ſalſis, & pinguibus, dulcibuſque, tum cibariis, tum potionibus utendum. *de diæta l.* 2. *n.* 36. Bibat aquam mulſam tepidam, modica polenta inſperſa, quo ſane corpus emollitum ſit ad medicamentorum potionem. *de intern. affect. n.* 23. Ante medicamenti purgantis potionem ſi quis febre vexetur, mane aquam mulſam aquoſam exhibeto. *l.* 2. *de morb. n.* 36. Prius corpus fomentis adhibitis præhumectare oportet, medicamentis ut magis obaudiat. *de intern. affect. n.* 29. Ad ſpaſmodicam affectionem abigendam, præcipue tamen ubi inflammationis eſt ſuſpicio, ſanguinis miſſio egregium eſt auxilium præparans; eamque laudabili inſtituto multi præmittunt purgationi, & ſi nihilo minus tumultus a catharticis metuuntur, illis opiata admiſcere oportet, nam placandis talia fibrarum criſpaturis idonea ſunt. Non modo autem ad purgantium per alvum facilitandas operationes,

tiones, sed etiam, ubi vomendum est, præhumectanda esse corpora præcipit Hippocrates. Qui veratro sumto non facile per superiora purgantur, iis ante potionem corpora copiosiore cibo & quiete præhumectato. 4 *aph.* 13. Postquam se consuetis exercitationibus citra defatigationem exercuerit, calidaque laverit, cibos omnis generis offerat, & vomitionem cieat. *l.* 3. *de diæta n.* 14. Dum vero purganda corpora fluentia, seu meabilia, efficiuntur, illa quæ cruda sunt redduntur cocta; adeoque præsens aphorismus considerari potest veluti explicatio illius 1 *aph.* 22. *Rega meth. med.* §. 812. *Lister.* Quod funesta esse possit neglecta corporis præparatio ad excretionem, docet casus rustici illius hominis valde robusti & alias sani, qui valde famelicus se pyris sylvestribus furni & fumi calore induratis nimium, & forte sine haustu repleverat, unde in tantam alvi stipticitatem incidit, ut a porrectis fortioribus purgantibus non alvum habuerit referatam, sed cum intestini recti prolapsu pertinaci, succedente sphacelo, ex hac vita migrarit. vid. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 8. *obs.* 72. Præparationis regula magis generalis acutis morbis est, quam chronicis: nam hi non omnes præparationem ante purgationem exigunt; quippe si contenta intestinorum satis fluentia sint, non est opus solventia præmittere; si vero in intestinis hærent crassa & tenacia, quæ difficulter educi possunt; necesse est tenacia hæc primo solvere, & dein educere. *Gorter.* Ipsa sana ratio suggerit, frustra materiæ commotionem & expulsionem tentari, nisi ipsa ad motum ac emotionem disposita sit reddita. Primo itaque omnis scopus, omnis intentio

 meden-

medentium in ſanandis perlongis morbis eo utique tendere debet, ut humores craſſi fluxiles & mobiles efficiantur, durities molliatur, viæ adſtrictæ relaxentur, & poſtea validiori facto ſanguinis impulſu & ſtrictura ſolidorum intenſa, impacti humores excutiantur atque obſtructiones reſerentur. Ex quo jam elucefcit, quam incomparabilis ſint uſus ad hunc finem conſequendum thermæ, acidulæ & aliæ aquæ ſalubres, infuſa, decocta, fotus, balnea & omnia, quæ emolliente & diluente virtute prædita ſunt. Patet quoque exinde, quod ante præparationem & mobilitatem materiæ, nunquam validiora purgantia, emetica, diuretica, ſudorifera, mercurialia ad ſalivæ fluxum eliciendum, locum inveniant. Communis fere, ſed peſſimus hinc error eſt, quando deficiente menſium vel hæmorrhoïdum, aut ſubſiſtente lochiorum fluxu, pellentia fortiora, ſic dicta emmenagoga, uti ſunt myrrhata, ſuccinata, crocata & alia adhuc calidiora, in uſum præmature vocantur; ſiquidem hæc ſine præmiſſa venæ ſectione, ſine primarum viarum expurgatione, ſine prævia vaſculorum uteri apertione & dilatatione, ſine antea adhibitis medicamentis fluiditatem ſanguini conciliantibus, potius noxam afferunt & malum augent, tantum abeſt, ut juvamini ſint exoptato. Obſervationes enim docent, ab eorum intempeſtivo uſu febres, capitis dolores, vertigines, anxietates, hæmorrhagias per incongrua loca, deliria, melancholiam, & mille alia ſymptomata, fuiſſe exorta. Præſtat itaque potius prius plethoram demere, alvum laxantibus lubricare, ſanguini fluiditatem decoctis & infuſis appropriatis conciliare, vaſorumque ob-

ſtruc-

ſtructiones balneis, vel aliis convenientibus remediis, amovere, & tunc pellentia cum cura ſubjungere, & ſic demum exoptatus conſequetur effectus. Hæc lex medendi & regula in ſanandis morbis chronicis, præſertim ſcorbuto, lue Venerea, hydrope, quartana, melancholia hypochondriaca, calculo, aſthmate, ampliſſimi non ſolum eſt uſus, ſed etiam in acutis egregia & curate obſervanda. Nam in his pariter extra criſin & ante materiæ maturationem, velut Veteres loqui amant, coctionem, in vigore paroxyſmi, nunquam evacuantia cum fructu exhibentur. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 422.

APHOR. 10.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσον ἂν τρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Impura corpora quo plus nutrias, eo magis lædas.

Per impura corpora hic intelligenda non ſolum cacochymica, ſeu quæ primas vias ſordibus ſcatentes habent: verum etiam quæcunque ab æquabili ſolidarum partium oſcillatione deſciverunt, unde ſolidorum ſpaſticæ contractiones & infarctus ſuccorum intra vaſa, omnis impuritatis fons & ſcaturigo. Ergo impuritas accipienda eſt pro omni humorum vitio. Talia ſunt corpora ſub morbis, & convaleſcentia a morbo, ſolidorum ſpaſticæ diatheſis reliquias adhuc continentia. Qualia quo

magis nutriveris eo magis lædes, quia, deficiente virtute concoquente, assimilante, ab accumulatis succis augmentum cruditatum. Hinc, si febricitanti quis cibum exhibuerit, sano quidem robur, ægrotanti morbus. 7 *aph.* 65. Inprimis autem animadvertere oportet, quibus in morbis sorbitiones minime conveniunt, sed continuo ubi assumtæ sunt, febres ac dolores exacerbari, ex quo efficitur, ut, quod assumtum est, morbum quidem foveat & augeat, corpus vero imminuat, & imbecillius reddat. At vero, qui ita affecti cibum siccum, aut mazam, aut panem quantumvis modicum assumunt, ii decuplo magis atque manifestius læduntur, quam si sorbitione utantur, neque aliam ob causam, quam quod cibus viribus sit valentior quam affectus requirat, tum quod cui sorbere, ei edere minime conveniat. Quo namque plura comederit, eo pejus afficietur, si vero pauca, etiam dolebit. *de vet. Med. n.* 13. Ad sanos pertinent, quæ scribit Hippocrates *ibid. n.* 19. Si pransi fuerint, quibus prandere non conducit, ii continuo graves totoque corpore & mente segnes evadunt; cum oscitatione, somnolentia, multaque siti: Quod si insuper etiam coenaverint, & flatus & tormina excitantur, & venter erumpit.

APHOR. II.

Ῥᾷον πληρȣ͂σθαι ποτȣ͂, ἢ σιτίȣ.

Potu, quam cibo repleri proclivius est.

Re-

Repletio hic dicitur pro refectione, ut sensus sit: cibum fluidum seu potui aptum facilius nutrire, quam solidum. Non dicitur *melius*, sed *facilius* h. e. *citius*. *Vallesf.* Quæ causa, quod liquida facilius nutriant? Humiditas alimenti vehiculum est, juxta *Hippocr. lib. de alim. n.* 12. Sola certe liquida sunt, quæ per vasa ferri debent, ut nutriant. Consentaneum igitur est, quod soluta jam materies, quæ ingeritur, citius perveniat in vasa, quam altera quæ solida advenit, integra & indissoluta. *Hecquet.* Qui Medicinam perscrutando invenêre, primum quidem (ut sentio) de suis cibis copiam detraxerunt, deinde pro multis paucos sumserunt. Quod cum ægrotantibus quibusdam satis esset, palamque prodesse non tamen omnibus constaret, verum quod erant quidam ita affecti, ut ne paucos quidem cibos conficere possent, quibus sane imbecilliore quodam cibo opus esset, sorbitiones invenerunt, valentes cibos paucos multa aqua diluentes, eorumque vim temperatione & coctione detrahentes. Quod si qui neque sorbitiones superare possent, iis etiam detractis, potiones substituerunt, observantes ut & usu & copia moderatæ essent, neque justo copiosiores, neque meraciores, neque pauciores exhiberentur. *Hippocr. de vet. Med. n.* 10 *sq.* Odorifera immediatum & citissimum habent cum spiritibus contactum, tardissimum solida & vesca, medium fluida & potulenta. *Wedel.* Commentarius in nostrum aphorismum est *J. H. Schulzii Diss. de refectione celeri per alimenta humida. Altorf.* 1728. 4°.

APHOR. 12.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ per morbos poſt judicationem intus relinquuntur, morborum reverſiones (ſeu *recidivas*) facere conſueverunt.

Reperitur hæc ſententia in *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 3. *n.* 72. *lib.* 4. *n.* 18. *lib.* 6. *ſect.* 2. *n.* 32. Sermo eſt de recidivis, quæ criſin imperfectam excipere conſuevere, & connecti poteſt cum 1 *aph.* 20. qui eſt de criſi perfecta ſive integra. Morbo nimirum non perfecte ſoluto, materia morboſa non integre eliminata, ataxia toni partium non omnimode in ordinem redacta, morbum redire, ſeu recidivam fieri, naturale eſt conſectarium. Hæc tantum declarat aphoriſmus. Dicitur *recidiva*, voce adjective communiter uſurpata, *a recido*, ita ut idem ſignificet ac *rurſus cadens*, vel *denuo accidens*, & ubi ſubſtantive uſurpata occurrit, commode ſubintelligitur vel febris ſi de febribus fuerit ſermo, vel ægritudo ſi de alio quocunque morbo eſt quæſtio. Græce vocatur ὑποστροφὴ ab ὑποστρέφω *converto* & *revertor*, nec non ὑποτροπὴ, & ὑποστροπιασμὸς ab ὑποτροπιάζω *revertor*. Denotatur autem Recidivæ nomine, reverſio vel reciprocatio morbi, qui jam ablatus erat, vel ſaltem remotus videbatur, cum æger a ſtatu meliore ac reconvaleſcentiæ in deteriorem

rem iterum labitur: v. g. quando paroxyſmus febris intermittentis ſolvitur ſudore copioſo, deinde tamen rurſus poſt apyrexiam redit. Febres ſi alio die quam judicatorio deſierint, recidivam metuere oportet. *Hippocr. Coac. ſect.* 1. *n.* 115. Febres, quæ neque diebus criticis, neque poſt apparentes ſolutionis notas dimittunt, repetere ſolent. *ibid. n.* 210. Quæ in ipſis morbis excernuntur, ſputum præmaturum, alvus, vita intemperans, & talia hujus modi, ſi relinquuntur, recidivas adferre ſolent. *lib.* 4. *Epidem. n.* 18. Anni etiam tempora morborum reverſiones plerumque adferre ſolent. *lib. de humor. n.* 7. Morborum reverſionibus tentantur, quibus citra febrem vehementes vigiliæ, aut turbulenti ſomni adveniunt, aut coporis robur, aut ſingulorum membrorum dolores adſunt, & quibus febres, non accedentibus ſolutionis ſignis, neque diebus judicatoriis quieſcunt. Quod ſi deficiente febre & accedente ſudore, urinam fulvam albam ſubſidentiam habentem reddiderint, his eodem die febris reverſionem expecta. Ejusmodi vero reverſiones quinto die citra periculum judicantur. At ſi, judicatione facta, urina rubra ſubſidentiam rubram continens reddita fuerit, his quoque febris reverſio eodem die contingit, ex eaque pauci ſervantur. Febris ardens cum reverſionem facit, plerumque etiam ſudorem profundit, præſertim ſi poſt reverſionem tot diebus quot prius detineat. Tertio etiam febris revertitur, niſi poſt reverſionem die impari dimiſerit, & plerumque ſi non coctæ fuerint urinæ, neque alia ſigna ſecundum rationem proceſſerint, morbus judicatorio die revertitur, interdum vero his ejus-

 modi

modi relictis etiam die judicatorio reversionem facit. Quibus judicationis tempore exorta ad aures tubercula non suppurantur, his solutis morbi reversio pro recidivarum ratione simili circuitu contingit. *lib. de judicat. n.* 9. 10. In hoc textu mirum videtur, quomodo virium robur recidivam præmonstrare possit, quod, ut quid secundum naturam, bonum, non malum præsagire debet. Vera tamen est Hippocratis sententia, robur enim virium ex morbo, non est secundum naturam, cum morbi proprium sit, vires debilitare, & ideo causam aliquam præternaturalem concurrere necesse est, hæc autem erit humorum copia, qui etiamsi boni sint, nec qualitate peccent (cum cacochymia enim virium robur consistere non potest) quantitate tamen peccare poterunt, status præsentis ægroti respectu, unde sicuti habitus athletarum periculosus est, quia & virium robore, & succorum plenitudine hominis sani statum excedunt, ita plenitudo illa convalescentis ex morbo, & virium robur illius conditionem excedens, periculosum erit, & ideo recidiva timenda est in refectione, a qua succorum copia eousque augeatur, ut a natura regulari non possit, eadem prorsus ratione, propter quam, quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivas facere consueverunt. *Martian. p.* 422. Nimirum victus nocivus, aut justo plenior, nec ventriculo debili rite coquendus, fomitem morbidum novum in primis viis parat. Chylus inde paratus & sanguini confusus nimis commovet & mutat inbecillum corpus. Aër frigidus appellens cutis spiracula vix nupera crisi laxata constipat; sic materiei perspirabili obex ponitur; interiora humoribus repulsis cumulantur.

lantur. Alvus, tarda nimis, ventrem gravat, ſanguinem inficit. Inſolatio, vigiliæ nimiæ, inſignes animi vel corporis commotiones, præmatura Venus, humores exagitando, febriles æſtus recens compoſitos in tenero & irritabili corpore facile revocant. Sic & a frigore, calore, cruditate, laſſitudine quartanarum reverſionem timemus. *Kloekhof Opuſc.* p. 240. Tædium vel moeſtitudo non ſolum in phreniticis, ſed etiam in aliis paſſionibus valuit ſæpe paſſionem refricare. Nam ſi ſani homines plerique anxietate in paſſiones corporis devenerunt, nil mirum ſi etiam, qui nondum ſunt paſſione purgati, in eandem redeant, cum animæ qualitas, ſua, ut ita dixerim, cubilia quadam nova vulneratione affecerit. *Aurelian. acut. l.* 1. *c.* 11. *p. m.* 38. Tremoribus quæ convulſiones accedunt cum ſudoribus, recidivas minantur. *Hippocr. Prædict. l.* 1. *n.* 14. & *Coac. ſect.* 3. *n.* 70. Quæ erumpere & febres decernere nata ſunt ulcera ac tubercula, ſi non adfuerint, judicationem ipſam tollunt; quibus vero intro ſubſiſtunt, certiſſimas & celerrimas morborum recidivas adferunt. *lib.* 2. *Epidem. ſect.* 1. *n.* 80 *ſq.* & *lib.* 6 *ſect.* 3. *n.* 60. Ex capitis gravedine & raucedine laborantibus, ubi febre corripiuntur, iis fere morborum reverſiones non fiunt. Quod in pus vertitur, id morbi reverſionem non facit. Ipſa namque maturatio, ſimul & judicationis & excretionis rationem habet. *l. c. n.* 16 *ſq.* In genere facile morbi recurſus eſt metuendus, ſi convaleſcens manet imbecillis, nec cibum appetit, nec rite concoquit, ſed multa nauſea & ructu nidoroſo vel acido afficitur, ſi ſpiritus male olet, præcordia inflata ſunt, facies

 livida,

livida, si interior cum siti percipitur æstus; quippe quæ depravatam ventriculi coctionem arguunt, qua præsente morbus adhuc vel intus delitescit, vel nova ad eundem suscitandum colligitur minera. *J. H. Kniphofii Diss. de morborum recidivis. Erford.* 1752. 4°. §. 20. Ex recidivantium morborum numero sunt maxime intermittentes febres, si imperite, quod plerumque fit, tractantur, nec perfecte sanantur. Recidivant quoque sanguinis nimiæ per hæmorrhoïdes, per pulmones, per ventriculum proruptiones, quæ plerumque ob validiorem spasmum primarum viarum & a nimia sanguinis abundantia vel bilis acrimonia nascuntur. Recidivant quoque asthmata, affectus apoplectici, paralytici, capitis dolores, qui ex raptu sanguinis ad caput ob violentos in imo ventre spasmos producuntur, qui si partem a morbo priori debilem relictam inveniunt, facile periculosas stagnationes de novo ibi efficiunt. Ipsa quoque experientia deprehendimus, quosdam ex morbis chronicis, qui sublati videbantur, recurrisse, ut icterum, hydropem, phthisin, luem veneream, scorbutum, purpuram; in foeminis maxime recidivant abortus. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 129. Ad morbos recidivos quoque certo respectu pertinet morbus a morsu canis rabidi. Observationes enim hac de re certiores nos reddunt, acerbissimos dolores, post sanationem, elapso quodam temporis spatio, in parte vulnerata recrudescere, qui, accedente hydrophobia, ægrotum non raro necant. *Kniphof. l. c.* §. 19. Non confundendi autem sunt cum morbis periodicis recidivantes, nam hi non servant periodos uti illi. *Hoffm. l. c. p.* 140. Solet

let Recidiva in foro medico quoque appellari, quando, morbi prægreſſa cauſa extirpata quidem & morbo penitus ſublato, propter notabiliores in diæta commiſſos errores, nova morbi ejusdem materies, ſeu cauſa, brevi generatur, & per conſequens idem morbus. Id quod tunc eo facilius evenire ſolet, quia poſt graves morbos non mox partes ſolidæ, actionibus etiam vitalibus & naturalibus deſtinatæ, elaterem ſeu tonum iſtum vitalem recuperavere, qui actionibus his cum vigore præſtandis eſt ſufficiens, atque ea propter nova materia morbifica in corpore variis occaſionibus facile gignitur atque colligitur, cum ob elateris dicti robur, imminutum paulo, ea non in tempore corrigatur vel egeratur. *Sim. Paul. Hilſcheri Proluſio de primo poſt exantlatos graves morbos in publicum progreſſu*; quæ ſubjuncta ejus eſt diſſertationi *de caſtorei natura &c. Jenæ* 1741. 4°. Imo tres in Medicorum ſcholis numerantur Recidivarum ſpecies: aut morbus ob ſingularem quandam corpori inductam diſpoſitionem neceſſario recidit, id quod morbus ſimpliciter *recurrens* vocatur; aut morbus ab alio morbo productus, tandem illum ipſum, a quo originem duxerat, denuo producit, ita ut cauſa ab effectu ſuo, quaſi per circulum redeunte dependeat. Hæc ſpecies recidivæ vocatur *per circulum rediens*; aut a morbo quodam corpus ita diſponitur, ut facile ab accedente leviore quadam cauſa rurſus revocetur morbus. Hæc ultima ſpecies *κατ' ἐξοχὴν recidivæ* nomen accipit. *Kniphof. l. c.* §. 6. Communiter recidivæ pejores judicantur ipſis morbis primariis, quorum ſunt recidivæ. Id verum eſt, ubi vires vitæ in morbo præcedente exhauſtæ, nondum reſtitutæ, minus jam pares exiſtunt depellendo re-

redeunti hoſti; quia metus eſt, ne viribus abſumtis fortaſſe in conflictu ſuccumbat æger. At tamen ſæpe etiam recidivæ ſolvunt quam optime retroceſſionem humorum peccantium, ita, ut laudabiles ſint ac exoptatæ recidivæ, quæ a graviore morbo liberant hominem; v. g. ſi quem coryza vel ſcabies iterum prehendat, poſtquam ſeſe vix inde liberavit miſer. Vid. *A. Q. Rivini Diſſertatio de Recidiva. Lipſ.* 4°. In morbis ubi alter alteri ſuccedit, is plerumque interficit. Corpus enim ex præſente morbo imbecillum redditum, ſi alter morbus acceſſerit, ex imbecillitate prius perit quam alter qui poſterior acceſſit morbus deſinat. *Hippocr. de affection. n.* 23. Si ſuborto ſudore morbus ceſſet, & urina fulva cum ſedimento albo conſpiciatur, iis eodem die febris revertitur, quæ quinto die ſine periculo judicatur. *Idem de judicat. n.* 1. Quælibet morbi reverſio tutior eſt, ſi malam victus rationem tantummodo ſecuta eſt, non etiam relictum a priore morbo vitium. Quo quid citius revertitur, & quo vires ſimul inferiores ſunt, eo pejus eſt. *Lomm. Obſ. p.* 287. Quibus ſæpius recidivæ contingunt, ſi ſextum menſem ſuperaverint, in tabem coxariam fere incidunt. *Hippocr. Coac. ſect.* 1. *n.* 208.

Conſentaneum eſt notare, quod hic ſit unus imperfectæ criſeos exitus, redintegratio prioris morbi ſeu Recidiva, morbi prioris ſe manifeſtans ſymptomatibus, remedia requirens morbo ipſi competentia. Aliquando vero non fiunt recidivæ priſtinorum morborum, ſed loco horum alii ſe conſpiciendos præbent, quando nempe cauſa morbifica, diverſa a priori ratione ſuæ indolis, fuit generata, vel, licet non multum diverſa reſpectu materiæ, alium ta-

tamen in corpore occupavit locum, seu viscus. *Hilscher. l. c.* Est hic alter imperfectæ criseos, μεταςαἰικῆς dictæ, eventus, quando materia male critica relicta in corpore, vaga huc, illuc, fertur, & ἀποςάσεις minatur, quæ sunt quasi addititii seu secundarii morbi; qualismodi futuros scitur exinde, quod vis morbi, & symptomata ejus, remittunt absque coctione, atque absque bona, sufficiente, critica evacuatione, idque in morbo cum materia. Morbus autem ille succedens sæpe est pejor priore, & diuturnior, pro diversitate partis læsæ, quam novus ille morbus occupat, aut pro diversitate mutatæ jam materiæ morbosæ vel sola mora temporis. Locus, in quem migratura est materies morbi male cocta, cognosci potest, ex pruritu, titillatione, rubore, dolore, tumore, stupore, pulsatione, agitatione, molestia perpetua, partis alicujus in ægro, tum ex genio, & idea, vel ex epidemica conditione, morbi. Quin etiam si cernitur, quod ars, vel casus, in parte quadam corporis produxit ea, quæ modo dicta, tum etiam prævidetur materiem morbi in eam partem colligendam esse. *Boerh. I. M.* §. 940. 953-956. Si quid ex his quæ effluunt intus relinquitur, ad abscessum morbus est accommodatus. Eodem modo si sitis remanet, orisque siccitas & insuavitas, ac cibi fastidium. *Hippocr. 6 Epidem. sect.* 2. *n.* 29. Quos febris detinet, si tremor absque judicatione conquiescit, iis temporis successu abscessus cum dolore purulenti ad articulos decumbunt, & vesica dolet. *Coac. sect.* 1. *n.* 198. Iis qui ex morbis convalescunt, si statim in manibus & pedibus dolores contingunt, in his abscessus oriuntur. Quin etiam si quæ pars ante morbum

bum laborarit, ibi morbi ſedes erit. *lib. de humor. n.* 3.

Ex jam dictis apparet, nihil eſſe finito motu morboſo ad reliquias mali extirpandas accommodatius, quam quodvis noxium & morbificum, quod adhuc hæret in corpore, tacitaſque ipſi ſtruit inſidias, ſive in ventriculo ſive in venis ſubſtiterit, mature excludere & corpus ab omni excrementitio ſucco liberare. Graviter vero in hoc errare utplurimum ſolent Medici, quod in fine morbi & ægris ad ſanitatem redeuntibus morbiferas reliquias neque evacuantibus, neque diaphoreticis eliminent, neque robur naturæ atque ventriculo per congruam diætam & probata ſtomachica apte reſtituant. Quod ſi autem ullo in morbo, certe in variolis & morbillis reliquiæ morborum ut expellantur & corpus hoc modo corroboretur neceſſe eſt; aliàs variæ exulcerationes & abſceſſus viſcerum aliaque gravia ſymptomata ſubſequuntur. *Hoffm. præſt. med. leg. p.* 40. Atqui jam patet, cur, qui bona corporis conſtitutione præditi ſunt, & a morbo ſemel curati, non patiantur recidivas; male vero conſtitutos utplurimum relabi: robur enim partium cauſam morbificam perfecte ſolvit, at quando adeſt imbecillitas, ut in valetudinariis, imperfecta fit humorum excretio. *Kniphof. l. c.* §. 23. Poſt febres ægrotis medicamentum deorſum purgans exhibendum eſſe, ad præcavendas recidivas, jam monuit Hippocrates. Vid. ejus *lib.* 2. *de morb. n.* 16. 21. 37. Sydenhamus etiam poſt febres periculum eſſe ait, ne recidiva fiat, niſi tempeſtive (poſt manifeſtam nempe omnium ſymptomatum remiſſionem) potio purgans exhibeatur. Id tamen non adeo plane neceſſa-

rium

rium esse existimat post febres vernales, atque post autumnales; idque propterea, quod sedimentum, ut ait, a vernalibus depositum tum copia, tum qualitate terrea, malignaque ab autumnali superetur. Idque ipsum etiam in variolis obtinere statuit, multisque morbis aliis verno tempore grassantibus, ut in quibus purgantium omissionem non tam grave periculum inferre observavit. Vid. *Sydenh.* *p.* 75 *sq.* Celsus *l.* 2. *c.* 14. *p.* 89. ad discutiendas reliquias morbi, levata adversa valetudine, frictionem commendat. Recidivæ purgantibus, præcipitantibus & balsamicis possunt præcaveri, secundum *Wedel.* Verum non omnis præcavendæ recidivæ eadem est ratio: principia morborum & causas deprehendisse confert. Sicubi saburra morbida principio febrium acutarum intra primas vias hæret, opportuna purgatio, eaque per vomitum præsertim, tum, ad præcidendas recidivas etiam, egregie facit; si, puta, ferat eam ægri conditio. Quando febrium acutarum judicatarum vel solutarum reliquiæ cavitatem ventriculi, intestinorum, aut vesicæ fellis occupant, ad averruncandas reversiones aliasque quæ indidem pullulant noxas, purgantia sola valent, & quæ inferiorem alvum solvunt, tum deliguntur. Ea biduo, vel triduo, post coeptam ἀπυρεξίαν, commode dantur, nisi moram majorem vires nimium dejectæ poscant. Affinis ratio intelligitur, quando materia morbida superstes viscera abdominis circumjacentia tenet, natura simul huc vergente. Sæpe etiam purgamenta sanguinis hic illic deposita, vel eidem adhærentia, his educuntur. Attamen est, ubi purgantia post febres acutas omnino sint supervacanea.

canea. Nam quod deeſt ſupplere Medicus debet, ubi natura mediocriter atque imbecillius facit; ſed ubi ipſa perfecte excrevit, nullo præterea medicamento movenda eſt, juxta 1 *aph.* 20. Et interdum reliquiæ morbidæ purganti remedio aut inacceſſæ ſunt, aut cedere prorſus renuunt. Nempe nec ipſa natura via hac ſola utitur, qua, quæ reſtiterant, expellat. Et compertum eſt, purgantia poſt febres acutas data aliquando nocuiſſe potius, debilitando. Quare ante purgationem conſulto opus eſt, num tumultus medicamento ciendi pretium nos facturos merito ſperemus: & cæterum edulia, vel iis proxima, quæ alvum laxant, ſæpe ſufficiunt. Quod ſi ſudoribus & urinis judicatus eſt morbus, vel urinis ſolis ſolutus, quæ craſſæ hypoſtaticæ pergant; potu calidiuſculo aquæ, radicibus herbiſque leniter aperientibus medicatæ, fluxum lotii talis promovemus. Sic naturæ miniſtrantes ſanguinis purgamenta, eidem miſta hucuſque, vel in glandulas aut articulos depoſita, eluere ſperamus. Quum judicatus eſt morbus abſceſſibus, nec abunde prodeuntibus, hi adjuvandi ſunt. Quando ſanguinis inflammatoria ſpiſſitudo notabilis poſt morbi diſceſſum arguitur, victu reficiente utendum qui modice ſimul refrigerat & reſolvit. Adverſus idem vitium poſt variolas numeroſas venam ſecat Sydenham. Purgantia, quæ antiphlogiſtica vocantur, hic etiam, poſt febres, prodeſſe poſſe, ſuadet rei contemplatio. Si inflammationis quidquam remanſit, reſpectu habito ad ſingulares ægræ partis conditiones illud diſcutiendum erit. Ita infuſum aquoſum, leniens, pectori amicum, calidiuſculum, pleuriticorum do-

dolorum reliquias solvit. Ubi reliquiarum morbi plus unâ simul sedes est, composita cautionum ratio poscitur. Porro ne corpus, a morbo debile, novam cruditatem ingeneret, ægro ad pristinum vivendi modum nunc redeunte, prudenter roborandum illud, posteaquam sponte, vel arte, via congrua quacunque, recte satis purgatum est. Vini Rhenani parcus usus huc facit egregie. Sed post inflammationes, aut lentore inflammatorio post febres superstite, fere tutius esse videtur tenuiorem victum, & abstemium, prolongare, atque adeo ventriculum firmare differre. (sic, ut diu nihil nisi molle & lene sumatur. *Celf. l.* 4. *c.* 7. *p.* 213) His, qui a phrenitide resurgunt, illud peculiare est, ut majorem etiam, in vino præbendo, cautionem flagitent; colloquia itidem, affectum animi delirio oppositum conciliantia; donec solicitudo omnis recesserit & vires omnino resumtæ fuerint. *Kloekhof l. c. p.* 258 *seq.* De recidivis morborum in partibus solidis, chirurgicorum, aliqua monenda sunt. Cataractam sæpius revertentem videmus, si pellicula in operatione chirurgica, vel lens crystallina depressa pristinum iterum locum occupat. Herniæ non perfecte curatæ redeunt, si nempe robur partis, in qua hernia locum habet, nondum satis adest. Tumores cystici a particula minima pelliculæ in excisione relictæ, mox iterum succrescunt. Luxationes sæpe recidivam patiuntur, ut ligamenta nimia distensione relaxata atque debilitata repositum articulum retinere nequeant; id quod contingere solet a neglecta ligamentorum & nervorum roboratione spirituosis & sufficiente satisque diuturna fasciarum deliga-

 tione.

tione. In fracturis recidiva evenit, quando, post justam repositionem, membrum fractum simul in convenienti non servatur situ, quod commoda ejusdem deligatione & collocatione solet obtineri. Vel etiam hac ratione oriri potest recidiva fracturæ, quando Chirurgus fasciam ad deligandum necessariam spiritibus aquosis, minimeque rectificatis humectat, quibus musculi relaxati atque elongati, fracti ossis reposita extrema se invicem exosculantia dimittunt: aut si repositis partibus ligaturam injicit nimis laxam, justoque citius eam solvit, qua ratione ossa nondum satis firmiter conglutinata difficilius indurescunt, ac si in priori mansissent situ. Ulcerum recursum Chirurgus promovere potest, cavitatem non servando satis diu apertam, sed præmature claudendo; nam materia inclusa stagnando acrior facta, aut novum in eodem loco exitum quærens, ulcus novum & difficilius postea sanandum efficit. *Kniphof l. c.* §. 25 *seq.*

APHOR. 13.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δὲ ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

Quibus judicatio contingit, iis nox accessionem præcedens gravis; quæ vero sequitur, plerumque levior esse solet.

Le-

Leguntur hæc in *lib. 6. Epidem. sect. 2. n.* 42. sed restricta ad febres tertianæ habentes naturam. *Celsus l. 3. c. 5. p.* 124. de febribus tractans sine integritate remittentibus, in quibus altero die gravior, altero levior accessio est, *Fere*, inquit, *graviorem accessionem levior nox sequitur. quo fit, ut graviorem accessionem nox quoque tristior antecedat.*

Quo fit manifestum signo, quod natura moliatur crisin, hic aperit aphorismus. Nox præcedens crisin, aut exacerbationem seu accessionem, gravis est, quia tunc maximus est naturæ nisus ad expellendam materiam morbosam, ut solvatur morbus. Ingravescunt symptomata vi vitæ, acceleratis partium membranacearum oscillationibus, aucta adeoque febri. Noctu id fiet, si accessio futura est diu; sed perinde dies præcedens accessionem erit gravis, si noctu futura est accessio: multæ enim febres habent accessiones noctu. Quæ succedit accessioni nox (vel dies) *plerumque* levior est, quia evacuata jam materia morbosa æger melius habet. incidit autem crisis semper in accessionem. Dicitur *plerumque*, quia non omnis crisis bona est, sed tamen magna ex parte fiunt bonæ crises. *Valles.*

- - - - - - Contentio magna
Tunc oritur, validis exsurgunt ignibus æstus,
Surgit in oppositos saliens arteria succos,
Tristior est ægro sensus nox turbida somnos
Excutit, obscurant animum deliria, certo
Anxius esse loco nescit miserabilis æger,
Lucta viget, criticique docent in corpore motus
Affore nunc fluxus criticos, causamque moveri.
Tunc expectato destillant imbre madores,
Sudor adest facilis, qui pulsus mollit & æquat,

Qui symptoma levat, calidus, qui stigmata rubra
Emovet aut tota papulas cute provehit albas.
Tunc lentis veniunt obnubila lotia mucis,
Flammea post æstus, hinc imo turbida vase,
Clara super, sensim citreo conversa colore,
Tunc consuetus abit per debita viscera sanguis
Atque graves, fluxu, compescit corporis æstus.
Sed, veluti variis respondent organa succis,
Materies variante ruit per viscera motu:
Sputa levant pectus, fluit os spumante saliva,
Illachrymant oculi, destillat naribus humor,
Vel mala materies extremos fertur in artus.
Ex totidem moliminibus fit causa salutis,
Ipsaque, non procul esse crisin, molimina signant.

Hebenstr. de Hom. p. 142.

Symptomata critica vocantur; quæ, instantem designantia crisin, sæpius confunduntur cum symptomatibus a causa morbi, morbo, vel cruda materie morbi ortis; unde plerumque sequitur infaustissima medendi methodus. Instante crisi, quæ utplurimum diebus criticis contingere solet, ægri inquieti fiunt, & anxiosi adeo, ut de illis adstantes admodum timeant: quamvis non longe post sequatur excretio, sive per vomitum, sive per aliam evacuationem, per quam ægrotantes a morbo liberantur. anxietas enim materiæ agitationem indicat. Sudorem quidem præcedit utplurimum rigor, si biliosa peccent, aut horror, & perfrigeratio, si pituitosa potius abundent. Perfrigeratio ista imperitis solutæ febris speciem præbet; cum tamen, si sit sine consequente sudore, æger male habeat: morbifica enim causa non educta, sed intimius occultata, infidæ quietis suspicionem præbet, & calor

lor evanescens, ad interiora eam recessisse evidens argumentum est, unde in aliquo viscere inflammatio excitatur, cujus incipientis signum potissimum rigor esse consuevit. Vid. *Martian.* *p.* 497. 524 *sq.* Docuit hæc Hippocrates: *Summi totius corporis perfrictiones in diebus judicatoriis, cum angore & corporis inquietudine, si sine sudore fiunt, damno sunt, præcipue vero damnantur qui ex his superveniunt rigores.* l. 1. Prædict. n. 7. Coac. sect. 1. n. 60. Signa vero, quibus internoscuntur symptomata critica a morbosis, sunt primaria hæc: 1. symptomata illa oriuntur a vi vitæ superante vim morbi, hæc autem a vi morbi prævalente ipsi facultati vitali. 2. illa fiunt prægressa coctione suis signis manifesta, & bona reperta, hæc in cruditate comperta. 3. illa fiunt circa tempus proprium crisi, hæc omni morbi tempore, maxime in augmento. 4. illa brevi levant, hæc cito nocent. Primaria symptomata critica, quæ crisin evacuantem præcedunt, ex quibus difficilior est accessionem præcedens nox (vel dies), sunt hæc: post coctionem, tempore critico, subito, sine nova manifesta morbi causa, oriens stupor, somnolentia, sopor, vigiliæ, delirium, anxietas, dyspnoea, nox (vel dies) molesta; rigor; dolor, rubor, titillatio, punctura, gravitas, densitas in parte; tenebræ, splendor, lux, lachrymæ spontaneæ, in oculis; nausea; æstus; sitis; retractio hypochondriorum, tremula agitatio labii inferioris. *Boerh. J. M.* §. 935-937. Rigor & æstus in febris initio sunt effectus causæ morbidæ, nitentes in destructionem corporis; quibus ipsis, æstu in moderamen reducto, simul natura utitur ad domandam morbidam materiem. Non absimili ratio-

ne ac acris particula oculo illapsa convellit orbicularem palpebrarum musculum: qua ipsa convulsione lachrymæ eliciuntur, quæ diluant acre & dilutum eluant. In crisi rigor & æstus producuntur a materie morbida nunc maturata & exitui apta, nec nocitura, quod hanc alienam quidem, sed coctam tamen, id est correctam, vasa laxa apertaque sub illo motu evomant. Unde patet, quousque febris, hostilis vel amica corpori, ex vero censeatur; quove jure profiteri potuerit Asclepiades (ap. *Cels. l.* 3. *c.* 4. *p.* 118.) febre ipsa præcipue se ad remedium febrium uti. Hinc intelligimus quoque, cur Celsus *ib. c.* 9. in lentarum febrium curatione, febrem artificialem excitari velit applicatione aquæ frigidæ cum oleo, ut nempe horror oriatur, & fiat initium quoddam novi motus, exque eo, cum magis corpus incaluit, sequatur, etiam remissio. Vid. *Kloekhof Opusc. p.* 209 *sq.* Cæterum non omnia omnibus sunt familiaria, sed pro ægritudinis specie, & ægri habitu, anni item tempestate, consuetudine ac ætate oboriuntur: nam aliquibus unum, aut duo, aliis plura quoque, sed omnia convenienter accidunt, iis quidem quibus tuta salus promittitur. Privatim per vomitum judicium expectatur, cum viscera veluti convelli, & inferius labrum moveri, ac vertigine corripi, & tenebricosa quædam oculis obvolitare, & flava, pallidaque ac varia cerni videntur; hæc enim atque ejusmodi alia, si antea apparuerint, judicium per vomitum portendunt. Sic per alvum, onera ventris intestinorumque murmura, item & punctiones intestina permeantes nunciant judicandum. Sanguinis vero profluvii judicia corripiunt primùm, cum ejusmodi

modi humor vigere conſpicitur, idque ex anni tempore, & vivendi ratione, ad hæc ætate, conſuetudine, & demum ex ægri pulſibus, urinaque conjectamus. Ac cum per nares fluxurus eſt, viſcera convelli, velut in vomitu diximus, videntur, & ſplendores oculis obverſantur. Et ſi dextrum viſcus attollitur, nare dextra potius ſanguis fluet: ſin ſiniſtrum, læva. Per hæmorrhoïdes autem ſanguis erumpet, ſi renes pondus ſentiunt, ipſaque venarum ora inflammatione tentantur, & quaſi titillata mordentur: maxime ſi iis æger aſſuetus eſt, nec alia ſigna præcedunt, ac materia turget. Verum in menſtruis purgationibus, tum ex ſimilibus, tum ex ipſo dierum circuitu, quid expectandum ſit, dignoſces. Sunt autem iis ſubrubræ & rubræ, ac veluti cruentæ fere urinæ, quod ſanguis eo confluat, ac moderato ſuo colore inficiat. Sudores vero ſuccedunt, cum, quæ ex tertia coctione ſuperſunt, abundant exuperantque. quare & in urinis hic antea conferta coctaque ſedimenta, quæ ſublimius ferantur, apparent: & undoſus eſt pulſus, ac ſi manum in ſinum immiſeris, inſpexeriſque, vaporoſus quidam ſenſus occurret, quod videlicet id quod tenuius eſt prius diffletur. Vultum bonus color decorat, idque potius ſi ſanguis per nares profluxurus eſt: deinde, & in judiciis quæ fiunt per ſudores. Si tamen ſeroſus in venis humor exceſſerit, ac putruerit, febremque inde excitarit, craſſæ & turbatæ utplurimum ſunt urinæ: ſed cum jam ad judicium impetu fertur natura, tenues & copioſæ feruntur, attamen longe ſupra ejus quod bibitur menſuram; atque hoc judicium per urinas vocatur.

Actuar. Meth. med. l. 2 *c.* 2. Vid. etiam *Paulus l.* 2. *c.* 10. *Glass de febr. p* 27 *sq.* Quos febris detinet cum faciei rubore, & capitis vehementi dolore, in iis si venæ pulsent, sanguinis fluxus plerumque expectandus est. Quos vero stomachi fastidia vexant, cum oris ventriculi morsu, & crebra sputatione, iis vomitio adfutura est. Quibus autem ructus adsunt, flatus, ventris sonitus cum inflatione, iis alvus exturbatur. *Hippocr. Coac. sect.* 1. *n.* 199 *sq.*

APHOR. 14.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In alvi fluxionibus dejectionum mutationes, nisi ad pravas commutentur, juvant.

Non fuit adeo solicitus circa sermonis proprietatem Hippocrates, ut ejus gratia violentas interpretationes indagare sit necesse, quod aliquos in hujus sententiæ explicatione fecisse invenio. Qui ut juxta exactam nominum significationem ostendant in alvi fluxionibus mutationes excrementorum salutares esse, non signo, sed causa, sententiam dilatare coguntur ad quamlibet alvi dejectionem, sive sponte contingat, sive arte procuretur, & quia hoc sensu non exacte verificatur sententia, quia sæpe excretorum a pharmaco mutationes

tiones malæ ſunt etiam ſi ad pravas non fiant, quod in principiis ſuperpurgationum evenit, ideo coguntur ulterius aphoriſmo addere (non ſine auctoris injuria) niſi mutatio excrementorum ſit ſuperpurgationis initium. Satius eſt ergo ſententiam ſimpliciter exponere, ſuperſtitioſa nominum proprietate poſthabita. Admonet ergo Hippocrates excretorum mutationes in fluxibus alvi utiles eſſe, dummodo mutatio hæc in deteriora, aut colore, aut ſubſtantia, aut exeundi modo non fiat. Talis enim mutatio indicat evacuationem, ſi fuit critica, abſolutam eſſe noxio humore in totum excreto. Si vero fluxus ſymptomaticus fuerit, excretorum mutatio, quæ ad malum non fit, cauſas ſymptomaticæ excretionis jam ceſſare demonſtrat. Utroque igitur modo hujuſmodi excrementorum mutatio juvare dicitur, quatenus cauſas morbificas removeri nobis oſtendit. *Martian. p.* 439. Videtur eſſe præſens aphoriſmus continuatio doctrinæ de evacuationibus criticis æſtimandis, bonæ an malæ ſint. Laudabiles ſeu in melius factæ mutationes in alvi profluviis reſpiciunt & quantitatem & qualitatem, nec non excernendi modum: ſi nempe redierint excretiones iſtæ ad naturas ſuas, a quibus deſciverant; ut ſi peccantes vel pauciores ſunt, vel immodicæ; peregrini coloris conſiſtentiæque alienæ; denique ubi excernuntur cum doloris, anxietatis & moleſtiæ ſenſu. In melius itaque fuerint mutationes, cum v. g. profluvia nimia colliquantia imminuantur; ex cruentis fiant incruenta, flaveſcentia ex albis, ſuccoſa ex dilutis, pultiformes ex feroſis, & tandem dejiciantur ſine moleſtia aut dolore. *Hecquet.* Ex-

crementa alvi coctionis & cruditatis arbitrium ſuggerunt. Signa coctionis in genere ſunt, quæ ſtatui naturali propinquiora, colore, odore, conſiſtentia; cruda, quæ contra. *Wedel.* Uti ergo meliora, quo propius ad ſtatum naturalem accedunt alvina profluvia, ita deteriora judicantur, quo magis ab illo recedunt; v. g. ubi profluant nigra, peſſime olentia, purulenta, cruenta, cum magnis doloribus. Plura ad judicium ex dejectionibus alvinis pertinentia, videſis ad 1 *aph.* 2.

APHOR. 15.

Ὄκȣ φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, σκέπτεσθαι χρὴ τὰς ἐκκρίσιας· ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει· ἢν δὲ ὅμοιαι τῇσιν ὑγιαίνȣσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Cum fauces ægrotant, aut tubercula in corpore exoriuntur, excretiones in conſiderationem adhibendæ; ſi namque bilioſæ ſint, corpus ſimul ægrotat; at ſi ſanorum ſimiles fiant, ſecure corpus nutrias.

De μεταςατικῇ criſi, apoſtaſes creante, agere hic videtur aphoriſmus; de qua vid. notata ad 2 *aph.* 12. *Fauces*, φάρυγξ, dicuntur ſuprema, amplior, pars ſeu principium oeſophagi, imo totum illud latum ſpatium, quod, dum

dum aperitur os & deprimitur lingua, inferius apparet. vid. *Gorr. defin.* voce φάρυγξ. In dicto spatio copiosæ locatæ sunt glandulæ, & inprimis duæ notabiles, quæ vocantur tonsillæ, seu amygdalæ, utrinque ad fauces juxta uvulam sitæ. Solent laborare hæ partes ulcusculis & inflammationibus, *Vallef.* Pituita acris humoribus permixta, ubi in loca minime assueta irruperit, ea exulcerat. Cum vero ad fauces teneras etiam fluxio ingruit, eas exasperat. — Quibus ita se habentibus fauces exulcerantur, exasperantur, & incenduntur. *Hippocr. de flat. n.* 16. Tonsillæ autem & partes sub lingua intumescentes, — eæ omnes partes ex pituita afficiuntur. *lib.* 2. *de morb. n.* 11. *Tubercula*, φύματα, hic accipiuntur pro omnibus externis tumoribus præter naturam factis. *Vallef.* & *Holler.* Tubercula quæ oriuntur omnia, ex pituita aut sanguine nascuntur. *Hippocr. de affect. n.* 34. Jubet Hippocrates observari, cujus naturæ fuerint excretiones, seu humores qui vel eructantur sub faucium affectibus, vel continentur in illis tuberculis, ut inde cognoscatur, benignive sint affectus illi, sanguineæ nempe aut pituitosæ prosapiæ, quæ illorum indoles naturalis est; tunc enim tubercula erunt producta a sola lympha in suis glandulis stagnante. Secus erit, si *excretiones* fuerint *biliosæ*, a flava atrave bile, aut quoquo modo corruptis humoribus, maligna tunc censenda sunt tubercula, ab ægrotante universo corpore, ab ipsa nimirum sanguinis massa vitiata. *Hecquet.* Alii Commentatores ad præsentem aphorismum, inspectionem sputorum, fæcum alvinarum & urinarum, præcipi existimant, ut manifestum fiat, an interius in universa humorum

rum massa lateat vitium, totumve ægrotet corpus. *Sorbait* hîc maxime intelligendam censet excretionem, quæ fit per urinas. Si jam appareat corpus totum ægrotare, illius cura haberi debet inprimis, & a nutritione ejus abstinendum est: nam juxta 2 *aph.* 10. impura corpora quo plus nutrias, eo magis lædas. Et hoc Hippocratem hic docere in animo habuisse, suadent quæ addit sequentia: *sin sanis similes fiant* (excretiones), *tutum est nutrire corpus.* Nam tunc abest causa, quæ prohibet nutritionem; & affectus isti externi localibus auxiliis tractandi erunt. Si fauces inflammatione tententur, oris collutionibus utendum. *Hippocr. de affect. n.* 4. Tubercula confert partim quidem cataplasmatis inducere, & medicamentis epotis discutere, partim vero cataplasmatis impositis maturare. *ibid. n.* 34.

Ex hoc aphorismo discere etiam licet, cur morbi dicti cutanei (ulcera, pustulæ, tumores) quo pertinet omne scabiei & herpetis genus, medentibus sæpe se sistant rebelles nî correctio universæ humorum massæ simul suscipiatur. „ Morbi quicunque ulcerum genere „ continentur, & reliquo corpore superemi„ nent, una cum medicamentis etiam fame „ curandi sunt. *Hippocr. de flat. n.* 47.

APHOR. 16.

Οὐκ ἂ λιμὸς, ἂ δεῖ πονέειν.

Ubi fames, laborare minime convenit.

Fa-

Fames notat hic indigentiam aut penuriam alimenti : *labor* quodcunque corporis exercitium. Qui ergo habet cibi indigentiam, non debet corpus exercere. Nam penuria alimenti ſiccat, extenuatque corpora & diſſolvit vires; labor agit idem: ſi itaque accedat exercitatio fami, cauſa extenuandi & debilitandi augebitur. Quo magis vero corpora laborant, eo magis ſpiritus & humores impenduntur & difflantur. Hinc Herodico cuidam exprobrat Hippocrates, quod febricitantes conficeret laboribus & inedia. *Herodicus febricitantes tum multis obambulationibus, tum multa lucta & fomentis conficiebat, idque male. Febris enim fami, luctæ, obambulationibus, curſibus, frictioni, iis utique omnibus eſt inimica. Laborem igitur labore curabat. Inde venarum rubor, livor, pallor, aut laterum dolores molles contingebant.* 6 *Epidem. ſect.* 3. *n.* 54 *ſq* Nam ei, qui aut febris gratia, aut qui faſtidio laborat, a cibo abſtinet, otium agendum eſt. Ita enim magis citra noxam famem feret. *Valleſ.* Ergo, ſi quibus de cauſis futura inedia eſt, labor omnis vitandus eſt. *Celſ. l.* 1. *c.* 2. *p.* 24.

Forte Hippocrates etiam admonere voluit, medicationum aut medicaminum labori parcendum eſſe, quando inediæ aut victus parcitati addicendus æger eſt, iis in morbis ubi fluidorum facta fame aut inopia, male ſanæ mentis foret organa vel ſolida ſtulto labore aut periculoſo conficere. Si itaque ab inanitione factus fuerit morbus, nec Medico, nec ægroto, laborandum eſt, quiete enim tunc magis, quam opere proficitur; ſolidis debitum concedendo temporis ſpatium, quo nativum elaterem aut tonum recuperent; idem indulgen-

do

do fluidis, ut ad nativam ſuam ſe recipiant fluiditatis vim, ut, utrinque reſtitutis ſolidorum & fluidorum potentiis, medicinæ locus fiat, aut medentis operibus. *Hecquet.*

APHOR. 17.

Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει· δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

Ubi copioſior præter naturam cibus ingeſtus fuerit, id morbum creat; oſtendit autem ſanatio.

Cibus plenior quam natura vincere poteſt, repletionem facit, & inde morbi a repletione. id quod explicatum eſt 2 *aph.* 4.

Quid memorare opus eſt, quot morbos, quotque dolores
Diſpergat nimius potus per membra, cibuſque
Immodicus? ſcatet hinc, tanquam de fonte perenni,
Febris, & ulcus atrox, ſcabies porrigo, podagra,
Articuloſque premens, manibuſque infeſta chiragra:
Hinc lippi ſtillant oculi, reſolutaque Baccho
Membra tremunt, denteſque cadunt: olet halitus oris:
Hinc ſtomachus languens, atque inteſtata venit mors.

Paling. Zod. p. 62.

Indicat ſanatio, ſeu potius *evacuatio*, ἴνησις pro ἴησις,

ἴησις, secundum id, quod habetur 2 *aph.* 22. A juvantibus naturam & causam morbi cognosci posse docetur: quia evacuatio juvat, ergo præcessit repletio.

Aphor. 18.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίγνονται.

Eorum quæ confertim & celeriter alunt, celeres quoque excretiones fiunt.

Copiosa & celeris ab ingestis refectio & nutrio supponit celerem eorundem coctionem, ergo etiam in prima celerem utilis ab inutili separationem, & hinc celeres etiam ab istiusmodi cibis dejectiones per alvum contingunt. Qui vero cibus celeriter conficitur, facile separabilibus constat partibus atque tenuibus: hinc etiam celeriter ex prima (chylopoietica) officina deducetur in secundam (haimatopoieticam), & inde in tertiam seu ultimam (vascula exhalantia). Ergo celeriter dissipantur. *Ex cibis hi quidem celeriter superantur, illi vero contra. Hippocr. 6. Epidem. sect. 5. n. 53. Quod ægre immutatur, ægre consumitur. Quod facile apponitur, facile consumitur. lib. de alim. n.* 11. Facilius reficiunt liquida solidis, juxta 2 *aph.* 11. Qualia alimenta, ventriculo bene habente, talia excrementa, crassa & fluida, seu tenuia. Victu firmo utentes tardius seu longiori mora de-

dejiciunt. *Wedel.* Difcimus ex dictis, quod ab ingeftis celeriter conficiendis ac multum nutrientibus contingentes multæ feu copiofæ evacuationes, nihil portendant mali; & quod, tam in fanitate quam in morbis, folitæ deficientes excretiones provocari queant affumtis celeriter conficiendis, feu refpiciant illæ alvinas evacuationes, five perfpirationem infenfibilem aut etiam fudorem, five urinam, aliasve excretiones quibus natura afluevit.

APHOR. 19.

Τῶν ὀξέων νουσημάτων ἐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, ἔτε τοῦ θανάτε, ἔτε τῆς ὑγείης.

Morborum acutorum non in totum certæ funt prænuntiationes, neque mortis, neque falutis.

Hunc aphorifmum Celfus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 57. ita reddidit: *Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas effe & falutis, & mortis.*

Acuti morbi, chronicis contradiftincti, intra breve tempus de vita hominis decernunt, ob citam eorum folutionem: ejus vero eventus præfagitio ab ignominia plerumque Medicos vindicat. Ne tamen exinde multum faciles in prædicendo illi fint, arrogantiam eorundem reprimit Hippocrates. Hinc etiam, *Quod fi quis*, ait, *me audiat, is quam prudentiffime & con-*

consultissime tum in cætera arte, tum in prædictis hujusmodi se geret, probe intelligens, qui prædictionis successum consecutus sit, apud prudentem ægrum admirationi fore, qui vero deerraverit, præterquam quod odio gravabitur, eum ne insaniæ quidem suspicionem effugere posse. Quapropter præcipio prædicta tum hæc tum alia omnia prudenter fieri. lib. 2. Prædict. n. 3. Experientia fallax, judicium difficile. 1 *aph.* 1. Instabiliter enim moventur, quæ in humidis consistunt, ideoque facilem cum a natura, tum a fortuna mutationem habent. *de decenti orn. n.* 10. Spes interdum frustratur, & moritur aliquis de quo Medicus securus primo fuit. *Cels. l. c.* Est enim Medicina ars conjecturalis, neque respondet ei plerumque non solum conjectura, sed etiam experientia. *Cels. l.* 1. *præf. p.* 13. Attamen non sunt ex hoc omnino parvi faciendæ ejusmodi conjecturæ; nam etsi aliquando fallant, sæpe tamen collineant. Unde Hippocrates tantum dixit *non omnino* seu *non in totum.* Et Celsus *p.* 57. Est tamen, inquit, Medicinæ fides, quæ multo sæpius, perque multos ægros prodest. *Tozzi.*

Salutis, aut mortis prædictiones a duobus potissimum desumuntur, a morbi essentia, & a supervenientibus accidentibus. Prædictiones vero, quæ ex idea morbi desumuntur, tutiores sunt in chronicis quam in acutis. Nam scimus, v. g. tabem ex ulcere pulmonis lethalem omnino esse, hydropemque confirmatum, & alios morbos similis naturæ; quartanam pariter omnino tutam esse. In acutis vero res non ita se habet, quia salutis, aut mortis certitudo haberi non potest sola morbi natura inspecta, experientia enim demonstrat nullum esse inter acutos morbos adeo lethalem, quin aliquos

evadere contingat, nec quorundam benignitati omnino fidendum eſt, quia mors inexſpectata haud raro ſuccedit. Prædictiones vero, quæ ex ſupervenientibus accidentibus deſumuntur, tutiores ſunt in acutis, quam in chronicis. Hujus cauſam afferebat pulcherrimam Hippocrates *lib. Prognoſt. n.* 21. hunc in modum: *Qui morbi intra breviſſimum temporis ſpatium ſunt judicationem ſubituri, facilius dignoſcuntur, cum maxime inter ſe ab initio diſſideant. Qui enim ex morbo ſuperfuturi ſunt, facile ſpirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque ſecuriſſima ſigna habent. At perituri, difficultate ſpirandi vexantur, delirant, vigilant, cæteraque peſſima ſigna habent.* Cum igitur non ignoraret Hippocrates ex hujuſmodi ſignis ſupervenientibus tutiores eſſe prædictiones in acutis, quam in diuturnis; ideo in præſenti aphoriſmo non dixit *in acutis non omnino rectæ ſunt prædictiones ſalutis, aut mortis*, id enim prædictioni omnino repugnat, ſed dixit *acutorum morborum*, ut indicaret prænotiones, quæ ſunt ipſorum morborum & ab eorum eventu ſumuntur, nullam exactam habere certitudinem. Ex his igitur patet, qua diligentia in Hippocratis lectione procedendum ſit, quando ſola varietas caſus unius dictionis tantummodo ſententiam penitus contrariam reddit. *Martian. p.* 439. Si nihil critici in morbi ſanatione obſervatur, etiam nihil certi medicus ad præſentem futurumve morbi ſtatum pronunciare poteſt. *Haen Rat. med. P.* 8. *p.* 24. Eſt alia ratio cur Hippocrates faſſus ſit, acutorum morborum haud eſſe tutas citra ullam exceptionem prædictiones. Sæpe ſæpius cernimus criſin omnibus numeris abſolutam, integramque poſt eundem brevi redeuntem ſanitatem,

nitatem, dum interea primo, altero, tertio, quaternario dierum elapſo, morbus idem, aut ſimilis, aut prorſum alienus, redeat. Contingitque ſubinde, ut, de qua criſi, num perfectam dicas, valde dubitares, eandem perfectiſſimam ſalutes; quamque arbitratus perfectiſſimam eſſe, hanc doleas fallentem. *ibid. p.* 25.

APHOR. 20.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus per juventutem alvi ſunt humidæ, iis ſeneſcentibus exſiccantur. Quibus vero in juventute alvi ſiccæ ſunt, iis cum ſenes evadunt, humectantur.

Apud Celſum *l.* 1. *c.* 3. *p.* 32. aphoriſmus hic ita legitur: *Quibus juvenibus fluxit alvus, plerumque in ſenectute contrahitur. Quibus in adoleſcentia fuit adſtricta, ſæpe in ſenectute ſolvitur.*

Obſervationem meram continet hic aphoriſmus. Quod ſenibus, qui alvum habuerunt humidam, illa ſiccetur, id nihil habet miri; nam ceſſat adventante ſenecta fibrarum laxitas, & ſicceſcens corporis ſenilis habitudo ſiccitatem alvi ſecum inducit. Juvenes plus conficiunt bilis, quæ promovet digeſtionem & protrudit fæces. Inſuper etiam ratio poteſt eſſe, quod juvenes plus accipiant cibi quam

O 2 pro

pro indigentia, unde plures egeſtiones: ſenes autem minus appetant, unde imminuitur copia fæcum. Quod autem, quibus fuit ſub juventute ſicca alvus, ſub ſenectute humectetur, non alia videtur eſſe ratio, quam quod in juvenili corpore humores multi diſſipati fuerint per tranſpirationem, in ſenili autem, imminuta tranſpiratione, humores ad inteſtina refluentes alvum humectent. Dejectionum commutationem quidam hic intelligunt in utraque ætate, ſi eadem victus ratio obſervata fuerit, in eadem perſona. Qui in juventute graciles fuerant, in ætate conſiſtenti & ſenili pingueſcunt; & qui juvenes obeſo fuerant corpore, procedente ætate gracileſcunt. Atqui obeſorum alvi plerumque laxiores eſſe ſolent. *Tozzi.* In juvenum alvo adſtricta, paulatim humiditas colligitur, quæ in ſenectute operari incipit. *Sorbait.* Quid in qua ætate præſtet, humidane an ſicca alvus, docet 2 *aph.* 53.

APHOR. 21.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem vini potio ſolvit.

Experientia docet, vinoſos paucis cibis eſſe contentos. Vini, maxime generoſi, non acidi, ſed dulcis & pinguis, potus famem ſolvit, id eſt, infringit, minuit: quia fibrarum ſtomachi oſcillationes deprimit, contrahendo ſeu ſtringendo & ſiccando, unde etiam dige-

ſtionem

ſtionem minuit; quemadmodum contra aquæ potus appetitum cibi excitat, unde *aqua vorax* dicitur ab Hippocrate *6 Epidem. ſect.* 4. *n.* 39. *Hecquet.* Sunt quibus vinum alimentum eſt, ſunt quibus non eſt. *lib. de alim. n.* 7. λιμὸς hîc proprie notat famem intenſiorem ac caninam, voraciſſimis canibus familiarem. θώρηξις, metaphora petita a lorica thoraci inſtrata, ſignificat hic vinum ſeu potum vini, non vero cujusvis, ſed generoſi tantum, Græcisque familiaris vini, quod eo pectus incaleſcat & quaſi armetur. Famis majoris ſive caninæ cauſa eſt acidum vel quantitate vel qualitate excedens. Vinum quo generoſius & calidius, eo in ſolvenda fame, etiam intenſiore, erit validius & efficacius, quia acidum ventriculo inhærens non tantum diluet & abluet, ſed omni parte ſolvet & dividet, ſuaque dulcedine oleoſa & balſamica, ſpicula acidi infringet, involvet, obtundet; ſimili ratione ac videmus tartarum, copiæ dulcis liquoris vinoſi innatare ſine noxa, qui tamen æque præſens eſt, quia gratiam conciliat: vel etiam uti oleum vitrioli, ſpiritum nitri, acidiſſima corpora, edulcorantur ſpiritu vini rectificato. *Hotting. de Vino diſſ.* 3. *p.* 22 *ſq.* Conf. *Ramaz. Oper. p.* 594. Famis cauſa eſt inanitio, & irritatio ab humore acri, vellicante tunicam ventriculi; unde quandoque homo animo deficit, niſi quid ingerat. Vinum inprimis inanitionem tollit, quia cito diſtribuitur & reficit; ſecundo, quia abſtergit acres humores, præcipue ſi ſit calidum, odoratum, merum, tenuiſque ſubſtantiæ. *Sorbait.* Quandoque etiam a tænia, ſeu verme lato, fames excitatur, & vinum meracum largius hauſtum illi adverſatur. *Tozzi.* Sed ecce, multi vinum ante prandium

dium & cœnam potant, ut deſidem appetitum erigant. Sciendum igitur eſt: qui laborant ventriculi laxitate & viſciditate, ita ut ventriculus affici non poſſit muco obſeſſus a refluente bile in ventriculum, his, ſi ingerant vinum, vel & ſpirituoſa, quæ ſolvunt mucum, & ventriculum vi calefaciente & conſtringente exagitant, fieri famem majorem, quia poſt aſſumtionem vinoſi, vel a vinoſo aut ſpirituoſo ipſo, vel validiore applicatione laterum ventriculi ad contenta, aliquis in ventriculo concitatur ſenſus, quem famem vocamus. *Gorter.* Adde, quod aſſumto vino acido, v. g. Rhenano, aliove tenui, non pingui ſeu oleoſo, augeatur acidum, cauſa famis præmemorata.

APHOR. 22.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή· καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Morbos ex repletione ut curat evacuatio, ſic eos, qui ex vacuatione fiunt, repletio; & in cæteris contrarietas remedio eſt.

Hic aphoriſmus ex *lib. de flat. n.* 2. deſumtus eſt, ubi ad verbum legitur; & eadem ſententia extat in *lib. de nat. hom. n.* 17.

Scripta autem videtur hæc ſententia adverſus eos, qui putant per omnes morbos utendum

dum esse tenui victu, & tanto melius ægrotantes omnes curari, quanto in tenuiori victu continentur: quod tamen falsum est, quum oriantur etiam morbi ex evacuatione. Etenim *si quid amplius quam redundantia requirat, extra corpus effluat, evacuatio ipsa dolorem exhibet. Hippocr. de nat. hom. n.* 7. Morborum itaque ex inanitione ortorum curatio consistet in repletione seu refectione: quemadmodum evacuatio requiritur ad sanandos morbos ex repletione, uti dictum est 2 *aph.* 17. *Cibi & potiones, quæ vacuata sunt, explent; lib.* 1. *de diæta n.* 2. Ad vitia, quæ ex nimis copioso sumto cibo & cruditate prima in regione proveniunt, tam præcavenda, quam sananda, optima remedia sunt abstinentia, alvi ductio, vomitus & liberior perspiratio & medicamenta roborantia. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 371. Ita contraria contrariorum sunt remedia. Nihil quoque aliud innuere vult Hippocrates *l.* 6. *Epid. sect.* 8. *n.* 77. scribens: in morbo contraria victus ratio adhibenda. *Cum enim cujusque natura immutatur & corrumpitur, dolores fiunt, & sanantur contrariis, idque proprium est cuique morbo. Hippocr. de loc. in hom. n.* 51. Omninoque Medicum sua prudentia obviam ire convenit instantibus, & naturis, & anni temporibus, & ætatibus, contentaque solvere, & soluta intendere. *lib. de nat. hom. n.* 18. Tenuis homo implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madefacere. itemque alvum firmare is, cui fusa: solvere is, cui adstricta est. *Cels. l.* 1. *c.* 3. *p.* 28. Huc pertinet quoque quod docet Hippocrates *l.* 6. *epid. sect.* 5. *n.* 12. 13: „ Medicatio est, obluctantem esse neque consentientem affectui.

„ Sic frigidum & auxilio eſt, & quæ a calido
„ ſunt, tollit ".

Exceſſus omnes etenim contraria curant.
Namque intemperiem calidam frigentia pellunt,
Frigentem calida, & ſiccam humectantia, & udam
Sicca. Viciſſim etenim extrudunt contraria ſeſe.

Bouſſuet art. med. l. 2. p. 30.

Haud tamen univerſaliter verum eſt, quod contraria contrariis curentur. Etenim qui laborant hæmorrhagia ex abundantia & impetu majore, curantur ſanguinis miſſione. Febris cacochymica febre curatur. Pars gelu conſtricta ſolvitur nive applicata. Quæcunque perfrigerata ſunt, excalfacere oportet, præterquam a quibus ſanguis erumpit, aut erupturus eſt. Alvi fluxus ſæpe per purgans, & vomitus per vomitorium tollitur. Inflammatio miteſcit applicatis tepidis, recrudeſcit ab actu frigidis. Pars combuſta non fert actu frigida. *Gorter.*

APHOR. 23.

Τὰ ὀξέα τῶν νȣσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

Morbi acuti intra dies quatuordecim judicatione terminantur.

Extat hæc ſententia *lib. de Judicat. n.* 4. & *Coac. ſect.* 1. *n.* 211. ac *ibid. n.* 190. ita legitur: *De febre ardente laborantibus dies quatuordecim, aut allevando, aut perimendo decernunt.*

Singulos morbos in duas ſpecies Græci divi-

viſerunt; aliosque ex his acutos, alios longos eſſe dixerunt. Ideoque, quoniam non ſemper eodem modo reſpondebant, eosdem alii inter acutos, alii inter longos retulerunt. Ex quo, plura eorum genera eſſe, manifeſtum eſt. Quidam enim breves acutique ſunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipſi cito finiuntur. Quidam longi, ſub quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt. *Celſ. l.* 3. *c.* 1. *p.* 111. Morbos acutos ſolvi intra quatuordecim dies, vult præſens aphoriſmus; h. e. judicantur ſeu ſuam habent criſin, de qua agitur ad 1. *aph.* 20. Sunt autem morbi acuti hi, quantum nominibus Veteres complexi ſunt, Pleuritis, Peripneumonia, Phrenitis, Lethargus, febris ardens, & quicunque alii morbi ad hos conſequuntur, quorum febres omnino continuæ interficiunt. *Hippocr. de vict. acut. n.* 3. Febrium judicationes iisdem numero diebus contingunt, quibus homines moriuntur, & quibus ſuperſtites evadunt. Leviſſimæ enim febres & cum ſecuriſſimis ſignis, quarto die aut prius finiunt. Maxime vero lethales, & quæ cum periculoſiſſimis ſignis contingunt, quarto die aut prius interficiunt. *lib. de Judicat. n.* 2. & *Prognoſt. n.* 20. Ex Hermocratis hiſtoria, in *Hippocr. l.* 3. *Epidem. ſect.* 1. *ægrot.* 2. in qua ex febre acuta eum interiiſſe narratur die vigeſima ſeptima, colligit Franc. Valleſius terminum acutorum diem vigeſimam ſeptimam eſſe, tot enim diebus, inquit ipſe, luna ſuum curſum per duodecim ſigna zodiaci abſolvit. Verum non conſideravit Valleſius hunc ægrotantem, licet febre acuta laboraverit, non tamen continuo acute febricitaſſe, quandoquidem decima quarta die ſine febre fuit, atque

etiam vigesima, & ideo non potest dici, eum acute laborasse usque ad vigesimum septimum diem, nec inde colligi, acutos morbos usque ad illam diem protrahi posse; quia, si hoc pacto terminum acutorum definire liceret, non minus dici posset, eorum terminum esse quadragesimum diem, quam vigesimum septimum, cum constet morbos acutos ad quadragesimum diem sæpius pervenire. Non est ergo ut ab Hippocratis doctrina recedamus, qui terminum acutorum decimam quartam diem statuit, ita tamen, ut intelligamus, nullum morbum cum acutie continua diem quartum & decimum pertransire posse, quin aut judicetur, aut remittat, aut aliquo modo intermissionem habeat; cujus ratio si a coelestibus petenda est, dicendum erit, ea ratione, propter quam diuturni morbi, quique solis motum sequuntur, tunc maxime judicari, quando sol ad punctum pervenit oppositum ei, quem initio ægritudinis occupaverat, ex quo (ut etiam Hippocrates adnotavit) morbos æstivos hyeme, hyemales vero æstate judicari contingit, quia sol ad locum oppositum tunc perveniens effectus contrarios influit in hæc inferiora; unde morbos ipsos insignem mutationem subire necesse est. Eadem ratione pariter acuti morbi, qui a motu lunæ regulantur; cum ad oppositum locum luna pervenit, in contrarium fieri mutationem necesse est, ita ut aut solvantur, aut permutentur, aut remittant, aut ægrotantem ad interitum perducant, quod spatium cum luna diebus quatuordecim circiter percurrat, ideo acutorum morborum terminus quatuordecim diebus ad summum comprehenditur, quemadmodum a Præ-

ceptore

ceptore ſtatutum eſt. *Martian. p.* 318. Vulgo vocantur morbi *acuti ſimpliciter*, qui intra quatuordecim dies terminantur, & referuntur ad eorum claſſem etiam, qui ad decimum ſeptimum, & vigeſimum protenduntur diem. *Acuti ex decidentia*, ἐκ μεταπτώσεως, dicuntur, qui quadrageſimum diem pro ſummo termino habent, poſt quem longi appellari incipiunt morbi, qui non amplius per ſeptimanas, ſed per vigeſimanas & quadrageſimanas judicantur. nam poſt quadrageſimum, ſexageſimus, deinde octogeſimus, poſtea centeſimus vigeſimus, dehinc centeſimus octogeſimus eſt judicatorius; vel enim ii in cujuſque anni temporis mutationibus ſolvuntur, vel cum locum mutant, aut quod poſtremum eſt, cum in oppoſitas tempeſtates decidunt, vel cum ad idem, quo coeperunt, tempus redierunt. Qui hæc effugiunt, in commutatione ætatis judicantur. At qui eas quoque ſuperant, medelam non admittunt, quod jam ſalus, quæ a tempeſtatum temporumque mutatione ægro promittebatur, ſit deſperata. vid. *Actuar. Meth. med. l.* 2. *c.* 4. *p.* 117. Ut enim morbi acuti, qui celeriter, continenter, & vehementer moventur, intra ſecundum ſeptenarium judicantur, iidemque, ex irrito erethiſmo, acuti naturam amittunt, nomen tantum retinent, & ad quadrageſimum uſque diem producuntur: ſic morbi natura diuturni, per vicenarios tantum a quadrageſimo ſubeunt naturæ inſultus, quos ἐφόδους Græci vocant. Atque illorum diuturnitas in pepaſmi difficultate conſiſtit; pepaſmi autem difficultas in humoris morbifici contumacia & erethiſmi vacuitate. At vero qui morbi ſunt diuturni ex vitio gentilitio, unde συγγενεῖς nominantur, &

ex

ex vitiata complexione & temperamento, principiorum facultatumque ignavia; non nisi ætatis succeffione curationem recipiunt: quoniam ætatum succeffio mutationem adfert complexionis, temperamenti, & habitus. Atqui ætatum succeffio cadit in feptenarios annos, fecundum 3 *aph.* 28. *Duret. in Coac. p.* 200. Demum morbi *peracuti* vocantur, qui ad quintum vel feptimum diem tantum decurrunt; ut febris ardens. ac *extreme peracuti*, feu *perperacuti*, & *acutiſſimi*, item *ſuperperacuti*, audiunt, qui tertio, aut ad fummum quarto, die terminantur; ut febris peſtilens. Juxta *Boerh. I. M.* §. 736. morbi *acutiſſimi* intra quatuor dies terminantur; *peracuti* intra feptem; *acuti* intra dies viginti; chronici dicuntur reliqui omnes. Febris acuta vocatur, quæ velociter & cum periculo decurrit. *Boerh. aph.* 564. Hinc acuti febriles morbi appellantur, quos dicta febris comitatur. *ibid.* 567. Hujus generis, quæ fingularem fimul inflammationem inducunt huic illive organo, unde ab ejus functione læfa toti morbo imponitur nomen, funt: Phrenitis, Coma, Carus, Angina, Peripneumonia, Hæmoptoë, Pleuritis, Inflammatio mammarum, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, lienis, mefenterii, inteſtinorum, (Dyfenteria, Ileus, Volvulus, Tenefmus, Hæmorrhoïdes, Colica biliofa,) renum, veficæ, ureterum, uteri, juncturarum, exteriorum in morbillis, variolifque. *ibid.* 770.

APHOR.

Aphor. 24.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μετὰ ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης· ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Quartus septenariorum index eſt. Octavus alterius ſeptimanæ principium. Undecimus etiam ſpectandus dies, ſiquidem alterius ſeptimanæ quartus eſt. Rurſus quoque ſpectandus decimus ſeptimus, is ſiquidem a decimo quarto quartus eſt, & ab undecimo ſeptimus.

Referuntur hic dies in decurſu acutorum morborum obſervabiles. Sunt in his diebus alii aliorum *indices*, ſeu *indicatorii*, *indicantes*, *internuncii*, qui ab Hippocrate vocantur ἐπίδηλοι, *contemplabiles* h. e. contemplatione digni, neque ſine animadverſione prætereundi; bona enim criſis ſemper indicatur aliquanto prius quam fiat, per ſigna videlicet coctionis, ad ſpeciem & tempus criſis. Alii appellantur a Medicis dies *proprie* ſeu *perfecte critici* vel *decretorii* atque *judicantes*, κριτικοὶ ſive κρίσιμοι, qui etiam *principes*, aut *cardinales*, in quos criſis incidere ſolet, ſuntque ab Hippocrate memorati ſeptimus, decimus quartus & vigeſimus,

quo-

quorum indices seu contemplabiles sunt quartus, undecimus & decimus septimus; ita, ut quartus indicet septimum, undecimus decimum quartum, decimus septimus vigesimum. Sunt itaque indices dies ut quaternarii, critici vero septenarii. Vigesimus dies horis ultimis adfert judicationem seu crisin, usque adeo ut haud multum referat, si quis vigesimum primum decretorium esse dicat: certe vigesimus vires habet in fine, septimus in initio, quatuordecimus in medio, quod nosse ad medicam praxin non parum referet: nam quocunque auxilio uti velis, si diei decretorii vim velis devitare, septimi quidem satis sit duodecim horas præteriisse, & quatuordecimi decem & sex, vigesimi vero nonnisi ultimæ horæ etiam præterierint, & duodecim primæ vigesimi primi. *Vallesf. in Progn. p.* 363. Principium numerationis in computatione dierum criticorum semper est faciendum non a lassitudine, decubitu, vel mala dispositione ægri, sed a motu febrili, qui observatur ex horrore, pulsus mutatione, dum nempe incipit frequens fieri, qui celeritatem singulorum pulsuum, quæ febrium pathognomicum signum constituit, manifestat. *Fr. Hoffmanni Diss. de Crisium natura. Halæ* 1706. 4°. Observatum vero est, dies illos diversa ratione & indicandi & judicandi vim obtinere, v. g. si quatuordecimus indicet decimum septimum, & septimus undecimum. Insuper qui inter dies memoratos sunt impares, alii παρεμπιπτόμενοι h. e. *intercidentes*, sive *irrepentes*, *intermedii*, *intercalares*, *provocatorii*, vocantur, qui nempe inter principes & indices intercidunt, suntque tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimus nonus, nam quoque vim habere ad judican-

judicandum obſervantur, non tamen tam potentem, quam quæ eſt diebus criticis, ſed criſes moliri imperfectas; h. e. in quibus, ut inquit Heurnius, quædam fiunt aut apparent prætermiſſa a præcedentibus: etenim ſinguli prædictorum dierum dupliciter dicuntur, aut enim πρός τι, quæ referuntur ad πρόσθεσιν (i. e. ſymptomatum acceſſionem;) aut ſimpliciter, quando referuntur ad tempus totius hiſtoriæ morbi. E. g. ſi quis ab initio acute febricitare inceperit, ſeptimus totius hiſtoriæ dies erit judicans ſimpliciter. Atſi quis duobus diebus leniter febricitarit, tertio die acute febricitare inceperit, ſeptimus totius morbi hiſtoriæ non erit judicans, ſed nonus, qui appellatur ſeptimus, non quidem totius hiſtoriæ, ſed proſtheſeos. *Heurn. Oper. T.* 2. *p.* 272. Quarta demum ſtatuitur dierum differentia, qui neque principes ſunt, neque indices, neque intercidentes, in quibus vel nulla, vel imperfecta & mala criſis evenit, quales fere a quarto pares ſunt, ut ſextus, octavus, decimus, duodecimus, decimus ſextus & decimus octavus, dicti ἄκριτοι, *dies medicinales*, item *vacui*; eorum vero peſſimus eſt ſextus, qui, quod eo plures pereant, *tyranni* nomen meruit. Vid. *Valleſ. Holler. Fick. Paul. l.* 2. *c.* 7. *Actuar. meth. med. l.* 2. *c.* 4.

Doctrinam de diebus criticis aliquanto plenius, quam in præſenti aphoriſmo, propoſuit Hippocrates *l.* 1. *Epidem. ſect.* 3. *n.* 37 *ſqv.* in h. m. *Quæ diebus paribus invaſiones habent, ea diebus paribus decernunt. Quorum vero acceſſiones imparibus diebus fiunt, ea imparibus judicantur. Circuituum autem qui diebus paribus judicant primus eſt decretorius quartus, ſextus, octavus, decimus, decimus*

mus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus & centesimus. Circuituum autem qui diebus imparibus judicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus septimus, primus & vigesimus, septimus & vigesimus, & trigesimus primus. Considerandum autem est, quod si quid aliter, extra hos præscriptos dies, decernat, recidivas fore perniciemque portendi. Animumque advertere & nosse oportet, his in temporibus futuras judicationes ad salutem aut perniciem tendere, vel momenta in melius aut deterius facere. Ne quid autem desit, quo de Hippocratis mente certi esse queamus, adduci omnino meretur locus ex *lib. de Judicat. n.* 2. qui etiam extat in *Prognost. n.* 20. ubi de febribus maxime letalibus agens, quæ cum periculosissimis signis contingunt, & quarto die aut prius interficiunt, ita infit: *Primus igitur earum impetus sic finitur, alter ad septimum deducit, tertius ad undecimum, quartus ad decimum quartum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum. Hæ igitur in acutissimis morbis accessiones per quatuor fiunt, & ad viginti dies producuntur. Fieri vero non potest, ut horum quicquam integris exacte diebus numeretur. Neque enim anni, neque menses integris diebus constare solent. Post hæc autem eadem ratione juxta eandem adjectionem, primus circuitus est quatuor & triginta dierum, secundus quadraginta, tertius sexaginta. At inter horum initia perquam difficile est dignoscere quinam longo temporis spatio judicari debeant, quod simillima sint eorum principia. Verum a primo die advertere animum oportet, & pro singulorum quaternariorum additione considerationem adhibere, nec latebit quonam se vertat morbus.* In *lib. de septim. partu n.* 8. *Medicum*, ait, *qui de aegrorum salute recte conjectare volet, animadvertere oportet,*

oportet, ut omnes quidem dies in contemplationem adhibeat, ex paribus vero decimum quartum, & vigesimum octavum, & quadragesimum secundum. Hic enim terminus pro harmoniae ratione, & integer perfectusque numerus a quibusdam ponitur. Ad hunc autem modum per ternarios aut quaternarios contemplari oportet, ternariis quidem omnibus copulatis, quaternariis vero duobus ad duos conjugatis. Demum vero *lib. de vict. acut. n.* 46. hæc habet: *Inprimis dies impares verendi sunt, nempe quod hi dies magnam ægrorum in hanc vel illam partem inclinationem efficiant. Observare itaque primum diem oportet, quo æger debilis esse, & unde & quando initium morbi cœpit, quod certe præcipuum cognitu existimatur.*

Atque hæc de diebus criticis prolata, multorum observatione seculorum ita comperta esse creduntur a nonnullis, ut summa potentia daretur diebus septimo, deinde quarto decimo, ac demum vigesimo seu (ut habet *Celsus l.* 3. *c.* 4. *p.* 121.) uni & vigesimo. Quoniam Antiqui potissimum impares sequebantur dies, eosque, tanquam tunc de ægris judicaretur, κρισίμυς nominabant, hinc ægros sic nutriebant, ut dierum imparium accessiones expectarent. deinde postea cibum, quasi levioribus accessionibus instantibus, darent: adeo ut Hippocrates (4 *aph.* 61.) si alio die febris desisset, recidivam timere sit solitus. *Cels. l. c.* Sed si quæras rationem, a qua dierum efficaciam indicantium & judicantium &c. repetere tutus queas, vix aliquam solidam reperias licet. Quare ab aliis tantum non ad fabellas relata est dierum certorum in morbis observatio. Hinc etiam Asclepiades, censente Celso, jure ut vanum repudiavit quæ antiqui de diebus illis tradidere,

 neque

neque in ullo die, quia par imparve esset, ægris vel majus vel minus periculum esse dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt; & opportunius post febrium accessiones cibus datur. Nonnunquam etiam in ipso morbo, dierum ratio mutatur; fitque gravior, qui remissior esse consueverat. Atque ipse quartus decimus par est, in quo esse magnam vim Antiqui fatebantur. Qui cum octavum primi naturam habere contenderent, ut ab eo secundus septenarius inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octavum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendo, quasi potentiorem: plus enim tribuebant nono, & undecimo. Quod cum fecissent sine ulla probabili ratione, ab undecimo, non ad tertium decimum, sed ad quartum decimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse gravissimum. Ita, illo quoque auctore, in die pari & gravior febris esse potest, & certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrumque efficacissimum apprehendit; id est, quartum, septimum, undecimum, quartum decimum, decimum septimum, in quo ab impari ad paris rationem transit. Et ne in hoc quidem propositum conservavit: cum a septimo die undecimus, non quartus, sed quintus sit. Adeo apparet, quacunque ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis, sub illo quidem auctore, reperiri. Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt: cum hic quoque Medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri; & ex his conjectare, quando dandus cibus sit. *Cels. l. c.* Et *Vallesius* existimat, videri Hippocratem hic Pytha-

thagoricorum doctrinam de numerorum virtute respexisse: eo quod illi faciebant magni quaternarium & septenarium numerum. Dignus qui huc conferatur est libellus, cui titulus: *Jacobi van den Velde Diatriba Academica, qua doctrina medica de Crisi, sive Naturæ Medicina, purgatur a vanitate & offuciis dierum criticorum. Marburgi* 1717. 4°. Demonstrare sibi sumsit doctus Auctor famosos illos *dies criticos*, tot seculorum, tot ingeniorum cruces, non tam constituisse Hippocratem firma & constanti observatione, quam potius, hac quasi repugnante, ex *Philosophia Pythagorea*, eaque male intellecta, subsumsisse & vitiose exputavisse: hinc illos ipsos dies criticos, ceu male ortos, ab Antiquorum prudentissimis fuisse dudum explosos; Galeni vero artibus Græcis, quasi per postliminium in medicinam frustra receptos; atque adeo doctrinam universam de diebus criticis male natam, frivole tot seculis jactatam, & quasi per manus traditam, nulla unquam constitisse vera demonstratione, sed mera & vana opinione, concepta ex præjudicio auctoritatis, & levi hinc credulitate, esse susceptam, & in hunc usque diem propagatam.

Si exactam tum *indicum*, tum *criticorum* dierum rationem ab illorum fautoribus exigere velimus, procul dubio inveniemus, æque fore, ac climactericorum annorum commentitiam. Et quidem quî fit ut quartus index esse possit, cum illo accessiones febrium vel non accidant, vel non ingravescant, cum tamen criticæ motiones nonnisi in febrium paroxysmis fiant? Quomodo octavus principium evadat secundæ septimanæ, cum quo aliæ accessiones per dies impares succedentes nullam

rationem ineunt, idque potissimum in intermittentibus tertianis? Quo etiam pacto criticus decimi quarti diei motus præsignari possit ab undecimo, cui febriles paroxysmi non respondent? Quomodo insuper decimus septimus, quartus dicatur a quarto decimo, qui terminus est secundæ septimanæ? & quomodo idem decimus septimus index esse possit vigesimi, & vigesimi primi; sicut & vigesimus quartus, vigesimi septimi, & vigesimi octavi? Præterea cum ex Hippocrate 1 *Epidem. sect.* 3. morbi, qui per dies impares exacerbantur, in imparibus etiam judicentur, quomodo judicari deinde possunt in diebus paribus, decimo quarto, vigesimo, vigesimo octavo, trigesimo quarto, quadragesimo? quod etiam, animadvertit Galenus 4. *Aph. com.* 61. Et si per septenarios circuitus critici fiunt, cur est, ut vigesimus, vigesimus septimus, trigesimus quartus, & quadragesimus critici etiam statuantur? quinimo transacto quadragesimo, ad vicenos duntaxat referantur, ut 60. 80. 100. 120? Quæ sane adeo Galeni mentem extorsere, ut illum coëgerint, nedum uni diei duplicem faciem appingere, alteram præcedentibus, alteram succedentibus hebdomadibus, sed etiam numerum, ordinemque prævertere, illasque in longius protrahere, aut vicissim, ubi oportuerit, decurtare. Confugit is propterea ad lunæ motum, qui velocior, & tardior, ad zodiaci signa relatus, cum sit, velocius proinde ejus quadrantes peragrans, vigesimum, & vigesimum septimum ad crisin disponat; in tardiori vero motu, vigesimum primum, indeque vigesimum octavum criticos efficiat. Atque hoc pacto sextus, & octavus, decimus tertius, & decimus quin-

tus,

tus, similesque dies, pari ratione critici esse poterunt. Sed & nec mensis, quem ipse compositum fingit, ex Synodico, & Periodico, aut quem Illuminationis appellat, assignato criticorum dierum computo bene quadrat, cum alicubi is etiam excedat, alicubi deficiat. Hippocratem præterea ipsum, si in cæteris suis Operibus consulamus, varium plane comperiemus, quippe qui in omnibus diebus crises accidisse commemoret. *Tozzi.* Enimvero in Hippocratis Epidemiorum libris multa occurrunt loca, quibus factæ recensentur *Crises*, omnino *salutares*, *die* non solum (Galeni arbitrio) *non critico*, sed atro penitus, ut *octavo*, & *sexto*, illo tyranno, scilicet. Sic e. g. *lib.* 3. *ægr.* 12. legitur crisis die sexto, post largam ex naribus hæmorrhagiam, sudorem copiosum, calidum & per universum corpus diffluentem, febrem ardentem & acutam salubriter finiisse. *Lib.* 4. sub *Vergiliarum occasum* (non uni tantum & alteri, sexto die crisin contigisse, veluti præter solennem ordinem & fortuito, sed) *omnia die sexto & octavo judicata fuisse*, memorantur. Et, ne forte arguatur, crises istas omnes fuisse perniciosas, additur ilico exemplum *foeminæ ἐκ καυσικῶν* (ustione seu inflammatione) *diarrhoea & præcordiorum angustiâ pessime habitæ, at salubriter ipso illo die sexto sudoribus judicatæ.* Vid. *Velde l. c.* §. 26.

Neque sibi constare videtur Hippocrates in determinanda paritate, & imparitate dierum, quando & decimum quartum, & vigesimum inter impares enumeravit *lib.* 4. *de morb. n.* 22. cujus causam reduxit Galenus in principium secundæ septimanæ, auctorem Aphorismorum secutus, quod in diem octavum incidit, quare

ab eo septimanam rursus inchoando, septima dies in diem decimum quartum incidit, qui hac ratione septimi virtutem, & naturam sortitur; unde merito inter dies impares adnumeratur. Sed hæc ratio habet difficultatem, quia, si ratione diei octavæ id eveniret, undecima dies, imo etiam nona, inter pares adnumeranda esset, quare in illis diebus deorsum purgare liceret, quod Hippocratis doctrinæ manifeste repugnat, *libro* enim *de humor. n.* 3. dum tempus evacuationi faciendæ præscriberet, per singulos dies pares deorsum, & per impares sursum purgandum esse determinavit, usque ad decimum tertium diem, quo non amplius sursum, sed deorsum purgare oportere adnotavit, sursum vero die decima quarta, eodem ordine ad reliquos subsequentes progrediendo: quasi a die decima tertia, dierum parium, & imparium natura in contrarium permutetur. Quæ doctrina si vera est, non ratione octavæ diei, decima quarta dies imparis naturam sortitur, sed potius, quia (ut *lib. cit. de morb.* ait Hippocrates) dies decima quarta est tertia dies secundæ periodi, cujus finis est undecima dies. Quæ quidem ratio (si quid in hac re paritati, aut imparitati tribuendum est) multo rationabilior videtur. Verum quia paritas, aut imparitas per se nihil operatur, ideo allatam difficultatem tollere alia ratione tentandum est. Observatum est a priscis illis Medicis, peculiares esse dies, in quibus evidentiores mutationes, & firmiores in morbis contingunt, aliosque esse, in quibus hæ raro adveniunt, & debiliores, prioresque pro majori parte impares esse, posteriores vero pares. Unde doctrinæ gratia statutum est, impares

pares dies frequentius judicare, & potentiores esse, quam pares, & ideo per excellentiam quandam numerus impar contemplabilis, & criticus appellatus est, ita ut inde invaluerit usus, ut quicunque dies tuto, & frequenter judicare solent, impares dicantur, etiamsi re ipsa pares sint, cujusmodi est decima quarta & vigesima. E contra vero, quia signa & mutationes, quæ in diebus paribus eveniunt, non adeo frequenter observantur, nec tutum, firmumque judicium præstant (hæc enim in iis morbis tantummodo contingunt, qui per dies pares exacerbantur; qui sicuti raro eveniunt, ita difficile judicium habent, quod etiam Hippocrates adnotavit *l. c. de Humor.*) ideo diebus paribus infidæ mutationes, & signa inconstantia tributa sunt; ita ut, quicunque dies non bene, sed fallaciter judicare solent, pares communiter dicantur. Ex quibus colligimus, idem esse dicere, impares dies & pares, acsi diceremus bene judicatorios, & male judicantes, & infidos. Et juxta hanc denominationem usus est Hippocrates voce περισσῇσιν, id est, *imparibus*, 4 *aph.* 61. *febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit, reverti solet*, per impares, judicatorios accipiens, quos quidem propriori vocabulo nobis designavit *lib.* 2. *Epidem. sect.* 5. *n.* 30. quo in loco hanc eandem sententiam repetens ait, ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς, ὑποστροπιάζειν ἀνάγκη, h. e. *nisi in die legitima febris dimiserit, recidivare necesse est*, γόνιμος enim *naturale*, & *legitimum* significat: qui vero legitimi dies dicantur, manifeste demonstravit in eadem sententia in *Coac. sect.* 1. *n.* 115. registrata, quæ est hujusmodi, ὁκόσοισιν ἐκλείπουσιν οἱ πυρετοὶ μὴ κατὰ κρισίμους, ὑποστροπικόν,

quibus desinunt febres non in diebus judicatoriis, bis recidivæ fiunt. Ex quibus patet, idem significare apud Hippocratem, dies impar, legitima, & critica. Quare ubicunque de iis tractatur, quæ ad crisin spectant, per dies impares omnes vere & proprie judicatorios intelligere oportet. In qua significatione etiam accipere licet numerum imparem in loco supra ex *lib. de vict. acut. n.* 46. adducto, etiamsi proprie & vere impar indicari videatur; nam cum dicatur numerum imparem maxime vereri oportere, non omnino dies pares, qui inter judicatorios adnumerantur, excluduntur, sed quia hi pauci admodum existunt, vere dicimus impares dies maxime timendos esse. Hunc autem numerum maxime vereri oportet, eo quod quæcunque in eo mala contingunt, & certius, & gravius malum denotare solent, quam quæ in die pari. Cum igitur tanti existimaverit Hippocrates ea, quæ ad numerum parem, & imparem spectant, plurima artis parte privantur illi, qui dies singulos in morbis ab ea hora inchoantes, in qua æger primum laborare coepit, nullam fere diem habent, quæ simpliciter par sit, aut impar. Quia si quis v. g. in meridie a morbo corripiatur, diei pars ante meridiem impar erit, par vero post meridiem, & e contra, si pars ante meridiem par fuerit, reliqua pars impar erit; quare nec quo die juxta Hippocratis præcepta purgare expediat determinare poterunt, nec symptomatum supervenientium virtutem judicare. Hippocrates in enumeratione dierum in morbis vulgarem usum secutus est, primam diem appellans totum illud tempus, ex quo æger laborare incepit usque ad occasum solis,

reli-

reliquos vero ſubſequentes accipiens a ſolis exortu terminantes in occaſum. Nec audiendus hic eſt Galenus, qui quamlibet diem ex viginti quatuor circiter horis conſtituit, diei præcedentis finem copulans cum ſubſequentis principio, & veſpertinum tempus diei ſubſequentis initium faciens; quæ computandi ratio fere communiter obſervatur, ſed non eſt ad mentem Hippocratis, qui quamlibet diem, prima excepta, ab ortu ſolis inchoare ſolitus fuit, nec ullibi in recenſendis ægrotantium hiſtoriis de hora invaſionis morbi mentionem fecit: argumento evidentiſſimo, id ſcire non eſſe neceſſarium, cum ſatis ſit, non ignorare, an interdiu, an noctu, aut veſperi inceperit morbus, an mane, aut meridie, eo quod dierum computatio fieri debet, non ab ea hora diem inchoando, in qua invaſit morbus, ſed ab eo tempore, in quo vere dies naturalis incipit. An dicent Hippocratis ægrotantes omnes in ortu ſolis ægrotare coepiſſe, ut inde dierum enumerationem inchoaverit? Ridiculum certe eſt hoc, cum experientia demonſtret, morbos admodum raro matutino tempore inchoare. Quod concernit rationem dierum criticorum, Galenus eam ad ſolis peragrationem per Zodiaci ſigna in morbis diuturnis reduxit, in acutis vero ad lunæ motum, ſive modo ejus actio proveniat a ſignis, quæ proprio motu percurrit, ſive a luminis diverſitate, quod a ſole recipit, ſive ab utriſque ſimul concurrentibus, id determinare non eſt noſtri inſtituti, cum ſatis ſit ſcire, a motu lunæ acutorum morborum mutationes per quaternarios, & ſeptenarios procedere. Verum etiamſi ratione præfati lunæ motus, in ſtatutis quibuſdam diebus,

& horis, crises, & cæteræ morborum permutationes fieri deberent, cum hoc vel illud punctum attingit, sæpe tamen rationabile tempus pervertitur, ita, ut aliquando anticipent, aliquando retardentur, idque potissimum evenit ratione accessionum, quæ raro cum præfato lunæ motu coincidunt. Certum est enim, crises fieri in die majoris accessionis, unde videmus (quod etiam Hippocrates adnotavit) eos morbos imparibus diebus judicari, qui imparibus moventur, in paribus vero, quorum exacerbationes in diebus paribus contingunt, & in tempore earum peculiari: quæ enim sursum fiunt criticæ evacuationes, in accessionis principio, quæ vero inferne, aut per sudorem, remisso ejusdem summo vigore contingunt, ut Galenus edoctus a præceptore adnotavit. Si igitur a paroxysmorum varietate crisis tempus peculiare dependet, invenienda est causa repetitionis paroxysmorum in statutis quibusdam horis: quia hæc eadem, una cum præfato lunæ motu, & crises, & cæteras morborum mutationes constituet. At certe hæc alia esse non potest, quam solis motus, qui diem ipsum conficit, & metitur, dum a primo mobili ab ortu in occasum raptus, viginti quatuor horarum spatio totam mundi machinam perlustrat. Hoc enim motu mediante, non modo dies a nocte distinguitur, ex quorum diversitate humana corpora, & sublunaria omnia tam varie afficiuntur, sed etiam ad quatuor mundi cardines accedens, alterationem in hæc inferiora producit, quatuor anni temporibus proportione respondentem; unde effectum est, ut sicuti in vere sanguis abundat maxime, in æstate bilis, melancholia in autumno, & in hieme pituita,

pituita, ita matutino tempore ſanguis naturaliter movetur, bilis in meridie, melancholia veſperi, & pituita in nocte, quod omnibus receptum eſt. Quare cum nihil aliud ſit principium acceſſionis, quam principium motus humoris, qui peculiariter morbum facit, aut fovet, neceſſe eſt affirmare, unde morbifici humoris principium motus advenit, illud paroxyſmorum principium, & auctorem eſſe. Nam cur tertianæ febris (exempli gratia) acceſſio tertio die repetens determinata hora invadat, ea eſt ratio, quia ſol ad meridianum accedens, bilem tertianæ febris materiam conturbat, quæ cum parata ſit ad febrilem calorem concipiendum, occaſione illius agitationis, acceſſionis initium præſtat. Quod ſi non ſemper in meridie tertianæ paroxyſmi invadunt, nec eadem ſemper hora repetunt: cum modo anticipent, modo poſtponant, id inobedientiæ materiæ tribuendum eſt, quæ ſive ratione copiæ, ſive ejusdem qualitate, ſive alterius humoris permixtione, vel non ſtatim moventi cauſæ obtemperat, vel properat celerius. Si ergo criſis tempus a tempore acceſſionis moderatur, acceſſioniſque cauſa eſt præfatus ſolis motus, quatenus per eum ſol, hunc vel illum mundi cardinem attingens, acceſſiones hac vel illa hora movet, ſequitur multoties ante quam luna ad punctum illud perveniat, cujus virtute fit criſis hac vel illa die, virtute ſolis, qui horam acceſſionum, & ex conſequenti ipſius criſis, metitur ac diſponit, contingere judicationes: ita ut non ſit neceſſe ad criſin v. g. ſeptimo contingentem, dies omnes integros ex viginti quatuor horis concurrere, cum ſatis ſit ſeptem diebus ſolem ſuper terram exiſtentem vim pro-

propriam in humores exercuisse, ut crisis, aut quævis alia mutatio in die septima dicatur. Ergo (infert quispiam) non a motu lunæ, sed potius solis crisis excitabitur, si ante quam luna ad locum crisis perveniat, virtute solis judicatio sequatur. Huic respondeo, crisin hoc vel illo die fieri, a motu lunæ dependere, quæ etiamsi ad punctum exactum, in quo crisis excitari debet, nondum pervenerit, eam tamen dispositionem in corpore & humoribus ipsis usque ad illud tempus introduxit, ut actione solis adveniente crisis fieri possit. Quapropter virtus solis est, crisin hac vel illa hora excitare, lunæ autem, hac vel illa die. Astra enim in hæc inferiora agunt, non subito & derepente, nec tunc solum cum hoc vel illud punctum attingunt: sed multo prius ad certam distantiam agere incipiunt, v. g. dum orbe, vel radio ad punctum illud perveniunt, inde vero efficacius, quo magis illi puncto appropinquantur, ubi summa viget eorum efficacia. Quare, cum duorum astrorum virtutes ad unicam actionem concurrunt, non est necesse utriusque vires supremas, quæ in puncto aspectus consistunt (partilem Astrologi appellant) convenire simul, cum unius efficacia causa esse possit, ut quælibet dispositio ab altero introducta ad effectum producendum sufficiat; ex quo fit, ut actio, quæ a sole provenit, sæpe crisin, aut quamlibet aliam affectionem in corpore producat, etiamsi luna, quæ ad actionem illam simul concurrit, nondum ad locum pervenerit, a quo illius actio dependet, & ideo non est necesse, omnes dies integros esse ex viginti quatuor horis. Ut e. g. si quis die Dominico circa vigesimam horam laborare inci-

incipiat, etiamsi luna ante horam decimam quartam diei Sabbati sequentis medio motu non perveniat ad punctum illud quod septimæ diei initium præstat: quod quidem est quando luna radio, vel orbe locum attingit, qui quadrato aspectu punctum illud respicit, in quo erat tempore invasionis morbi; cujus virtute crises fiunt, variæque mutationes in morbis contingunt: nihilominus virtute solis, qui humores statis quibusdam horis movet & vigere facit, effectus septimæ diei ab ejus ortu incipiunt: cum satis sit dispositio, quam luna loco aspectus appropinquans corporibus introducit, ita, ut, si morbus cum sanguinis prædominio fuerit, etiam mane diei Sabbati, qua hora sanguis virtute solis maxime viget & movetur, crisis per hæmorrhagiam fieri possit. Quotiescunque igitur quis a morbo corripitur, dum sol est super terram, totum illud tempus usque ad occasum, pro die prima computare oportet, eo quod sol occidens diei finem, & noctis principium facit, quæ duo & natura, & viribus penitus inter se contraria existunt; ex quo fit, ut, quæcunque subsequenter eveniunt, nihil cum præcedenti die habeant, sed spectant ad subsequentem, cujus tempus illud pars existit. Idque solis facultate evenit, qui suas vires continenter singulo die exercet, easque absolvit, postquam pervenit ad occasum: aliosque denuo effectus producere incipit, cum alterius diei initium præbet; idque ex eo constat, quia, si dies quieta esse debet, nox præcedens plerumque quieta est, si laboriosa, molesta. Unde hinc argui potest, in noctium computatione, præcedentem cum die subsequenti computandam esse. *Martian.* p. 393 *sqv.* Jonstonus causam

ſam dierum criticorum, nec ſoli, nec lunæ, nec paroxyſmis, nec ſuccorum morbificorum diſpoſitioni ſimpliciter adſcribi poſſe exiſtimat; ſed illam eſſe partim ſolem, partim lunam, partim humorum diſpoſitionem, partim corporis naturam. Vid. *Jo. Jonſtoni Syntagma univerſæ Medicinæ Practicæ. Jenæ* 1673. 8°. *pag.* 178 *ſq.*

Ex dictis manifeſtum videtur, arduæ diſquiſitionis eſſe Antiquorum de diebus criticis doctrinam. Quo certius itaque conſtet, quibus præcipue illa innixa ſit fundamentis, & ad quam normam exigere obſervationes ſuas debeat, quisquis Antiquorum hac in parte ſtudium æmulari exoptat, Doct. Mead ſequentia in medium profert. Supponit nimirum in anteceſſum: Certiſſimum eſſe, quod febres *epidemicæ* oriantur vitio ambientis nos aëris, ideoque conſentaneum videri, ut ſingulis ſuis temporibus a virtute lunari, quæ hunc afficit, illæ mutationes ſubire poſſint: Notiſſimum eſſe, quod exactiſſimus lunæ coitus fiat cum ſol deficit, perfectiſſima vero oppoſitio in lunæ defectu: Rem eſſe manifeſtiſſimam, quod repentinæ ejusmodi in aëre mutationes, quæ corpora etiam ſanorum afficiunt, infirmis, & acuto morbo jam laborantibus, pro certo noceant. Jam ita pergit. Primo, inquit, habent morbi omnes ἐπιδήμιοι, ſive qui in populum ſæviunt, ſua quique certo ordine diſtributa tempora, quibus increſcunt, conſiſtunt, & ad ſanitatem inclinant. Conſtantes adeo & perpetuæ ſunt horum leges, ut, quoties a cœli ſtatu oriuntur febres, quarum acceſſiones in plerisque ſine intermiſſionibus urgent, ſi modo contingat has quavis de cauſa in aliis per circuitus redire, penſentur ſeptem paroxyſmorum

ſmorum numero ceſſantis morbi intervalla; ita ut parem menſurâ ægritudinem ſuſtineant utroque modo laborantes. Id ipſum ſola experientia comperit in morborum hiſtoriis indagandis ſolertiſſimus Sydenhamus, qui hac de cauſa ſex menſes durare quartanas autumnales animadvertit: quoniam, ſi rite ponatur calculus, inter omne id tempus recurrentes aceſſiones horas complent 336. ſive dies 14; qui quidem continuarum febrium, quas eadem anni tempeſtas apportat, terminus eſt. Neque diſcrepat ab hac ratione Galeni obſervatio, ideo nimirum ſeptenos habere circuitus exquiſitam tertianam, cum legitima continua intra ſeptimum diem deſinat, *quia unum conficiunt diem ſinguli paroxyſmi*: hoc eſt, diſpar licet ſit hujus & illius morbi conditio, æquale tamen eſſe, quo corpus ab alterutro tenetur, temporis ſpatium. Cauſa autem, cur iſtud ita eveniat, ſequens obſervatio oſtendet. Secundo, itaque fermentatur in hiſce malis ſanguis, neque deferveſcit, uſque dum per organa ſecretionis, prout his aut illis magis accommodatus eſt humor, foras derivatæ fuerint plurimæ, quæ morbum crearant, particulæ. Tertio, ſicuti ſuis quique temporibus defæcantur, qui fermenteſcunt, liquores; ſic definitum habet ſpatium, quo depuratur a fermento, vitale fluidum. Quarto, non eodem perpetuo tenore curſum ſuum peragunt, quæ conjuncta ſecum fert hæc ſanguinis efferveſcentia ſymptomata; illa vero eorum ratio eſt, ut certis in primis diebus adeo manifeſta ſui prodat indicia morbus, ut ex iis non difficile ſit, felicem an infauſtum exitum habitura ſit ægritudo, conjecturâ augurari. Hac perſpecta febrium conditione,

ditione, dies, qui morte aut ſanitate morbum plerumque finiebant, *decretorios*; quibus vero ſpei aut periculi notæ præcipue oſtendebantur, *decretoriorum indices*, Veteres appellare ſolebant. Et hactenus quidem non erat conjecturalis hæc ſcientia, adjuncta vero demum probis obſervationibus perverſa ratiocinia magnis implicuerunt dubiis eam quæſtionem. Neſcivit Hippocrates iſtius morborum acutorum naturæ cauſam, qua ægrum plerumque liberat dies ſeptimus, quartus decimus, aut unus & viceſimus. Fama inter alias eminebat illis temporibus Pythagoræ Schola, cujus magna ſcientiæ pars in harmonia & reconditis numerorum myſteriis poſita fuit; impares paribus efficaciores habebantur, ſumma vero tribuebatur ſeptenario potentia. Has Philoſophi opiniones ita ſequebatur divinus in medendo vir, ut recidivam timeret, ſi pari die deſiiſſet febris; & decimum quartum, aut etiam unum & viceſimum diem expectaret, niſi ſeptimus morbo finem feciſſet; quoniam multum poteſt, tum in ægritudinibus, tum in partu edendo, numerus ſeptenarius. Cum autem certum eſſet ſolvi interdum febre laborantes die ſexto, aut octavo, ſine periculo recurſus, has rationes ut vanas repudiavit Aſclepiades; & jure dixit Celſus, in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagoricos numeros fefelliſſe. Iſto igitur animadverſo errore, Galenus felicius longe in hac diſquiſitione proceſſit; nec ab imparium dierum efficacia ducere originem cenſuit febrium acceſſiones & criſes; ſed a lunæ facultate, quæ terreſtribus imperat, & cætera vincit ſidera, non potentia, ſed vicinitatis virtute. Habent itaque, ſi ipſius auctori-

toritatem ſequi velimus, circuitus ſuos, quibus ſeptem dierum intervallis accedunt, & inclinant, morbi acuti a curſu lunæ, *quæ ſingulis hebdomadibus, cum nova nimirum, dimidia, vel plena eſt, viribus pollet maximis*. Ex hiſce conſtat, Galenum cauſam, quæ paroxyſmos febrium immutet, rite animadvertiſſe; at modum, quo hæc effectum parit, non fuiſſe conjectura aſſecutum. Summa autem rei hæc eſt. Criſis eſt materiæ morbum facientis per hos aut illos corporis meatus expulſio; quæ ut cum ægri ſalute peragatur, eatenus illa comminuenda & digerenda eſt, quoad permeare & tranſire poſſit per ora glandularum ad quas appellit. Idcirco, ſicuti perfectiſſima fit ſudoribus febris ſolutio, tum quod natura cæteris omnibus plus liquoris exſpuant ſubcutaneæ glandulæ, tum quoniam per anguſtiſſimos harum tubulos non alius quam tenuis & probe concoctus humor percolari queat; ita maximo cum periculo morbum finit ſanguinis fluxus, quippe qui indicat eam eſſe mali indolem, ut per nullas corporis vias defæcari poſſit ſanguis, qui proinde effervefcentia ſua canales dirumpit. Mediam autem hic conditionem habent geniti in illis partibus abſceſſus, per quos craſſi & tenaces expurgantur ſucci. Certum eſt igitur, ſi modo in novam plenamque lunam incidat tempus, quo aut a defervefcente ſanguine foras pellitur noxius humor, aut profuſionem minantur ultra modum tenſi ab æſtu febrili canaliculi; eo faciliorem & pleniorem fore morbi criſin, quod minore tum vi corporis ſuperficiem urgeat, & fluidorum impetum reprimat circumfluus æther. Quin etiam fieri poteſt, ut ob variam hujus cauſæ

rationem hodie interdum peragatur, quam pro more & conditione ægritudinis craſtinus dies apportare deberet, febris ſolutio; aut in poſterum diem contra differatur, qui hodie ſperandus eſſet morbi terminus: cum accelere- tur motus naturæ a facultate lunæ, & hujus ope nonnunquam indigeat ad amovendum aëris obſtaculum ſolito debilior animalis machina. Idcirco ſexto, quandoque, quandoque & octavo, uti obſervavit Hippocrates, ſolvetur morbus, cujus circuitum ſeptimus in plerisque dies definit. Convenit itaque, ſi lunaris virtutis in hiſce caſibus momentum perpendere velimus, tempus, quo primum invaſit morbus, diligenter notare; hujus deinde indolem, & quo ſecretionis genere ſalutem ægri moliri ſoleat natura, probe noſſe, neque nimia ſedulitate, præſertim ſub finem ægritudinis, humorum motus turbare; laborantis denique vires æſtimare atque expendere. Si quis eas in facienda medicina leges ſervaverit, comperiet ſine dubio, non novam ſolum plenamque lunam; ſed & ſideris hujuſce ad meridianum cœli faſtigium, aut huic oppoſitum locum, acceſſionem ad immutandum corpus animale vim afferre maximam. *Mead Oper. p.* 458 *& ſeqv.* Credat qui velit laudatam potentiam ſeu imperium lunæ in corpora humana, ad ſtabiliendos dies criticos.

Attamen certiſſimum videtur, unumque morbum ſuo more, ab omnibus aliis diverſo, vel in ſanitatem, vel in mortem, vel in alium morbum abire: quoſvis vero morbos acutos, vel plurimos ſaltem, critice terminari, ſtrictiori ſenſu vocabulo ſumto, vel dierum criticorum numero regi, experientiæ repugnat. Morborum

rum quorumlibet mutationes omnes a morbi & naturæ viribus determinari veriſſimum eſt: Criſin vero a dierum quodam numero dependere, ac ſi ſub numero ternario, ſeptenario, mirabilis quædam potentia lateret, haud eſt veriſimile. Dari morbos, qui ſeptimo, decimo quarto, vel vigeſimo primo die, per ſenſibilem criſin terminantur, negari minime poteſt: quinam vero qualesque ſpeciatim hi ſint, a nemine hactenus fuit demonſtratum. Qui inter recentiores Medicos exemplis in praxi dies criticos, ſecundum Veterum normam, ſe obſervaſſe gloriantur, raro tamen adeo felices in Medicina vates ſe extitiſſe, fateri coguntur; aliorum experimentis potius, quam ſuis innixi, in dierum criticorum potentiam diſputantes. Acutiſſimus Boerhaavius Veteres ſummâ cum reverentia veneratur; & hinc criticos dies re ipſa dari in plerisque morbis acutis credidit, uni etiam alterique morbo adſignavit, de cætero vero in determinandis morbis, dierum criticorum potentia ſolvendis, parcus. Experientiſſimus Sydenhamus morbos pleros-que expulſione materiæ ſolvi agnoſcit; dierum criticorum numerum raro inducens; quem, ſi uſque adeo frequentes eſſent, procul dubio non effugiſſent. Nemo Medicorum eſt, vel modice doctus, quin variolarum æque ac morbillorum ſtadia dignoſcat; quidni & aliorum morborum, ſi ſimilem obſervarent memorabilium mutationum ordinem? Interim nec critici dies plane rejici debent, nec venerabilis antiquitas falſitatis argui; modo dematur ſuperſtitio. Alternis diebus febres bene multas exacerbari, experientia addiſcimus. Id vero variis febribus commune eſt, acutis non tantum & continuis, ſed etiam intermittentibus

& lentis. Hinc maxime ſenſibiles mutationes, ſive in pejorem, ſive in meliorem ſtatum, diebus imparibus contingere ſolent. Et ſi morbus ejus eſt genii, ut ante ſeptimum diem ſuperari a naturæ viribus potuerit, eo die criſis vel ſolutio morbi contingit: non quia criſis huic diei occulta quadam ratione eſt adfixa, ſed quia ſeptimus eſt alternus dies, & morbus eo uſque victus, ut ſolita alternæ diei exacerbatio non revertatur, ſed vel evacuatio quædam ſenſibilis materiæ morboſæ, vel ſolutio morbi, ſine manifeſta evacuatione, ſit facta. Id vero quoniam non regulariter in omnibus febribus ita fit, critica mutatio non ſemper die impari evenit, ſed etiam pari; quod vel Hippocrates & Galenus ubertim teſtantur. Si morbi materiæ copia major ſit, quam ut ſeptem dierum ſpatio ſubigi poſſit, v. g. ſeſquialtera vel dupla, morbus vel undecimo, vel decimo quarto ceſſabit; & ſic eadem in ratione diebus aliis. Magna quidem modeſtia & agonia conjuncti invadunt illi dies, quibus morbi ſolutio contingit, critici dicti, vel & eos proxime præcedunt. Nec mirum. Morbo etenim ab incremento ad ſtatum appropinquante, corpori magna infertur moleſtia; ad ſtatum autem perducto, ejus vires minuuntur, & ſanitas redire incipit. Exemplo eſt inflammatio; hæc maximam tunc moleſtiam & dolorem parit, quando ſuppurationi eſt proxima. Pure facto, vel reſolutione nata, hoc eſt, morbo in alium morbum mutato, vel ſanitate redeunte, mitigantur ſymptomata. Eſt itaque ſimilis mutatio cum maxima moleſtia, ſine dierum criticorum obſervatione. Criticas ejuſmodi mutationes prævideri ex ſignis quandoque poſſe & prædici, conceditur; quia in multis alter-

ternis diebus fiunt acerbationes, quæ, prout varia ſymptomata conjuncta habuerint, inſtantem & proxime futuram exacerbationem, vel mitiorem vel graviorem prænunciant. Talia vero & ſimilia in omnibus febribus omni tempore prædicere, ſine errore, impoſſibile eſt. Quid? ſi in morbis quibusdam certæ quædam dierum criticorum leges ſancitæ ſint, nonne criticas etiam eorundem morborum evacuationes, morbum ſolventes, regulariter determinatas eſſe, ſtatuere oportet? Hoc tamen minime agnoſcunt criticorum dierum propugnatores. Incerti & dubii fuerunt ſemper, quamnam evacuationem, in certo quodam morbo, a natura expectare debeant; quaſi omnes morbi acuti, varii licet generis ac genii, per easdem vel ſimiles evacuationes, per ſudores, diarrhoeas, ſalivæ fluxum, aliasque, æque facile ſolubiles eſſent, eæque dierum criticorum potentiæ ſubmitterentur omnes; quod analogiæ œconomiæ animalis non minus, quam criticorum dierum certitudini repugnat. Conſentaneum ergo videtur, Veteres Pythagoricæ numerorum & proportionum doctrinæ nimium fuiſſe addictos; dein autem regularum prognoſticarum avidos, & prædictionibus in morbis vaticinatorum gloriolam affectantes, quæ nonnunquam in febribus contigiſſe viderant, ad morbos quosvis acutos applicaſſe; quæ ad certos quosdam ſolos, & certis quibusdam in circumſtantiis pertinebant, ad omnes extendiſſe. Hinc illa Veterum in dierum criticorum adſertione inconſtantia & mutabilitas. Vid. *Eph. N. C. vol.* 10. *obſ.* 42. auctore Grashuis. Hippocrates paſſim aliique Practici notant, ſi quarto die quædam apparent phænomena, ſeptimo

die futuram esse crisin, si vero undecimo conspiciuntur, decimo quarto expectandam esse evacuationem criticam: adeoque inter florendi & maturitatis tempus præterlabitur tempus trium dierum. Veritas hæc sola observatione firmatur. Nonne unusquisque liberrime fatebitur, si videat septimo die ab invasione variolarum inchoare hinc inde pustularum suppurationem, regulariter omnes pustulas undecimo die maturas fore & decimo quarto decidere? Quod si itaque quarto vel undecimo die in urina conspiciuntur rudimenta seu inchoata coctio, nulla est ratio dissuadens, ex his signis apparentibus hoc tempus vocare diem indicem. Dierum itaque Criticorum & indicum doctrina firmo nititur talo, sed ex oscitantia, perversa medela, permistione multorum morborum, a non satis in praxi attendentibus ad Veterum nugas, hæc temporum observatio damnata fuit. *Gorter.* Pro veritate doctrinæ Hippocraticæ de diebus criticis, & argumentis apud alios non reperiundis, & observatis propriis propugnat Doct. *Haen Rat. Med. P.* 1. *cap.* 4.

APHOR. 25.

Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες· οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Quartanæ æstivæ fere breves existunt, autumnales vero longæ, præsertim quæ ad hyemem pertingunt. Celsus

Celsus *l.* 2. *c.* 8. p. 76. ita expressit: *Quartana æstiva, brevis: autumnalis fere longa est; maximeque, quæ cœpit hieme appropinquante.*

De febre quartana hic est sermo, quæ est ex intermittentium genere, in quibus plena ἀπυρεξία inter duos quosque paroxysmos intercedit; quæ quarto quoque die corripit intercalaribus integris binis. Expositio hujus aphorismi ad mentem Hippocratis peti potest ex iis quæ leguntur in *lib. de nat. hom. n.* 28. & 29. Quartanæ tertianis tanto longiores sunt, quanto minus bilis calorem exhibentis obtinent, tum quia in his corpus liberalius refrigeratur, iisque ab atra bile is cumulus accedit, ut nonnisi ægre depelli possint. Bilis enim eorum omnium quæ in corpore insunt cum sit glutinosissima, maxime diuturnas stationes facit. Quod autem quartanæ humoris melancholici sint participes, ex eo cognosces, quod autumno præcipue homines quartanis corripiantur, & ea ætate, quæ est ab anno vigesimo quinto ad quadragesimum quintum, tum etiam quod hæc ætas inter alias omnes atræ bili potissimum est obnoxia, ut & inter anni tempora autumnale maxime accommodatum. Si qui vero extra hoc anni tempus & eam ætatem quartana correpti fuerint, pro comperto habeas hanc febrem, nisi quid aliud hominem male habeat, minime diuturnam fore. H. J. Omnes morbi, cæteris paribus, calidioribus temporibus breviores sunt, quam frigidis; nam calor æstivus favet coctionibus, frigus brumale auget crispaturas, adstringendo poros difficiliorem facit humoribus meabilitatem. Quin etiam Quartanæ, quæ per totum autumni, hiemis & veris cursum durarunt, circa solstitium

æstivum sua sponte finiuntur. Tardat enim hiems morbos, æstas vero maturat, & ad colliquandos humores morbosos, atque ad obstructiones reserandas aptissima est. Neque ignotum in praxi est, Tertianas, quæ proveniunt autumno, semper difficilioris esse sanationis, iis, quæ vere vel æstate proveniunt. Quemadmodum enim æstate semper plus & liberius perspiramus: ita ab æquinoctio autumnali & solstitio hiemali semper paulatim perspiratio decrescit: & ideo etiam *Sanctorius* I. *aph.* 115. diligenter & curiose observavit corporis pondus in autumno augeri *Hoffm. aër. in temp.* §. 19. Ex allatis patet, cur *æstiva ægritudo* dicatur in adagio, quo ægritudinem aut molestiam mox desituram, nec procaci recursu aut lancinatione diuturna corpus emaciaturam designatur. Quo magis vero certo constat de ista medicorum observatione, *morbos æstivos præ cæteris esse celeres ac breves*, eo minus credendum est, quod insimul etiam sint *leviores* aut *mitiores*, ut potius *gravissimi quilibet*, exemplo pestis, febrium petechialium aliarumque malignarum, variolarum, morbillorum, anginæ, pleuritidis, &c. per æstatem sævire magnamque stragem edere soleant. *Baier. adag. med. p.* 146. Vetus Quartana raro nisi vere solvitur, juxta *Cels. l.* 3. *c.* 16. Equidem juxta *Hippocr.* 6. *Epidem. Sect.* 6. *n.* 42. *Quartana non ultra annum* scilicet durat: Ast annotati sunt homines, qui ultra viginti annos quartana laborarunt; & verosimile est Mæcenatem, cui *Plinius l.* 7. *c.* 51. perpetuam febrem fuisse annotatum reliquit, non alia, quam quartana, laborasse. Conf. *Forest. Obs. med. l.* 3. *obs.* 32. *schol. p.* 125. Maxime autumno grassatur, magisque

gisque si lien tumet, continuæ vel incertæ febres fuerunt, non ex toto solutæ, magisque si corpus frigidum, & siccum, & glabrum, si ætas declinans, ipseque homo crassæ materiæ alimentis usus, mœrore ac solicitudine confectus est. *Lomm. Obs. p.* 17 *sq.* Contumaciam suam debet Quartana hepati male affecto: id quod exinde patescit, quod perperam curatæ plerumque succedat hydrops. Qui adolescentiam jam egressi & viriles annos adepti, quartana corripiuntur, admodum frequenter signa ostendunt viscerum male constitutorum. *Hoffm. de vomit. us. p.* 32 *sq.* Quartanæ autumnales & periculosiores sunt, & obstinatiores longe quam Tertianæ autumnales: ubi enim natu grandiores impetunt, eosdem paucis adhuc paroxysmis multatos quandoque jugulant; quo in casu æger tempore exhorrescentiæ, ineunteque adeo paroxysmo, utplurimum moritur. Quod si æger in senectutis tantum fuerit confinio, necdum ejus limen prætergressus, licet non in eodem versetur discrimine ne inter paroxysmos primo lacessentes luce privetur, haud tamen facile a febre hac elabetur, nisi vertente anno, appetenteque illo tempore quo primo corripiebatur. Nonnunquam etiam hæret lateri letalis arundo, nec nisi a morte languescenti decutitur. Quartana interim typum subinde variat, plura etiam parit symptomata, scorbutum v. g. ventrem induratum, hydropem, &c. Juniores vero ferendo huic morbo pares sunt, a quo nonnunquam circa solstitium brumale liberantur, frequentius tamen nonnisi adveniente verno æquinoctio, vel etiam autumno insequenti, ubi scilicet venæ sectionem aut catharsin admise-

rint. Sæpe non ſine ſtupore ſum intuitus, infantes tenellos cum hoc morbo per totos menſes ſex commiſſos, nec oppreſſos tamen, ſed de eodem, Herculis inſtar pueri, in cunis triumphantes. Hic notandum, quod cujuſcunque demum ætatis aut temperamenti fuerit is, qui Quartana corripitur, ſi quolibet alio vitæ tempore (vel etiam ab hoc remotisſimo) eadem ſemel laboraverit, non diu admodum eum ſecunda hac vice fatigabit morbus, ſed poſt paucos aliquot paroxyſmos ſponte ſua ſolvetur, quod ſcitu dignum erat. *Sydenh. p.* 101. Hybernæ Quartanæ fere in morbos acutos tranſeunt. *Hippocr. Coac. ſect.* 1. *n.* 236. Si febris continua fuerit, expectare convenit in quartanam firmari debere, ubi intermiſerit, & errabundum in modum prehenderis, & ita ad autumnum deducatur: oriuntur autem annum agentibus trigeſimum, aut ſenioribus. *Prognoſt. n.* 24. In errantibus febribus nigræ nubeculæ Quartanam denunciant. *Coac. ſect.* 5. *n.* 50. Beneficia Quartanæ dicuntur ad 5. *aph.* 70.

APHOR. 26.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

Convulſioni febrem advenire præſtat, quam convulſionem febri.

Obſervatio, quod febris ſuperveniens convulſioni morbum ſolvat, exſtat etiam in 4. *aph.* 57. item *lib. de Judicat. n.* 12. *Coac. ſect.*

ſect. 3. *n.* 80. *lib.* 1. *de morb. n.* 6. & in *epiſt. ad Regem Demetrium. Libro de loc. in hom. n.* 48. ita ſcripta legitur: *A convulſione ſi febris prehendit, eodem die ceſſat, aut poſtero, aut etiam tertio.* In *Coac. ſect.* 3. *n.* 84. & 86: *Convulſionem ſolvit febris ſuccedens acuta, quæ prius non aderat, aut, ſi prius adfuit, ingraveſcens. Convulſiones autem derepente ortas febris ſolvit ac alvi fluxus. A convulſione liberare ſupervenientem Quartanam*, docemur in 5. *aph.* 70.

Sunt Convulſiones tenſiones fibrarum, ex quibus vaſa & omnes membranaceæ partes componuntur: capacitates ita vaſculorum ſtrictæ appellenti ſanguini aditum præcludunt. Excitata febri, ſanguis vincens obſtacula, compreſſos diametros cogendo, reſerando, reſtituit ejus circuitui libertatem atque æquabilitatem. Hinc, *ſi quis ebrius derepente mutus fiat, convulſus moritur, niſi eum febris prehendat.* 5 *aph.* 5. *Puerperas ſi convulſio prehenderit, febrem excitare convenit. lib.* 2. *Epidem. ſect.* 5. *n.* 10. At febris convulſioni ſuccedens ex repletione fieri ſolet, atque ob id ſolvere morbi cauſam. *Cardan. p.* 161. Quapropter probe hic attendendum, quod convulſio a repletione, i. e. copia humorum, non qualitate materiæ acris & cauſticæ orta eſſe debeat, quoniam motus, tam inteſtinus quam progreſſivus, denſam illam, viſcidam & compactam materiam, quæ nervis & cerebro inſidet & quæ in primis viis continetur, attenuat & diſcutit. Pulchre autem hic notat Hollerius, quod non quævis febris convulſionem ſolvat, ſed moderata, nec nimis debilis, nec nimis vehemens & maligna, quæ vires exſolvit. *Hoffm. de ſal. febr.* §. 30. Si ergo fuerit a repletione convulſio, materia obſtruente

te frigida, viscida, datis attenuantibus licebit motum augere; si vero a plethora, conducet potius venæ sectio. At si fuerit ab inanitione, vel acrimonia, omnia morbum augentia evitare satius erit. Qua arte, ubi convenit, excitari possit febris, docet observatio a Jos. Lanzono literis mandata. Vir nobilis, 44. annorum, temperiei calidæ ac humidæ, qui nebuloso atque pluvio coelo, itinere facto, domum reversus somno se tradens, media nocte de occipitis dolore conqueri cœpit ad scapulas protenso, ita ut caput ad posteriora convelleretur cum dolore. Vocatus Medicus varias præscribit unctiones, venam secat, sed frustra; a quodam empirico oleum, in quo decocti erant scarabæi cornuti, illinitur pulsibus; atque excitata sic febri æger perfecte sanatus est. Vid. *Eph. N. C. D.* 3. *a.* 1. *o.* 29. Exempla sanatæ per febres epilepsiæ legi possunt *ibid. D.* 2. *a.* 5. *app. p.* 20. *D.* 3. *a.* 3. *o.* 30. *a.* 7. *o.* 172.

Contrà febri superveniens convulsio malum censetur, quia præcedens febris convulsionis erit causa; nam a fervore febrili impetu fertur sanguis in arteriolarum capillamenta, quæ in nervorum desinunt fibrillas, ut ita ad nervos pertingat phlegmone, quæ creat spasmos. *Convulsiones cum febre acuta, perniciem denunciant. Coac. sect.* 2. *n.* 207. *In febribus acutis convulsiones, malum.* 4 *aph.* 66. Quamvis itaque satius sit, febrem in convulsione accedere; non tamen tollitur, quin aliquando convulsio febrem sedet: id enim adfirmavit Hippocrates. *Martian. p.* 440. *Si febre detentum convulsio prehenderit, febris eodem die, aut postero, aut tertio desinit. lib. de Judicat. n.* 12. Adnotatum autem legimus in *Prognost. n.* 26. quod pueris quidem recens

cens natis ad ſeptimum uſque annum convulſiones in febre acuta promtiſſime eveniant, at grandiores pueri & viri non adeo per febres convulſionibus prehendantur, niſi vehementiſſimum & peſſimum quoddam ſignum adfuerit. Et hinc in *Coac. ſect.* 3. *n.* 82. ita ſtatuitur. *Convulſio febri ſuccedens, periculum denunciat, minimum vero pueris. Adultiores & qui ſeptimum annum exceſſerunt, convulſione in febre non prehenduntur, alioqui periculum denunciatur.* Habent pueri nervoſum genus imbecille, cujus gratia facile convulſionibus tentantur, & ideo frequentius febris ſolutio in illis obſervatur, quam in adultis. Nec alicui novum videri debet a ſuperveniente convulſione febrem tolli, quandoque etiam in *Coac. ſect.* 1. *n.* 180. idem affirmatur, ubi hæc leguntur: *Si venæ temporum in febribus pulſent, & facies bene habita fuerit, absque præcordiorum mollitie, longum fore morbum ſperare oportet, qui nec ſine liberali ſanguinis ex naribus profuſione, aut ſingultu, aut convulſione, aut coxendicum dolore, deſinet.* Vid. *Martian. p.* 424. Ut autem dici poſſit convulſio febri ſuperveniens ſalutaris ſive bona, requiritur, ut eadem die deſinat; mala enim cenſetur, ſi tempus hoc transgrediatur. *Coac. ſect.* 1. *n.* 230. 232. Mala ergo ſemper eſt febri accidens convulſio, ſi repetat, aliiſque ægritudinibus ſocietur, velut in 4 *aph.* 66. referuntur circa viſcera dolores. Interim notetur, quod *malum* dicatur, non letale; nam poſſunt dolores iſti vehementes ſolvi a natura, ferendo vitioſos humores in alvum, aut veſicam, aut critice egeri. *Tozzi* ad 4 *aph.* 66. Eſt igitur convulſio, quæ febrem ſolvit eadem die, aut altera, vel tertia. Quæ autem variolarum eruptionem præcedunt con-

convulsiones, nisi vehementia & diuturnitate excedant, eam promovent; ab iis enim variolæ postmodum longe tranquillius & securius totum cursum absolvunt. Ita paroxysmos epilepticos in infantibus dentitione perfunctis pro instantium variolarum signo habet Sydenhamus. Eas hinc mites esse, ac boni moris, pustulas conspicuæ magnitudinis emittere, nec fere unquam confluere observat. Quæ autem convulsiones variolis jam prodeuntibus superveniunt, quamvis a materiæ retrocessione sæpe oriantur, possunt tamen aliquatenus haberi pro naturæ conatibus per ejusmodi succussus ad materiæ infensæ excretionem contendentis. Ad eam peragendam si minus valida sit, ut solet, prudentiæ Medici erit, roborantibus remediis opportune & caute adhibitis suppetias ferre. Pari ratione in epilepsia, quæ est summus motuum convulsivorum gradus, inprimis in sympathica, laboriosos ad amovendum noxium humorem nisus & conatus naturæ luctantis non inepte agnoscas. *Du Verney An mechan.*
§. 5. Convulsiones melancholicis omnibus succedentes, melancholias sedant. *Hippocr. epist. ad Reg. Demetr.*



APHOR.

APHOR. 27.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιουτέων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθε.

Si quæ non pro ratione levant, iis non oportet fidere, neque admodum metuere mala, quæ præter rationem eveniunt. Ex his enim multa incerta esse, neque multum perdurare, neque diutius perseverare consueverunt.

Neque malis terreri, neque bonis incaute fidere, sed utrisque tunc solum permoveri, cum secundum rationem fiunt; hujus est præceptum seu monitum aphorismi. Ergo necesse est, notæ ut sint Medico morborum singulorum historiæ, ne ignoret, quæ cuilibet sint solemnia symptomata, quibus ad sanitatem natura contendat, quibusve inde declinet. V. g. moris est alicui morbo per alvum, sputa, sudoresve judicari? præter rationem erunt cæteræ evacuationes, copia quantumvis sua levamini esse videantur; a consueto enim illæ tramite declinant. *Hecquet.* Iterum vero, in ægro tuo apparuerunt die quarto signa coctionis, & salutaria omnia, bene habet quinto die & sexto; septimo incipit delirare, difficulter spirare, vehementius febricitare, magno corripitur

tur rigore? noli timere: est perturbatio, a qua sequi solet crisis; prædic potius salutem. *Holler.* Dicuntur allevationes absque ratione, cum criticam evacuationem non sequuntur, vel si forte illa præcessit, diminuta & imperfecta fuit, nec per eas vias per quas fieri oporteret, aut non ejus humoris, qui expurgandus est. *Tozzi.* Si natura lacessita movere, & expellere morbi materiam moliatur, ante quam ea concocta sit, vel ubi tempus non idoneum fuerit; vel per vias minus aptas vel parciore copia; integra judicatio raro succedet: nam morbus aut non quiescit, aut si quieverit, ob relictam intus materiam iterum redit. Sic qualescunque inter initia & incrementa morborum evacuationes aliquando sponte adveniunt, iis non fidendum. Vid. *Glass de febr. p.* 31 *sq.* Quibus autem levamentum adfuerit, si id neque judicatoriis diebus, neque cum signis contingat, in iis recidivæ sunt. *Hippocr.* 2. *Prædict. n.* 29. Quæ cum malignis signis allevamentum adferunt, & quæ cum bonis non remittunt, molesta sunt & difficilia. *Coac. sect.* 1. *n.* 73. Quæ perniciem minantur, ea si absque ulla significatione allevant, mortis periculum denunciant. Sic in præcipitibus malis, si sitis temere ac præter rationem cesset, malo est. 2 *Prædict. n.* 6, 7. Et tumores temere præterque rationem allevantes, imposturam significant. 2 *Epidem. sect.* 3. *n.* 132. Febris, quæ subito sine ratione, sine bonis signis finita est, fere revertitur. *Cels. l.* 2. *c.* 7. *p.* 60. Quæ autem *mala praeter rationem eveniunt*, non omnino negligenda sunt: quandoquidem latitare aliquid potest, cujus merito mortem adferant. *Cardan. p.* 162.

APHOR.

APHOR. 28.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως, τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μετὰ γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.

Corpus eorum qui non omninò leviter febricitant, in eodem consistere, & nihil concidere, vel etiam magis, quam ratio postulat extenuari, malum. Illud siquidem morbi diuturnitatem, hoc vero imbecillitatem significat.

Longitudo febris prædicitur, si pro gravitate ipsius corpus non comminuitur aut extenuatur; indicantur enim humores crassi, non cito vincendi. Contrà, si plus justo extenuatum corpus, quam quidem ex febri ipsa evenire solet, v. g. si statim a principio, si citra evacuationes, aliasque causas extenuare valentes, in tabem corpus deduci videtur; inde necessario corporis imbecillitatem cum virium jactura arguendam esse monemur. *Mali morbi signum est, nimis celeriter emacrescere*, inquit *Celsus l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. &, *si sine causa quis emacrescit, ne in malum habitum corpus ejus decidat, metus est, ibid. c.* 7. *p.* 58. Inter signa vero longæ valetudinis refertur, *ubi aeger pro spatio parum emacrescit*, *l. c. cap.* 5. Quid portendatur mali utero gerentibus, cum febribus detentæ vehementer extenuantur citra rationem, docet 5 *aph.* 55.

APHOR. 29.

Ἀρχομένων τῶν νούσων, ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

Per morborum initia, si quid movendum videtur, moveto: cum vero vigent, quiescere præstat.

APHOR. 30.

Περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη, πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

Circa initia, & fines omnia sunt leviora: at circa vigores, vehementiora.

Conjungendi omnino sunt hi aphorismi, nam posterior prioris continet rationem. Intelligenda videtur sententia de morbis acutis. In principiis morborum, si nempe materia seu humor turgeat, evacuare potes. Vid. 1. *aph.* 22. ratio, quia *circa principia & fines omnia sunt leviora*; ibi vis nondum debilitata, hîc morbus jam minuitur. Cur non *in vigore*? quia tunc sunt (morbi symptomata) *vehementiora*: siquidem tunc materia non est cocta, solida autem sunt spasmodice contracta. „ Morbi circa ini-
„ tia curandi sunt, & in his quidem qui a
„ fluxioni-

„ fluxionibus oriuntur, primum fluxiones ſe-„ dandæ. Qui vero alia ex cauſa, in his mor-„ bi principium ſedandum & curandum. „ Deinde quod influxit, ſiquidem copioſum „ eſt, educendum, ſin modicum, victus ra-„ tione compeſcendum". *Hippocr. de loc. in hom. n.*42. Igitur, ſi quid movendum videbitur, ſive ſanguis mittendus, ſive alvus ſolvenda, ſive promovenda diaphoreſis, ſtatim auſpicante morbo ea facienda ſunt. *Hecquet.* Minorem enim factam materiam facilius poteſt natura concoquere.

In genere hîc ſummus vir rejicit omnem illam medendi rationem, quæ in morbi vigore, i. e. ſtatu, impetu & exacerbatione ejus, ubi omnia ſunt in vehementiſſimo motu, per fortiora remedia, maxime evacuantia ſuſcipitur. Maximopere vero commendat ad medicinas, quæ movent, quæ evacuant, porrigendas initium morbi. Siquidem in vehementia & vigore morbi omnia ſunt in motu & turbulento ſtatu poſita, parteſque motibus vacantes muſculoſæ ac nerveæ in ſpaſmo conſtitutæ. Hinc in proclivi ratio eſt, quare tum omnia moventia ſtimulantia locum non inveniant. Quia vero in principio & declinatione morbi omnia ſunt debiliora, i. e. ſpaſmi & motus vehementes nondum adſunt vel ſe remiſerunt, tunc utique, ſi opus eſt, materia & cauſa morbi ſtatim in principio evacuanda, vel qui ſub ipſius morbi progreſſu alienus humor genitus fuit, ſub declinatione expellendus eſt. In vigore vero & impetu morbi nihil agendum, ſed quieſcendum eſſe jubet ſapientiſſimus vir, & abſtinendum potius ab omnibus commoventibus; neque tum alia, quam humectantia, re-

frigerantia & quæ effrenes motus quodammodo componunt, adhibenda. Præstantissimam hanc medendi legem non tantum ratio, sed etiam experientia suffulcit. Nam ad graves in ipsa herba jugulandos morbos, præsertim, qui a contagio veniunt, ut sunt pestis, dysenteria, castrenses & mali moris febres miasmate susceptæ, non efficacius remedium occurrit, quam lene emeticum, quo colluvies vitiosorum humorum una cum miasmate, quod cum saliva in ventriculum descendere solet, ante quam ad massam sanguinis & genus nervorum deferatur, statim evacuetur. Variolæ, morbilli, purpura & continuæ plures febres, biliosæ etiam & ardentes, item quæ arthriticis & podagricis insultibus associantur, longe mitioribus incedunt symptomatibus, & longe facilius sanationem recipiunt, si statim ab initio, simulac æger conqueri cœpit, prima & alvina regio vel leni emetico, vel clementi purgante a colluvie vitiosorum humorum fuerit depleta. Nam increscente morbo increscunt spasmi, quibus hæ sordes intus retentæ morbi & symptomatum vim valde adaugent. Et quia intermittentium febrium, tam tertianæ, quam quartanæ, fomes ab initio plerumque in ventriculi & intestinorum plicis ac glandulis hæret non alienum est, statim ab initio primas vias a sordibus sive per leniora emetica, sive salia detersiva, sive commoda laxantia liberare. Consentientem hac in re habemus Hippocratem *lib. de Affect. n.* 19. ubi hæc prodidit: „ Si quartana prehenderit, si-
„ quidem impurgatus fuerit, primum quidem
„ caput purgandum, & tribus aut quatuor in-
„ terjectis diebus, sub ipsam accessionem me-
„ di-

„ dicamentum ſurſum purgans exhibendum, „ rurſus aliquo intervallo interjecto, aliud „ medicamentum deorſum purgans in ipſa ac- „ ceſſione dandum &c. ". Neque vero purgantia fortiora, quæ ipſe Hippocrates *lib. de purg.* rejicit, intelligenda ſunt, utpote quæ nunquam in febribus tuta, quoniam ſpaſticas exacerbant motiones, vel eas quoque, ſi conquieverint, revocant & recidivas pariunt. In lentis febribus, quæ maxime intermittentes male curatas ſequuntur, in principio & laxantia & mitiora emetica tutiſſima ſunt, ut alimentarius canalis a ſaburra acida viſcida expurgetur. Quod ſi vero id negligitur, lentæ febres facile in hecticas terminantur, quia diuturniores paroxyſmi ingentem & fluidis partibus & viſceribus labem affricant. Periculi pleniſſimæ inflammationes internæ, ut pleuritis, peripneumonia, angina, matura ſanguinis miſſione & ſubjuncto infuſo diaphoretico ſtatim in principio diſcuti posſunt, cum ſub horum neglectu earum curatio ob febrem atque intenſiorem inflammationem valde difficilis & anceps fiat. Inflammatio ventriculi ſæpiſſime ex frigido potu fit periculoſiſſima, quod periculum mox averti poteſt, modo infuſum ex herbis diaphoreticis cum aqua calida factum ſtatim aſſumatur. Quomodo ſphacelo, ſi partes externas infeſtet, initio ſtatim potenter reſiſtere poſſimus, res in vulgus nota eſt, cum præterlapſo medicandi tempore mors certiſſima ſequatur. Ex quibus omnibus clarisſime intelligitur, tempeſtive ſuccurrendum eſſe morbis, & occaſionem medendi arripiendam. *Hoffm. praeſt. med. leg. p.* 42 *ſq.* Quo languidius medentis auxilium eſt in impetu & ſtatu morbi, eo certius & efficacius in ejus

R 3 prin-

principio atque in declinatione; & quidem ineunte morbo, ut natura adhuc valente obstacula removeat & materiam, quæ in vitio est, exturbet. Sub declinatione vero ejus opera necessaria est, quo corpus debilitatum rursus confirmet, vires fractas erigat, quod restat adhuc noxium expellat, & hac ratione novi morbi, plerumque deterioris, generationem impediat. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 243.

Cum furor in cursu est, currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet, & veris vocibus aptus erit.
Temporis ars Medicina fere est. data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Ovid. rem. am. 119. sq.

„ Non ignoro (sunt verba *Celsi l.* 2. *c.* 14. *p.* „ 89.), quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse increscentibus morbis, non „ cum jam per se finiuntur. Quod non ita se „ habet. Potest enim morbus, etiam qui per „ se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli. quod duabus de causis necessarium est: & ut quam primum bona valetudo contingat; & ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de causa, exasperetur. Potest enim morbus minus gravis esse, quam fuerit; neque ideo tamen „ solvi; sed reliquiis quibusdam inhærere, „ quas admotum aliquod auxilium discutiat". Conf. notata ad 2 *aph.* 12. Iterum vero notari debet, sententiam illam, *cum vigent morbi, quiescere praestat*, non de omnibus morbis intelligendam esse, sed de acutis tantum. Nam Hip-

Hippocrates *l.* 2. *de morb.* *n.* 38. in tertiana febre, ſi quidem poſt tres acceſſiones quarta apprehendat, medicamentum deorſum purgans propinare jubet. Quare dies opportuna purgationis in tertiana erit octava a principio, quia ſolet eſſe vigor morbi in hac febre, quæ ſeptimum paroxyſmum non excedit. Vid. *Martian.* *p.* 173.

APHOR. 31.

Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Si cui ex morbo cibum probe ſumenti corpus nihil proficit, malum.

Hujus aphoriſmi explicatio data eſt ſuperius ſub octavo hujus ſectionis.

APHOR. 32.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχάς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Utplurimum omnes male habentes, circa initia quidem cibum bene ſumentes, neque quicquam proficientes,

ii tandem rursus cibum aversantur. At qui circa initia quidem vehementer cibos fastidiunt, postea vero eos probe assumunt, ii melius degunt.

Galenus & cæteri ejus temporis expositores ad convalescentes referunt hanc observationem, ea ducti ratione, quia inquit Hippotes, *neque quidquam proficientes*, cum certum sit ægrotantibus non dari alimentum ad reficiendum corpus, sed ad vires tantummodo conservandas. Ex altera parte verba contextus de ægrotantibus hæc esse intelligenda clare ostendunt, & hæc maxime, *male habentes*, *circa initia* &c. quæ non facile convalescentibus accommodantur. Sed & ipsemet Galenus a rei veritate compulsus, quasi sui ipsius immemor, hanc expositionem amplexus est, quando in fine commentarii hæc protulit. Qui vero per initia tam fortiter cibum aspernabantur, ut parum omnino sumerent, postea vero in contrarium acti appetunt, eos facilius morbo defungi affirmat; quod quidem de convalescentibus & morbo defunctis jam dici nequaquam potest. Sed & experientia demonstrat, hunc aphorismum verificari in ægrotantibus, quorum aliqui a principio morbi vehementer appetunt, alii e contra, a principio cibos aversantur, & utrique tandem in contrariam dispositionem permutantur, & ratio adest manifesta; qui enim a principio appetunt, vix detineri possunt, quin plurimo utantur alimento, a quo distracta natura morbo minus resistere potest, unde necesse est, causis morbificis superantibus hominem interire, vel saltem morbum

pro-

protrahi in longum tempus, præfertim quia ex copiofo alimento cruditates generantur, quæ non folum morbum foventes diuturnum faciunt, fed appetentiam tandem tollunt. Contra vero, qui a principio morbi cibos faftidiunt parum comedentes, humores inappetentiam facientes abfumunt, & hoc pacto bene appetentes fiunt. Et quia diæta tenuis, a principio morbi & per totum vigorem fervata, morbum abbreviat, & illius contraria producit, ideo fubjungit Hippocrates, *& melius evadunt* qui a principio cibum averfantur, quam contrarii. Verum cur addidit *& non proficientes*? quia facile cibum accipere per morbos, non femper malum eft, fed aliquando etiam bonum, & caufa, & figno. Signo quidem, quia fimpliciter loquendo, ut ait ipfe in aphorifmo fequente, *bene habere ad ea quae offeruntur, bonum eft in omni morbo.* Ut caufa vero, quando affumptum cum facilitate alimentum vires reficit. Quare fi, facile cibum affumere in morbis, tunc malum eft, quando ab affumpto alimento non corroboratur, aut reficitur æger, fed gravatur potius, merito inquit Hippocrates *nec proficientes*, h. e. eam refectionem a cibis acquirere, quam par effet. *Martian. p.* 441. Verbo: Uti in iis, qui circa initia morbi cibum bene fumunt nec quicquam inde proficiunt, accumulata cruditas reddit fanationem difficiliorem; ita contra, cùm nafcente morbo ceffans appetentia fubtrahit fomitem morbo, & a cruditatibus tuetur corpus, quæ folutionem illius morarentur; quare & his poftea rediens appetitus conducit, quia reftituit deperdita, & reparat robur. *Hecquet.* Hinc patet, cur ægrotare incipientes meliore fint utplurimum

loco, si sibi temperent a multis cibis. Conf. notata ad 2 *aph.* 10. *impura corpora &c.* Quando jam ad sanitatem venit corpus, inter bona indicia est cupiditas cibi vel a principio servata, vel etiam post fastidium orta. *Cels. l.* 2. *c.* 3. *p.* 49.

Aphor. 33.

Ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

Mente constare, & bene habere ad ea quæ offeruntur, quovis in morbo bonum; contra vero, malum.

Mente valere seu *constare* significat firmo esse animo, non levi, non moroso, non pusillanimi: at hoc notat carere nervorum ataxiis. *Bene se habere ad ea quae offeruntur*, dicuntur qui non repugnant, sed facile accipiunt quæ offeruntur, & præstant se opportunos curationi. *Hecquet.* Hæc signa bona dicit Hippocrates, contraria mala.

Si per oblata cum Galeno intelligimus cibos tantummodo, & potiones, in quorum assumtione facilitas, & promptitudo, naturalis facultatis robur attestatur, utrumque signum per se assumtum infidum erit. Quoties enim ægrotantes summa facilitate cibos, & potus, imo etiam medicamenta insuavia assumunt, qui tamen letaliter laborant? Similiter & mente con-

constare plurimos per totum morbum videmus, usque ad extremas horas. Quare ut hæc signa bona sint, necesse est ambo simul concurrere, ita enim utriusque facultatis, naturalis inquam, & animalis robur vigere cognoscemus, quæ morbum salutarem plerumque constituunt. Quare sententia clarior erit, si dicamus, *cum mentis constantia bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum.* Si vero per oblata intelligimus etiam medicamenta, quæ offeruntur, ut vox ipsa sonat, verba illa εὖ ἔχειν, id est, *bene habere*, alio sensu accipienda erunt, ita ut intelligamus ea, quæ offeruntur, non solum cum facilitate accipi, sed etiam cum conferentia, id enim totum significat *bene se habere.* Quod quidem respiciens Hippocrates *lib.* 3. *Epidem. sect.* 3. *n.* 93. inter mala signa, quæ in constitutione illa adnotavit, illud fuit maximum, quod ægri iis, quæ offerebantur, difficulter obedirent, eodemque verbo προσφέρειν usus est, quo in præsenti aphorismo; quid vero difficulter obedire importet, indicavit per illa verba, quæ subjunxit, *nam purgationes plurimos amplius lædebant.* Quotiescunque igitur præsidia circa ægrotum administrata intentum finem habent, quia æger facile assumit, & ei conferunt, id benigni & salutaris morbi signum est, contrarium vero malum. Verum si signum hoc ita acceptum per se solum bonum est, cur aliud addidit, *mente constare?* quia sæpe evenit, ut æger omnia promptissime assumat, etiam quæ sunt insuavia, idque non robore naturalis facultatis, quæ sicuti suavia alimenta accipit libenter, ita insuavia abhorret & aversatur, sed animalis facultatis vitio, cujus gratia sapores bonos a malis non distinguit æger, juxta rationem

tionem illius sententiæ, *qui aliqua parte dolentes dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Pari ratione quoque evenit aliquando, ut medicamento aliquo assumto, æger melius habere videatur, cum tamen id verum non sit, eo quod propter delirium, quod molestias ægrotantibus obscurat, non adeo conqueritur, quemadmodum ante. Ut ergo hæc duo signa firma sint, & semper bona, necesse est utraque simul concurrere. *Martian. p.* 442.

APHOR. 34.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui, & anni tempestati morbus magis cognatus fuerit, quam quibus in horum aliquo minime cognatus fuerit.

Morbi congruentes naturæ, ætati, habitui, & anni tempori, minus sunt periculosi, quam quibus secundum nihil horum accidunt: quoniam illi minorem recessum a sanitatis statu patiuntur: qui vero in dissentientes sibi morbos incidunt, a potentiori sane causa corripiuntur, quæ scilicet valuerit omnino dissimilem ætati, naturæ (temperiei), consuetudini & anni tempori morbum inferre. V. g. incideret

derit senex in ardentem febrem, aliumve acutum morbum, procul dubio causa, quæ acutam ejusmodi ægritudinem intulit, validissima existimanda est, quæ senilem ætatem cum tanto recessu a suo statu deturbavit. Sic, quod senibus contingant podagræ, renum calculi, catarrhi, nil mirum, cum vel ex levi causa has affectiones incurrant; at iisdem juvenes vexari, gravius est, quia causæ designantur adeo validæ, ut potuerint cum tanto recessu a naturali & consueto statu juventutem prævertere, & labefactare. Sic febris ardens hieme invadens aliquem ea vehementia, qua solet æstate, notat causæ vehementiam, & ægrum gravius afficit. *Tozzi.* Si quis ætate provectior, & obesus, hieme, a vehementi exercitio aut crapula, variolis sit correptus, magis periclitatur: cum iste morbus acutus sit, & fere puerilis. *Lister.* Aliud exemplum exhibent glandularum morbi. Hæ propria lympha, sed uberiori, turgendo tument, crescunt, indurantur? molliri, minui, solvi faciles sunt: Sed illas imbuit urens, acer, muriaticus latex? phlegmone, scirrhus, strumæ, carcinoma, ulcus, misere succedunt. *Hecquet.* Porro videmus experientia, Anglos & Scotos magis a febre ardente periclitari, quam Gallos; quia illis morbus minus est eorum naturæ familiaris, quam Gallorum. Minus etiam periclitantur in morbo adstricto, qui sunt adstricto corpore, quam in laxo, & contra. *Holler.* Epilepsia, variolæ, infantili ætati sunt maxime proprii ac facilius tum solvuntur ac leviores sunt: si vero hisce juvenis vel vir laborat, ob strictiorem fibrarum habitum, longe periculosior est eventus. Hæmorrhoïdes & apoplexiæ senibus familiares, si

primam

primam ætatem infestant, aliquid monstri alunt. Febres tertianæ æstati conveniunt, & citius etiam tunc finiuntur; ubi vero, si autumnus est, incidunt, pertinacissimæ indolis sunt: menstruæ purgationes circa quinquagesimum annum discedunt, si in senili ætate accedunt, sanguinis eruptiones gravissimæ, & quæ periculo non vacant, esse solent. Pleuritides, si juvenilis ætas est, facile solvuntur, in senili ætate utplurimum necant. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 132. Tria ad veritatem aphorismi requiruntur: primum, ut morbi sint ejusdem speciei: secundum, ut sint æquales morbi: & tertium, ut ægrotantes non differant in virtute, quæ in senibus longe est imbecillior, quam in juvenibus. Sic paralysis, licet magis conveniat temperamento senum, in iis deterior est, quam in juvenibus. *Taranta p.* 113. Ætatem quidem ab ætate distinguere oportet, & num prius aut posterius quam convenit, quid contingat. Velut si quid hieme resolutione tentatum sit, & ætate senili, aut puerili, & æstate, aut posterius quam conveniat. *Hippocr. l.* 1. *Epidem. sect.* 8. *n.* 43. *sq.* Morborum formæ diversæ sunt, cum partim quidam sint congeniti, de quibus percontando licet cognoscere, partim quidem ex regionibus oriuntur, cum multis sint familiares, & plerique ipsos norint, partim vero ex corpore, & vitæ institutis, vel ex anni temporibus. *lib. de humor. n.* 6. Maximum igitur in ægris, qui superstites futuri sunt, signum est, si febris ardens, cæterique morbi eodem modo, præter naturam non fuerint. Nihil enim in his, quæ sunt secundum naturam, neque formidandum, neque letale contingit. Secundum vero, si ipsa etiam anni tempestas, una cum

cum morbo minime repugnet. *lib. de dieb. judic. n.* 1.

Qui ſint morbi conſtitutionibus temporum & ætatibus congruentes, docet Hippocrates dein in Sectione Aphoriſmorum tertia.

APHOR. 35.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν, καὶ τὸ ἦτρον, πάχος ἔχειν, βέλτιόν ἐστι· τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

Quovis in morbo partes quæ ſunt ad umbilicum, & imum ventrem, craſſitudinem habere præſtat: valde autem tenues eſſe, & tabefactas, pravum. Ad inferiores autem purgationes hoc etiam parum tutum.

Primo loco aphoriſmus innuit craſſum, i. e. muſculoſum, abdomen melius eſſe quam tenue & eliquatum; illud enim notat robur, quo juvantur coctiones & ſecretiones in viſceribus abdomine contentis, nec non excretiones alvinæ. Quare *Celſus l.* 2. *c.* 3. *p.* 49. non periclitari ait ægrotum, ſi circa umbilicum & pubem cutis plena ſit; & *ibid. c.* 4. *p.* 51. mali morbi teſtimonium eſſe dicit cutem habere circa umbilicum & pubem macram. Juxta *Hippocr. lib. Prænot. n.* 10. in omni morbo ventrem mollem eſſe, & mediocriter extumeſcere con-

convenit. Secundo loco, extenuatum abdomen, debileque purgationibus per alvum ferendis haud ſine periculo par eſſe. Eadem ratione pharmaca deorſum purgantia cavet Hippocrates in tabidis *lib.* 2. *de morb. n.* 46. imo per ſuperiora helleboro purgaturos admonet, ita præparatum dari, ne infernam alvum moveat. Duplici autem ratione medicamenta deorſum purgantia alvi fluxum extenuatis inducunt, tum quia humores ad partes inferiores, jam debilitatas ex morbo, deducunt, quæ cum motum illum ad inferiora propter imbecillitatem in poſterum compeſcere non poſſint, eousque perſeverat, ut morboſa affectio conſtituatur, tum etiam quia medicamenta purgantia partes ad alvum ſpectantes humido ſubſtantifico privatas impenſe calefaciunt, unde corruptio, colliquatiove ſuccorum vi caliditatis introducitur, quæ alvi fluxum excitat. Hac enim ratione ventris inferioris caliditas tabidis alvi fluxum movet, ut loco citato Hippocrates adnotavit; quod ſi tabidis contingit, eadem ratione ventre inferiore extenuatis evenire, rationabile eſt. *Martian. p.* 442.

APHOR. 36.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui inculpata ſunt corporis ſanitate, dum per medicamenta purgantia repurgantur, cito exſolvuntur, & qui pravo utuntur cibo.

APHOR.

APHOR. 37.

Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

Qui bene habito funt corpore, ad medicationes molefte habent.

Duo hi aphorifmi unam rem enunciant. Primo docemur, fanos a catharticis, intellige acribus & drafticis, debilitari atque lædi, æque ac a pravo victu: quare fecundo loco bene valentibus illa non convenire monemur; id quod 4 *aph.* 16. exemplo hellebori declaratur, qui fanas carnes habentibus periculofus effe dicitur. Nimirum integra valetudine gaudentes cum nihil habeant fuperfluum, itaque quantum iis per drafticum purgans demitur, tantum decedit quod ad fanitatem confervandam erat neceffarium; quare æque ac fi pravo victu ufi fuiffent læduntur. *Lifter.* Videtur in priore particula textus auctor dicere voluiffe, quod, æque ac fanitate inculpata fruentes, a purgantibus cito exfolvantur & illi qui pravo utuntur alimento ac funt cacochymi; nam purgationes hifce factæ nocent, quia corpus habent imbecillum. Præterea vero ab irritatione, quam faciunt purgantia, læditur aut tollitur optandum adeo partes folidas inter atque fluidas vigens æquilibrium. Quid? laudabilifne jam dicetur mos nonnullorum, qui optime valentibus, præfervationis caufa, ut ajunt, præfcribunt validiora purgantia? Vid. *Rega Meth.*

med. §. 825. Purgationes ut interdum necessariæ sunt, sic, ubi frequentes sunt, periculum afferunt. *Celſ. l.* 1. *c.* 3. *p.* 31. Medicamenta (*intellige purgantia*) ſtomachum fere lædunt. — Alvus ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur, hominem infirmat. *Idem l.* 2. *c.* 12. *p.* 84. In medicamentorum potionibus, vitandi ſunt qui corpore probe valent, ait Hippocrates in *lib. de Veratr.* Habent id cathartica quævis incommodi, ut vehementiori quodam ſtimulo laceſſant naturam & exagitent, nec ſine torminibus, magnaque corporis conturbatione, promiſcue utilem cum prava materia cieant, eoque vires ita ſæpe debilitent, ut longo poſt tempore vix refici queant, ſubinde etiam plane exſolvantur. Teſtes ſunt morſus ventriculi, anxietates, vomitus, dejectiones, ſitis, faſtidium ciborum, vertigines, coloris faciei mutatio, laſſitudo, animi deliquia, macies, & alia gravia ſymptomata, quæ catharſin comitantur, præſertim importunam. Quorſum etiam facit, quod illa occulta & tam neceſſaria corporis excretio, quam tranſpirationem vocamus inſenſibilem, omni purgatione forti nimium divertatur, & corpus, quod purgatione levius factum videtur, ad idem pondus cito revertatur, ut acute Sanctorius a Sanctorio *Stat. Med. ſect.* 1. *aph.* 48. obſervavit. *Berger Therm. Carol. p.* 114 *ſq.* Quæ medicamenta ſurſum aut deorſum, aut utroque modo purgant, hæc efficiunt. Omnia valde urunt, & ex his quidem valentia, ſi forte mollem aliquam corporis partem contigerint, eam ulcerant. Leviora vero turbationem in corpore excitant, quodcunque vel leviter attigerint. *Hippocr. l.* 4. *de morb. n.* 31. Conf. *Jac. Pancr. Bru-*

Brunonis Dissertatio de natura purgantium nocua. Altorf. 1672. 4°. quæ est commentarius in modo allegatum locum, & Ejusd. *Diss. de sanitate purgationis non indiga. ibid.* . 4o. quæ commentatio est in nostrum aphorismum. Bene ergo *Celsus l.* 1. *c.* 1. firmis servandum præscribit, caveant, ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur.

APHOR. 38.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Cibus, & potus paulo peior, suavior tamen, melioribus quidem, sed minus gratis, anteponendus.

In *lib. de vict. acut. n.* 15. ita legimus: *Quod vitiosa victus ratio, tum in potu, tum in cibo, sui semper similis, ad sanitatem omnino sit tutior, quam si quis subito ad alium meliorem magnam mutationem faciat, cognitu sane est facile.* Et *ibid. n.* 18: *Cibos quidem leviter ferunt, quibus assueverunt, etiamsi natura boni non sint, eodemque modo potiones. Moleste autem ferunt cibos quibus minime sunt assueti, quamvis boni sint; similiter & potus.*

Per *paulo pejorem* cibum & potum in præsenti aphorismo intelligitur, qui per se minus aptus est viribus instaurandis, minusque causæ morbi adversatur. Non esse ægroto refractarie resistendum expetenti cibum aut potum *paulo*

pejorem, monetur hîc Medicus, imo præferendum meliori, sed ingratiori. Nam facit rerum horror, ut segnius conficiantur ingrata, sintque oneri, quam quæ cum voluptate capiuntur; ad hæc enim agiliores factæ partium oscillationes, coctiones celerius perficiunt, & melius subigunt, majoreque sanitatis bono; atque sic compensatio fit defectûs parvi in bonitate. *Hecquet*. Præterea vero suaviores solent esse ægroto cibi, quos tempore sanitatis assumere consuevit: at consueta minus molestare solent; juxta 2 *aph*. 50. Quæ autem in cibo & potu maximum sui desiderium faciunt, ea ratione suavia sunt, ut ait Hippocrates 4. *de morb. n.* 12. Adde utilitatem, quæ resultat ex amore, quem ægrotus erga Medicum gratificantem concipit, ut nempe illi facilius obsecundet: cujus causa rei Hippocrates *de affect. n.* 42. ita præcipit: *Quoscunque cibos, aut opsonia, aut potiones, ægrotantes expetunt, ea suppetant, si nullum corpori nocumentum sit adfuturum.* Ex his clarum est, quod hoc aphorismo nihil in patrocinium aut famis aut voluptatis adstruatur, quando Cous idiosyncrasiæ tantum & consuetudini aliquid indulgendum esse voluit. *Baier Adag. med. p.* 109. Concedendos esse aliquando ægrotis potus, qui a morbo contraindicantur, propter consuetudinem, docemur per aliquot exempla in *Soc. Edinb. Vol.* 5. *P.* 2. *p.* 491. *sq.* Conf. *L. A. Lavirotte Quæstio Med. An cibus deterior sed jucundus & assuetus, meliori sed ingrato & inassueto, potior? Paris.* 1751. 4°.

APHOR.

APHOR. 39.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὅσα δὲ ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

Utplurimum quidem ſenes juvenibus ægrotant minus. At qui ipſis morbi diuturni contingunt, eos fere ad mortem comitari ſolent.

Senectus ipſa eſt morbus. Ergo facilius frequentiuſque morbis ſubjici ſenes, quam juvenes, conſentaneum eſt. Et Hippocrates *lib.* 1. *de diaeta n.* 25. morboſiſſimos pronunciat ſenes. Quî ergo hic utplurimum minus ægrotare dicuntur ſenes juvenibus? Intellige, quod minus, ſeu rarius quam hi acutis morbis corripiantur. Hunc ſenſum innuit altera aphoriſmi pars, in qua de diuturnis, chronicis vulgo dictis, agitur. Juvenum enim morbi familiares ſunt acuti, ſenum chronici. Vid. 3 *aph.* 29. 31. Longis morbis ſenectus, acutis adoleſcentia magis patet. *Celſ. l.* 2. *c.* 1. *p.* 43. Corpus juvenile, calidum, multo ſanguine præditum eſt, fibrarumque oſcillationibus valet, unde fervores, motuſque impetuoſi ſub morbis. In corpore autem ſenili diverſus ab hoc obtinet ſtatus, dum calore minuto, ſicceſcentibus fibris, labefactatoque tono ſegneſcunt oſcillationes, unde languens vis vitæ morbos reddit diuturnos, quibus expugnandis

cum plerumque ſint impares ſenes, iis *commoriuntur. Hecquet.*

Conſtabit etiam ſua veritas aphoriſmo, ſi intelligatur auctor loqui de iis ſenibus, qui bonam corporis obtinuerunt naturam, temperanter vixerunt & in viridi, vel media etiam, ſenii periodo verſantur; quum contrà *lib.* 1. *de diæta* morboſiſſimi dicantur ii, qui maxime ſenes ſunt, h. e. qui decrepiti & a Græcis πρεσβῦται ἤδη γέροντες nuncupantur, ſive, qui ſenium & inſignem virium imbecillitatem, non tam ob ætatem ingraveſcentem adepti ſunt, quam ob intemperantiam ſuam & admiſſa, in rerum ſic dictarum non naturalium uſu, delicta, ſibi contraxerunt. Etenim quo magis juvenes ac viri incontinentiæ indulgent, nihilque moderati habent, eo magis & citius vires corporis profundunt, illud cauſſarium reddunt, & ſic ante tempus ſenes fiunt, miſeram, infirmam, multiſque morbis obnoxiam vitam ad extremum uſque habitum trahentes. *Hoffm. de valet. ſen.* §. 3. An juvenes etiam propterea frequentius ægrotant ſenibus, quod magis incontinentes ſint, & ſæpius in regimine ſanitatis delinquant? Nam, temeritas, ait *Cicero de ſeneƈt. cap.* 6. eſt florentis ætatis, prudentia ſenectutis: hinc vero Idem *c.* 19. adoleſcentes ſcribit multo plureis, quam ſenes, mortis cauſas habere, facilius in morbos incidere, gravius ægrotare, triſtius curari.

APHOR. 40.

Βράγχοι, καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Raucedines, & gravedines in valde ſenibus non coquuntur.

Ultimo loco dictùm in præced. aphoriſmo, hic declaratur exemplo raucedinum, & gravedinum. *Raucedo* adeſſe dicitur, quando tranſactus per rimam glottidis aër obſcurum, & interdum nullum, ſonum edit; quod vitium oritur a membrana cartilagines rimam glottidis formantes nimis laxata, tumente, multa humiditate obſeſſa, vel inæquali, vel muco obducta. *Gravedo* vocatur affectio illa pituitoſa, quando membrana, veſtiens interna narium, ſinus frontales, maxillares, fauces, imo interna membrana laryngis multum muci ſecernit & colligit, ut inde impediatur libera reſpitio inprimis per nares, cum ſenſu gravitatis & ſæpe frigiditatis circa has partes. Per *coctionem* phlegmatis in gravedine & raucedine intelligebant Veteres eam ſubactionem & mutationem, qua materia hæc aſſimilatur ſanis humoribus, nam valde ſenes ſatis copioſa phlegmata rejiciunt & tamen non ſanantur, quare voluerunt commutationem in humoribus talem, quæ non eget evacuatione. *Gorter*. Aſt vero Catarrhi in ſenili corpore *ægre* coquuntur, quia ſegneſcens ſolidorum oſcillandi virtus huic officio non ſufficit, & interim, propter

 mi-

minutam transpirationem insensibilem, humorum crudorum fit accumulatio. *Hecquet.* Coquuntur humores isti crudi, curanturque phlegmata illa in senibus hyssopo, vino Malvatico, hydromelle vinoso, zingibere, aliisque calefacientibus, quæ in alia ætate minus valent. *Gorter.* Equidem aphorismus absolute positus non absolute verus esse videtur: quia dictæ affectiones in senibus curatæ leguntur. Refert Brassavolus de Nicolao Leoniceno, Medico Ferrariensi clarissimo, qui cum nonagenario major in raucedinem & gravedinem simul incidisset, Medico, quo utebatur, solicito & præsentem aphorismum alleganti, Parce, inquit, Hippocratis aphorismum non intelligis: quippe verus non est in viro Medico. Et ita certe fuit: nam ille sola victus ratione observata, a raucedine & gravedine evasit. Talis autem erat ejus victus ratio: Nunquam abstinuit a carnibus, nunquam a pinguissimo capi jure, nunquam a vino, quod & dulcissimum simul & potentissimum bibebat: & sanitati restitutus est. dicebatque hoc genus victus esse illi ætati proprium, & a quo si declinet, potius periclitari, quam juvari. Imo Medicos illos deliros vocabat, qui in tam ingravescente ætate carnes jura atque vinum prohibebant, si modice sumantur: sit quodcunque ægritudinis genus, quo illa afficiatur. Vid. *Laur. Exerc. p.* 302.

APHOR.

APHOR. 41.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς, ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

Qui crebro, & vehementer citra manifeſtam cauſam animo linquuntur, repente moriuntur.

Animo delinquentes, appellat *impotentes*, ſimulque declarat Hippocrates, quando deliquium animi citra manifeſtam cauſam dicatur contingere, *Coac. ſect.* 1. *n.* 83. ſcribens: *Qui præter rationem, nulla exiſtente vaſorum inanitione, impotentes fiunt, malum.* Vehemens ergo & crebra contingens lipothymia, quæ non ab inanitione inducta fuerit, in junioribus arguet ſtaſin lymphæ in cerebro, in adultioribus autem ferventem, indeque ſtagnantem in arteriis cerebri ſanguinem. *Hecquet.* Vehemens iſta lipothymia, alias *Syncope* dicta, eſt præceps virium lapſus cum pulſu aut nullo, aut extreme raro, & obſcuro: corporis ſumma frigent, tempora, cervix & thorax frigido ſudore madent, facies pallet, totumque corpus quaſi enervatum jacet, mens, omniſque ſenſus deficit. *Vanini Nat. Arc. p.* 459. Si hoc malum ſubito & ſine manifeſta cauſa ſæpe redit, certiſſimam reddit polypi ſuſpicionem, qui repentinam mortem inferre ſolet. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 353.

APHOR. 42.

Λύειν ἀποπληξίην, ἰσχυρὴν μὲν, ἀδύνατον· ἀσθενέα δὲ, ȣ̓ ῥηΐδιον.

Valida quidem apoplexia nullo modo sanatur, levis vero non facile.

Iisdem pene verbis hic aphorismus legitur in *Aret. de caus. diut. l.* 1. *c.* 7. *Resolutionem nervorum* vocat *Celsus l.* 1. *c.* 8. *p.* 76. ubi aphorismum præsentem ita exprimit: *Isque morbus mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest.*

Ἀποπληξία ab ἀποπλήσσω, *percutio*, denominatur, quasi *percussionem* dicas, quod nomen affectui impositum est ob similitudinem a victimis desumtam ad aram prostratis; cum enim antiquitus animalia sacrificanda securi in fronte tam valide percuterentur, ut conciderent, vocabant illa ἀποπληκτὰ, *percussa*, hinc homines ad eundem modum concidentes ἀποπλήκτȣς, & affectum ipsum ἀποπληξίαν. inde *Aurelianus l.* 3. *Acut. c.* 5. *Apoplexia*, ait, *dicta est, tanquam ex lethali percussu repentinum faciat casum.* (qua occasione notari meretur Hippocrati dictam apoplexiam particularem nihil aliud esse quam quæ paralysis aliàs appellatur.) *Sideratio*, ἀστροβολισμὸς, vocatur, quasi e cœlo vi quadam sideris repentino eveniat impetu; *Affulguratio*, ἐμβρόντησις, ac si fulmine ictus tactusque sit homo; *Attonitus morbus* apud *Cels. l.* 3. *c.* 26; ἔκπληξις, *obstupescentia*, quia, qui attoniti sunt aut stupent, immobiles sunt, & idem accidit apo-

apoplecticis; *ἀφωνία*, *vocis defectio*; *σφάκελος* vel *σφακελισμὸς*, *corruptio*, quia, ut in ſpacelo proprie dicto, ex irruente ſanguine, præcluditur via ſpiritibus animalibus; *κατάπληξις*, *attonita concidentia*, a ſubito in terram lapſu, unde etiam *τὸ βλητὸν*, *ictum*. *Gutta*, a Paracelſo, & aliis, vocatur, ex falſa perſuaſione, quaſi tres in capite guttæ dependeant, quarum media ſi ad cor prolabatur, apoplexia oriatur, & homo neceſſario juguletur. Conf. *Juſti Cortnummii* tractatum doctiſſimum, qui inſcribitur, *nova, utilis ac curioſa apoplexiam ſeu morbum attonitum curandi methodus &c. Hildeſiæ* 1685. 4°. in quo opere apoplexia ad mentem antiquorum, maxime vero Hippocratis, plene expoſita ſiſtitur. Qui morbus adeſſe dicitur, quando repente actio quinque ſenſuum externorum, tum internorum, omneſque motus voluntarii abolentur, ſuperſtite pulſu plerumque forti, & reſpiratione difficili, magna, ſtertente, una cum imagine profundi perpetuique ſomni. *Boerh. aph.* 1008. A ſanguine nimis viſcido, per arterias capitis tardius fluente, & fere ſtagnante, interdum oritur; qui perpetuo vi cordis propulſus exiles ſuos canales dirumpit, & in cerebrum effuſus, nervorumque motibus corporis inſervientium tubulos comprimens, humoris ſui in eos prolapſum prohibet. Sæpius autem Apoplexiam gignit, ſine inſigni canalium diruptione, liquor aquoſus & rubicundus ex ſanguine profuſus; aut etiam glandularum circumjacentium exſudans ſuccus, qui tum cerebri membranas obruit, tum ventriculos ejus opplet, & ſpirituum animalium iter intercludit. Illam *ſanguineam*, hanc *pituitoſam*, appellare licebit. Priorem autem *fortem* vocavit Hippocrates, atque

atque insanabilem esse dixit; alteram *levem*, curatu tamen difficilem esse monuit. *Mead. monit. p.* 56. Imo vero constat, apoplexiam oriri a causis tam variis, ut sæpe nil commune habeant, imo perfecte oppositæ sint; oritur nempe a nimia rarefactione & subsidentia, nimio calore & frigore, densitate inflammatoria & diathesi aquosa, ex abundantia & defectu spirituum, ex tumore intra cranium & compressione corticis cerebri. Est quidem morbus simplicissimus, cujus causa proxima semper est eadem, nempe officium spirituum sublatum, sive in arteriis piæ matris obstruatur via, sive secretio spirituum a defectu sanguinis fieri non possit; quia vero pendet a causis penitus oppositis, patet, quod methodus curandi diversa esse possit ac debeat, & requirat peculiaris cujusque causæ medelam. Empirici ergo hunc morbum curare non possunt; illi enim audito morbi nomine confugiunt ad balsama sua antapoplectica: sed quæ optima sunt in uno casu, in alio erunt pessima venena. v. *Boerh. morb. nerv. p.* 671. *sq.* Prognosticon Hippocratis utique veritati respondet egregie: *vehementiorem* scilicet apoplexiam, qualis est quæ a sanguine, *plane non*, *debiliorem* autem, sive, quam sanguis stagnans & serum secedens gignunt, *difficulter solvi.* Nisi enim post venæ sectionem & congrua adhibita auxilia intra 24. horas sequatur levamen & symptomata remittant, spes salutis decollavit, & ex observatione *Aureliani* dies tertius longissimus est moriendi terminus. Isque funestus eventus metuendus tanto certius, si senes invasit plethoricos morbus, ubi jam vires fractæ & cerebrum debile; si inebriationem summam, gravemque animi affectum,

iram

iram & terrorem, excipit; aut etiam ſi alii antea perpeſſo morbo ſupervenit. Mortem autem inſtare concludendum: ſi ſtertor magis magiſque ingraveſcit cum reſpirationis difficultate; ſi cor palpitat vehementius, arteriarumque pulſatio admodum magna, dura ſimul atque inæqualis; ſi, ubi pauliſper ad ſe redit attonitus, aliena tamen eſt mens; ſi convulſivi motus unius lateris ipſiuſque pectoris accedunt, frigidus præſertim in ſuperioribus ſudor hæret guttatim, ipſa expiratio frigida eſt, & urina, & alvi ſtercora ſponte elabuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 172. Si ægrotus ſenex ſit (quibus familiare id vitium eſt) non liberatur, & morbi magnitudine & ætatis miſeria oppreſſus. Si juvenis æger ſit, debilis eſt apoplexia, non tamen facile removetur. *Aret. curat. acut. l.* 1. *c.* 4. Apoplexia fortis vel levis magis a poſteriori judicanda, unde nec medicamenta debita omittenda, nec præcipitandum judicium. *Wedel.*

APHOR. 43.

Τῶν ἀπαγχομένων, καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Ex ſtrangulatis, & diſſolutis, nec dum mortuis, ii minime ad vitam redeunt, quibus ſpuma circa os collecta fuerit.

Celſus

Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 76. partem hujus aphorismi ita expressit: *Neque is ad vitam redit, qui ex suspendio, spumante ore, detractus est.* Paulus *l.* 3. *c.* 27. *Ex strangulatis*, ait, *quibus spuma jam circa os emanat, manus admoveri non debet, si Hippocratis consilio acquiescimus. Alii vero vitæ restituuntur* &c. quæ reliqua hic proponuntur, legi etiam possunt in *Oribas. Synops. l.* 8. *c.* 57. sed dilucidius & plenius exposita sunt apud *Aëtium l.* 8. *c.* 49. in hunc modnm: Revocantur aliquando suffocati, aceto ori infuso cum pipere, & semine urticæ. Verum difficulter tractari possunt ut admittant: cogere itaque oportet ac ori infundere, ad vomitionemque irritare. Rubore autem circa collum dissoluto, statim respiciunt ac relaxantur: quare oleo multo calido & lana, aut cerato, collum assidue circumcirca est amplectendum. Similiter etiam naufragos revocare oportet, siquidem respiratio adhuc in eis servetur. Prius autem capiti eorum sonum immittere convenit, ac cogere quo absorptam aquam evomant, sive pinnularum seu digitorum irritatione: forinsecus vero manuum impositione juvare oportet ventris firmitatem. H. J. Janus Cornarius in *Annot.* ad Pauli *l. c.* pro καταλυομένων, *resolutorum*, aut *dissolutorum*, legendum esse putat καταδυομένων, *submersorum*, & sic aphorismum convertit: *Ex his, qui strangulantur & submerguntur, nondum autem mortui sunt, non reconvalescunt quibus spuma circa os fuerit.* Primùm Galenus in commentario vocis καταλυομένων nusquam meminit, sed ἀπαγχομένων, *strangulatorum*, vocem solum exponit, quasi ad solum laqueum pertineat: causamque hanc reddit, cur spuma circa os perniciosum sit signum, quia vim pulmonis indicat,

indicat, quam patitur dum animal ſtrangulatur. At non ſolum in his qui laqueo ſtrangulantur ſpumam circa os apparere ſcimus, ſed etiam in his qui in aquis ſubmerguntur. Quare de utriſque Hippocrates hoc aphoriſmo dixiſſe videtur, τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταδυομένων. Nam putandum non eſt Hippocratem loqui de his qui ob morbi, aut veneni violentiam ſuffocantur, velut in cynanchicis, & ſyderatis, & comitiali morbo correptis accidit: hi enim revocantur ſæpe, etiamſi ſpuma circa os ipſorum appareat. Quod ſi ad hos uſque aphoriſmi ſententia ſe extenderet, nec Galenus id prætermiſſet. De duplici igitur externa vi ſuffocationis, & per aquam, & per laqueum Hippocratem loqui probabile eſt. Proinde etiam Paulus & Aëtius de ſtrangulatis & naufragis conjunctim agunt. Poſtremo ſi vox καταλυομένων de his qui ex ſtrangulatis diſſolvuntur accipienda eſſet, non neceſſe fuiſſet adjicere conjunctionem καὶ, quum integra ſententia ſine ipſa ſit, hoc modo, τῶν ἀπαγχομένων καταλυομένων, id eſt, *ex his, qui, dum ſtrangulantur, exſolvuntur.* Jam vero καὶ particula adjecta, de duplici ſermonem eſſe oſtendit, ſcilicet de iis qui ſtrangulantut, & de iis qui ſubmerguntur.

Ab externa aliqua violentia reſpirationis munus impediente ſuffocatio fit, vel *ſubmerſione*, vel violenta *oris nariumque occluſione*, vel *laqueo*, vel *calidiſſimi* atque *alieni aëris inſpiratione.* Suffocati per violentam oris nariumque occluſionem, aut per laqueum, cognoſcuntur per ſymptoma commune his omnibus, quibus inſpirationis uſus intercipitur, quod eſt, ut ſpumam ex ore emittant, juxta *Hippocr.* 2 *aph.* 43. At ſi quiſpiam fune ſit ſtrangulatus, in hoc præterea

præterea funis apparebunt veſtigia aut liventia, aut rubentia, præſertim in extremis finibus, ſæpe contritum eſt caput aſperæ arteriæ, aut ſecunda cervicis vertebra luxata: livent brachia, crura, facies, tumet thorax, & plerumque lotium profuſum eſt. Quod ſi penitius adhuc explorare rem omnem velis; diſſecti pulmones ſpuma ceu purulenta turgent: reliquis interim viſceribus inculpatis, obſervantque Anatomici in hujuſmodi corporibus diſſecandis caput & thoracem ſanguine plena eſſe. Si vero aliter viæ ſpiritus extrinſecus occluſæ ſunt: exceptis funis veſtigiis, eadem ſigna ſimiliter ſpectabis. *Reineſ. Schol. ICtor. Med. p.* 585 *ſq.* Nunc quæritur, an verum ſit, quod fune ſtrangulati, in quibus ſpuma circum os apparet, nequeant ad vitam revocari? Experientia contrarium docuit multos Medicos, qui, probaturi an aphoriſmus ſit verus, canes ſtrangularunt tam fortiter, ut ſpuma circa os apparuerit, & tamen iidem canes deinde non mortui ſunt, ſed ad vitam & vigorem redierunt. Haud dubie fur qui Viennæ ſuſpenſus, a patibulo ad theatrum anatomicum delatus, præter omnem ſpem revixerat, ſpuma circa os apparente fuit ſtrangulatus, & tamen hoc non obſtante ad vitam rediit, nucha enim ipſi non fuerat fracta. Et quæſo, quæ diſparitas eorum, qui gravi præter modum morbo caduco correpti, circa os copioſe ſpumant, & illorum, quibus poſt faucium compreſſionem ſpuma apparet? *Sinap. Parad. med. P.* 3. *p.* 89. In *Catalogo Rectorum Archigymnaſii Viennenſis per Georgium Eder, Viennæ Auſtriæ* 1559. 4°. edito, ad ann. 1440. hæc leguntur: *Furis cujusdam ſuſpenſi corpus Anatomiæ deſtinatum, Medicorum Vien-*

Viennensium ope & industria vitæ restituitur. Anno 1492. ibidem cujusdam ob furta suspensi ac strangulati corpus Facultati Medicæ secandum traditum est. Animadvertentes autem Medici aliquem spiritum vitalem in hoc corpore superesse, quamvis morti valde propinquum esset, proinde ex utraque cephalica sanguinem largum detraxerunt, aliaque necessaria administrarunt. Apparuerunt in illo symptomata horribilia suffocationem minantia, aderat spuma circa os notabilis & perseverans, &c. *Diom. Cornarii Historiæ admirandæ raræ p.* 4. quæ subjunctæ sunt Ejusd. *Consiliis medicinalibus, Lips.* 1599. 4°. Ferunt etiam Lutetiæ virum suspensum & in Collegio Anatomico repositum, crastino die vivum repertum fuisse. *Borel. Cent.* 3. *obs.* 64. Hippocrates, qui strangulatos forte nunquam reviviscere advertit, ut certe hoc ipsum rarissime contingit, spumam illam tanquam irrevocabilis vitæ argumentum explicavit. Nullus autem ambigo, quin adhibita diligenti opera plures ex laqueo in lucem remitti possint, quos jam omnium vota & testis sensus damnarunt; nempe, si sanguini fluxus suus venæ sectione, frictione, infusis spirituosis & calidis, excogitata quavis cura redderetur. De spuma hoc admoneo, illam in epilepticis tam familiarem, iisdemque canalibus, quibus in strangulatis fieri solet, emunctam, nullum tamen præbere mortis indicium. Equidem non video, cur a pulmonibus aut corde illam repetant, cùm nulla retro via in illa gulæ constrictione concedatur. Est saliva, strangulatorum spuma, sed rarefacta & in illo corporis rigore vehementius exclusa. *Pechlin. de aër. & alim. def. p.* 87. Audivi de Medico, qui hominem,

qui se suspenderat, atque per horam dimidiam suspensus manserat, in vitam, fricationibus, & balneis calidis, reduxerat; quique etiam profiteri solebat, se non dubitare, quin suspensum quemcunque ad tempus prædictum, revocare posset, modo cervices ei, per impetum primæ demissionis, non fuerint effractæ. *Baco Hist. V. & M. p.* 175. Forestus (*Obs. Med. l.* 15. *o.* 25.) ab experientia laudat nucem moschatam, cinnamomum, ore contrita, in os suffocati inspirata. Exempla laqueo strangulatorum, ac iterum in vitam revocatorum videri possunt in *Barthol. Epist. Cent.* 2. *ep.* 96. *Nov. Liter. Germ.* 1705. *p.* 340. *Bressl. Samml.* 1724. *Septemb. p.* 325. De iis porro, qui laqueo suspensi pereunt, notari potest, eos non propter asperæ arteriæ aut laryngis compressionem, quippe quæ, si tota unquam datur, difficillima est, sed potius propter sanguinem, per venas compressas ex capite refluere impotentem, indeque ortam apoplexiam, perire videri; idque hujus signis, præcipue sanguinis serique in cerebri ventriculis effusi magna in eorum miserorum cadaveribus reperta copia, confirmari. Vid. *Comm. Lips. vol.* 4. *p.* 637. Quod si ergo de fune aliquis pendens reperitur, dubiumque est, an alio mortis genere forte perierit, hinc mortuus, celandi criminis causa, suspensus fuerit, tunc, vivo circumjectum funem fuisse, docent extravasationes sanguinis circa jugulum, ubi funis sedit; collisa enim hac violentia cutis est, ipsique musculi ac cartilagines arteriæ asperæ sanguinem sub se habent. Illi facies tumet ac livet, lingua cum labiis nigricant, oculi tument, spuma in ore est, sæpe sanguinea, abinde, quod linguam mo-

moriens momordit; venæ omnes, ſupra laquei veſtigium, tam faciei, quam internæ illæ, quæ per piam meningem diſperſæ ſunt, ſanguine ſuo intumeſcunt, cum interceptum, a laqueo, ſanguinis iter per venas verſus cor fuerit: thorax ſublimis eſt, lingua prominet, ſcapulæ cum humero ſurſum ductæ ſunt, nam, qui ſuffocantur, uti in aſthmate quovis videmus, muſculos illos inſpirationi anxiæ inſervientes, qui claviculæ atque ſcapulæ alligantur, adſtringunt fortiter. Si pulmones ſuffocati videas, erunt illius vaſa ſanguinea pleniora, cumque impedimentum tunc ſanguini arterioſo poſitum ſit, quo minus ille per pulmones transjici poſſit, ideoque vertriculus cordis dexter, ex quo arteria pulmonalis oritur, ſanguine ſuo plenus eſt, ſiniſter vacuus, vel certe minus plenus reperitur, ſiquidem vitæ ultimum tempus in ultima cordis ſyſtole poſitum eſt. Verum omnia iſta ſigna, a tumentibus venis, ac plenitudine ventriculi cordis dextri ſeu anterioris deſumpta, quibus alii tentiginem mentulæ, & urinæ atque fæcum expulſionem, in articulo mortis fieri penes ſuffocatos ſolitam, addunt, niſi ſimul adſit violentiæ externæ gutturi illatæ per ſugillationem facta ſignificatio, ſecura ſuffocatorum indicia haud ſunt, cum eadem etiam convulſis atque apoplexia abreptis adeſſe ſoleant. *Hebenſtr. Anthrop. for. p.* 489. Accidere etiam ſolet, ut fœtus in partu conſtitutus, ab ore uteri valde elaſtico, velut laqueo, puſilli collum conſtringente, ſuffocetur, conſtrictione uteri eousque procedente, ut venæ non ſolum jugulares, ſed & arteriæ carotides conſtringantur: ut taceam contingere aliquando fœtus ſuffocationem a funis umbilicalis circa collum contorſione: neque hic locus eſt, quo

agamus de fœtibus a muco, os, fauces, nares, tracheam, pulmones atque ventriculum replente, suffocatis. Sed memorari meretur excitatæ, quam partus suffocaverat, puellæ historia. Erat illa ex primo matris lentoque partu mortuæ similis, ut artus non solum propenderent, sed inferior quoque maxilla, licet elevaretur, sponte iterum decideret; cordis tamen pulsus minimam vitam latentem denotabat. Itaque illo adhuc tempore, quo cum fune cohærebat fœtus, placentaque in utero remanébat, omnia in auxilium vocabantur consueta, quæ illum excitarent, adminicula; sed frustra. Fune postea perscisso, sanguinis ad dimidiam saltem pedis distantiam summa vi propulsi aliqua emittebatur copia. Artus inde & abdomen commovet puella, nondum vero respirat; hujus autem actionis nisum edit atque vomitum, abdomine compresso, quo spastice simul agitatur thorax. Naribus tandem plumula irritatis, puella, ad egerendum mucum abdomini imposita, decimo a partu horæ minuto levem ducit spiritum, denique aqua calida fota, potu Theæ calido ipsi simul instillato, sensim sensimque vires suscipit, vita perdurante. *Comm. Lips. vol.* 4. *p.* 640.

De suffocatis in aqua jam dicendum est. Suntne certa indicia factæ submersione suffocationis? In submersis illis, quos in littus ejectos videas, aut in puteis stagnisque prostratos, cognoscendis nullus labor est. At vero si sagax hominum dolus omnem criminis suspicionem removerit; tunc sequentia signa factum produnt: insolens quidam tumor universi corporis ac madida mollities: alvus etiam intumescit: e naribus mucosa quædam excrementa prodeunt, ab ore defluunt spumosa: extremi digiti

digiti detriti ſunt; nam qui aquis ſubmerguntur, tanquam effugium contendentes, arenam effodiunt, adeoque ea parte laceri deficiunt. *Reineſ. Schol. ICtor. Med. p.* 585. Qui demerguntur in aquis, inſpirando moriuntur, ergo in illorum funere abdomen, propter diaphragma, quod morienti in planitiem expanſum fuit, propulſis hinc ad ima inteſtinis, tumet, & ventriculus, qui cæteroquin ſub hepatis lobo ſiniſtro deliteſcit, ſuffocatis in aqua, propter eandem rationem, prominet. Adeoque jam mortuum, & occultandi criminis cauſa in aquas projectum cognoſcas, ſi thorax illi depreſſus eſt, nam exſpirando vitæ finem poſuit, ſi abdomen, niſi forte inchoans putredo illud tumefecit, haud tumet, ſi inteſtina in ſitu ſuo naturali reperiuntur. Ita, ſi caſus fert, infantem, qui in aqua repertus eſt, non intra illam, ſed alio modo enectum eſſe, per eadem ſigna judicabis; qui in aquis ſuffocati ſunt, quoniam inſpirando moriuntur, utpote qui, vitam ſervandi deſiderio, magnoque conatu aërem petunt, pulmones habent illo turgidos, plus illis, qui animam efflando moriuntur; adeoque pulmonum plenitudo, ſi illi ſe tales ſiſtunt, ac ſi ſtudioſe, inflato aëre, repleti fuiſſent, ſignum ſuffocatorum in aqua eſt, collapſi autem, ſignum mortui antea defuncti, deinde in aquam projecti, eſſe poſſunt. *Hebenſtr. Anthrop. for. p.* 488.

Quoniam ſuffocati interdum ſunt mortui, nonnunquam vivi, ut ſtatus hi oppoſiti dignoſcantur, auctores docent, ut lana carminata, vel goſſypium ori, ac ſubtus nares apponantur, homine ſuperſtite res illæ moventur, vita functo immotæ manent: præterea, ut vas ali-

quod aqua plenum ori ventriculi, vel thoraci imponatur, ſi homo vivit, aqua effluit, ſi eſt mortuus, aqua immobilis manet: tertio, ut candela accenſa ori admoveatur, cujus flamma ſi movetur, indicium eſt, reſpirationem ſervari, & per conſequens vitam. Poſtremo hortantur aliqui, ut ſpeculum ori aptetur, quod ſi inficiatur, indicium eſt, ſtrangulatum adhuc vita male frui. *Bapt. Codronchi Opuſculum de iis, qui aqua immerguntur*; quod ſubjunctum eſt Ejusd. *de Hydrophobia libris II. Francof.* 1610. 8°. Hæc quidem experimenta idonea videntur præbendo teſtimonio de ſuperſtite hominis vita; eadem vero, ſimiliave, ad declarandum hominem mortuum, non ſufficere, documento eſt obſervatio in *Loſſ. Obſ. p.* 353. memoriæ prodita. Ancilla nimirum, ex frigore contracto, apprehenſa fuit ſuffocatione uterina (cui alias, ex menſium obſtructione, frequenter obnoxia erat,) cum tanto ſopore & veterno, ut corruens velut attonita jaceret, ſine motu, ſine ſenſu & reſpiratione perceptibili, omnibuſque facultatibus ad ſenſum in tantum abolitis, ut miſella in nulla re a mortua diſtingueretur; & in hac triſti conditione permanſit biduum & horas fere ſeptem; ut jam de ea ſepelienda cogitaret hera. Dum hoc modo mortuæ inſtar jaceret, *plumæ leves, nec non ſpecula ori & naribus admota, pelvis quoque aquæ plena pectori impoſita*, ut exploraretur, an vita ſuperſtes eſſet; ſed nec ſpeculum ullo halitu infectum, nec plumæ aut aquæ motus percipi potuit. Imo nec *ſternutatoria crebro inflata* quicquam effecerunt. Tandem ſubito, nihil tale expectantibus, gravi gemitu & ſuſpirio emiſſo, oculos attollere cœpit; actioneſque, aquis hy-

hystericis propinatis, & aliis, paulatim restitutæ sunt; atque sic a paroxysmo respiravit; adhibitis postea menses provocantibus, omnino convaluit, nec amplius strangulata fuit. Ex qua observatione patet, oppresso cordis calore, vitam hominis sola transpiratione consistere, & ad tempus conservari posse; & respirationem, si causas ejus & necessitatem consideres, esse actionem a vita separabilem. Creditum fuit, aquis submersos, multum aquæ deglutire, eamque per tracheam quoque admittere, atque tales ex repletione mori. Verum, si attendere velimus, quid in campana urinatoria, in aquam immersa contingat, vix ultra marginem aquam admittente, facile erit determinare, aquis submersos, non ex aquarum mole, sed ob aëris defectum extingui, nam cessante respiratione, cessat sanguinis in circulum itus, ipsa autem respiratio vel in momento sufflaminatur, cum nec aër egredi, nec aqua ingredi possit, hinc in submersis ne guttulam quidem aquæ in ventriculo aut in thorace reperire unquam licuit. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 6. *obs.* 153. Probare hoc imprimis conatus est *Jo. Conr. Beckerus* in tract. peculiari *de submersorum morte sine pota aqua*, *Gissæ* 1704. 4o. & *Jenæ* 1729. 4°. Conf. *Hist. Ac. r. sc.* 1719. *p.* 26. *an.* 1725. *p.* 12. Hypothesis tamen ista nondum ita universalis esse videtur, ut nullus detur casus contrarius. Aliquando enim sub certis quibusdam circumstantiis, etiam ipsa aqua intra pulmonum canales & vesiculas ingredi valet, quamvis communiter sine pota aqua mori soleant submersi. Pro causa interim mortis immediata nulla alia accusari posse apparet quam hæmostasia, præsertim intra sinus

cerebri facta, quemadmodum in morbo attonito, ita ut submersi eodem modo pereant, ut laqueo suffocati. Vid. *Satyr. Med. Siles. Spec.* 2. *obs.* 2. Quin per experimenta cum canibus instituta apparet, aquam ipsos ingredi pulmones, ideoque motum eorum tollere, atque mortem animalis efficere. Vid. *Comm. Lips. vol.* 2. *p.* 425. Foraminis ovalis aperturam submersorum haud avertere suffocationem, puellæ, viginti annos natæ, & in aqua demortuæ testatur exemplum; in cujus cadavere foraminis illius valvula, amplitudine sua illam, quæ in fœtu est, insigniter excedens inventa est, ad cujus alterum extremum ex sinu dextro in sinistrum via adhuc patula fuit: sanguinis etiam quam copiosissima in venis, per totum corpus distributis, congestio; in pulmonibus porro aquæ spumosæ & sanguine tinctæ insignis copia, eorumque vesiculæ cellulares inflatæ deprehensæ sunt. Ventriculus autem aquæ nihil in se continuit, ideo forte, quod puella plethorica, animi deliquiis jam olim facile obnoxia, & nunc, dum ex equo deciderat in aquam, eo affectu correpta exspiraverit ante, quam deglutire aquam potuerit. *ibid. vol.* 4. *p.* 636. Equidem omnes, qui in aquis suffocantur, aquas non bibunt, cum non possint, si subito alto flumine vel lacu demerguntur; sed illi, qui aliquamdiu superficiem aquæ tenent, inter collucationem, temperare sibi, quin aquam hauriant, haud poterunt: adeoque perpetuum equidem illud signum haud est, non tamen omnino negligendum. *Hebenstr. l. c.* Hallerus in fœmina submersa regurgitantem e pulmone æque ac ventriculo aquam, pulmonem nigrum, cor exsangue, vasa lactea

chylo

chylo pleniſſima, rubris vaſis parallela, thoracicum ductum lympha plenum obſervavit. Serius a morte hæc ſeſe obtulerunt; hinc nova in canibus felibuſque inſtituit, repetiitque tentamina, experturus certius, adſitne aqua perpetuo. Multa in pulmonibus & trachea horum animalium fuit ſpuma, glottis aperta, ſanguis ater craſſus in vena cava & pulmonali, in ſiniſtri cordis vaſis nullus, aqua multa in ventriculo; mors cita; in iis, quæ mortua ſubmerſa ſunt, nec in pulmone, nec in ventriculo ulla aquæ copia. Vid. *Comm. Lipſ. vol.* 5. *p.* 95.

Quæritur, An in aqua fere ſuffocatis vita reddi poteſt? Reſtituti, qui extracti aliquamdiu pro mortuis habiti fuere, poſtquam quis theca cultellaria, apice reſecto, in ipſorum anum ſufflavit, donec aqua per os erumperet, aqua enim nondum in ventrem perruperat. *Helm. de Hom.* §. 29. Infans in aqua ſubmerſus, paulo poſt ex illa extractus, extinctus jam videbatur, manibus prorſus nigris, oculis torvis, & lingua ex ore propendente. Pedibus apprehenſis, inverſus ille quidem tollebatur in altum, ſine ſubſecuto tamen effectu. Quamprimum autem aër, follis ope, in ventrem fuerat immiſſus, folle decies circiter compreſſo, ſuſpiria ducere cœpit ex pectore, os atque oculos movere; illoque per aliquod adhuc tempus adhibito, ad vitam prorſus rediit, madidis deinde veſtimentis detractis, in lectum calidum delatus. Vid. *Comm. Lipſ. vol.* 4. *p.* 56. Nobilis quidam licet ſub aquis ſubmerſus diu remanſiſſet, & tandem repertus, pro mortuo habitus fuiſſet, ad vitam revocatus fuit diuque in poſterum vixit, admotis cordi panis aſſi

micis aqua vitæ calida imbutis, idque ſæpe renovando, reliquis vero partibus frictionibus rubefactis, idque in lecto calido. *Borel. Cent.* 2. *obſ.* 2. Foreſtus de ſe ipſo narrat, quod, cum puer eſſet, ceciderit in aquam & fere ſubmerſus fuerit, extractuſque ſuper cupam rotundam circumvolutus, ut ita aqua vomitu per os exiret, & ita liberatus fuerit. Attamen hoc non ſemper a ſe probari ait, cum aliqui hoc modo ſubito extincti ſint, qui violentam illam motionem & capitis gyrationem, ac ſubſequentem inde vomitionem, totiusque corporis interius perturbationem tolerare non poterant. Vid. ejus *Obſ. Chir. l.* 6. *obſ.* 33. Idem ad evomendam hauſtam aquam commendat decoctum hordei non excorticati, glycyrrhizæ & ficuum, adjecto exiguo butyro & ſaccharo; ad ſudorem autem in lecto provocandum laudat a ſe compertum in pluribus caſibus decoctum florum chamomillæ in cereviſia decoctorum. Vid. ejus *Obſ. Med. l.* 15. *obſ.* 26. Memorabilis eſt obſervatio, quam profert Sachſius in *Ampelographia*, in aqua ſubmerſos, ſine vita ac motu jacentes, vitæ reſtitutos fuiſſe, forti & diuturniori percuſſione pedum, quia nempe ejuſmodi contuſione vaſa & fibræ ad motum ſyſtoles vitalem producendum excitantur. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 68. Hiſtoriæ de ſubmerſis in vitam revocatis legi poſſunt in *Nov. Liter. Germ.* 1705. *p.* 341. *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 6. *obſ.* 20. 75. 76. 89. 125. 130. 192. *Act. Hafn. vol.* 4. *obſ.* 42. *Hiſt. Ac. r. ſc.* 1757. *p.* 32. Plurimæ numerantur eorum hiſtoriæ, qui poſtquam plures per horas ſub aquis demerſi & ſuffocati reſtiterant, ad lucis uſum fuere revocati, quod quidem addat animos æquum eſt, ut, quotieſcunque

que sese casus obtulerit, quæcunque in usum adhibeantur, cum præsertim obvia sint, & facile peragenda hujusmodi tentamina. Prima salutis via est, ut in intestina tabaci fumus inhaletur, postea calor in corpus hinc inde versando, & crebra concussione revocetur, & assidua membrorum in lecto cum linteis calentibus frictione, uno verbo quacunque via, quacunque ratione sanguinis motus redintegretur, nec invadat desperatio nisi per horam integram continuato hujusmodi officio nulla redeuntis vitæ appareant indicia. Sed his peractis optimum pollicentur effectum spiritus & salia volatilia, nec ipsa debet omitti venæ sectio, ubi calor ita totum perfudit sanguinem, ut venis ipso tumentibus possit ab illis erui. *Mead Oper. p.* 101.

Dignum hîc recenseri est Edictum quoddam, quod jussu Gall. Regis a Societate Scient. exaratum, & per universum Galliæ regnum distribuendum, hunc titulum præ se fert: *Avis pour donner du secours à ceux, que l'on croit noyés*; i. e. *Instructio, secundum quam illis, qui aqua suffocati videntur, succurri debet.* Gallice extat in *Journ. Oec.* 1753. *Avril p.* 100—109. Est illud sequentis tenoris, resciffis superfluis. — Testantur historiæ multorum auctorum fide dignissimorum, vitam rediisse iis, qui sub aquis per aliquot horas commorati sunt, illosque non raro demum duabus horis elapsis signum edidisse, se non re vera emortuos esse. Oræ præcipites quorundam lacuum profundorum Helveticæ sæpissime proh dolor de hujusmodi casibus tristibus testantur. Felix illorum remediorum successus, quæ in talibus hominibus nunc citius, nunc tardius ex aquis extractis sunt adhibita,

adhibita, publici juris factus est diversis annis, diversisque singulorum annorum mensibus, in relatio ibus *Mercure Suisse* dictis. Nimirum indicabantur remedia, quibuscum periculum factum est ejusmodi homines reficiendi, quorum nulla vitæ spes amplius erat relicta, eaque remedia heic etiam invenientur descripta atque indicata. — Credebatur olim, optimum aut saltem citissimum remedium, quod in infortunato ex aquis extracto adhiberi posset, in eo consistere, ut ipse statim pedibus suspendatur; verum enim vero, postquam sectionibus corporum in aquis extinctorum a dexterrimis Anatomicis institutis repertum fuit, in illorum ventriculo plerumque paucam, imo minorem aquæ quantitatem adesse, quam si pro lubitu bibissent, consultum non videtur, in talem statum deducere suffocatum, qui, simul ac humores corporis ordinarium denuo adepti sunt circuitum atque motum, illi non posset non periculosus esse. Attamen accidere potest, ut nimium aquæ deglutiverit; hoc autem ut sciatur & in ipso casu dicto, quo aquam iterum redderet, in dolium immittatur utrinque apertum & dein per temporis aliquod spatium diverso modo circumagitandum, id quod respectu aliorum finium congruum esse potest. Alia quoque ratione eo perduci potest, ut aquam deglutitam evomat, si nempe in œsophagum diversis vicibus intrudatur penna nondum plumâ orbata. Postquam hujusmodi ex aquis extracto vestes sunt exutæ, maxime necessarium requisitum est, involvere potius nudum corpus linteis & tegumentis, ut ab aëre frigido muniatur & pedetentim calefiat, quam, quod præpostere sæpius fieri solet, illum ad littora extensum

tenſum atque denudatum relinquere. Ut autem eo citius atque potentius calefiat, lecto calefactis linteis inſtructo committatur, ejusque copori, ubi ſic jacuit, ſæpius calefacta lintea imponantur. Exempla proſtant, in ſubmerſis calorem & æſtum ſolis, cui expoſiti erant, idem, quod in aliis lintea calida, præſtitiſſe. Uti & conſtat, in thermis quosdam fuiſſe refocillatos, quarum tamen ut periculum fieri poſſit, non ſemper fert occaſio. Cardo rei in eo poſitus eſt, ut ſolidis corporis partibus tonus reddatur, quo hæ fluidis partibus iterum motum ſuum conciliare queant. Ad hunc finem obtinendum ſubmerſus non quietus in lecto ſuo maneat, ſed variis modis concutiatur, huc illuc moveatur, in altum ſuſtollatur, ut iterum lapſu ruat, & brachiis detentus fortiter agitetur. Spirituoſa quoque in eorum os infundere decet, uti &, defectu ejusmodi potiunculæ, occaſionibus diverſis urinam calidam in os ſuffocatorum infuſam felices effectus præſtitiſſe, obſervatum eſt. Pari intentione decoctum ex pipere & aceto factum præſcripſerunt, ut ceu gargariſma injiciatur. Porro nares irritandæ ſunt internæ vel ſpiritibus volatilibus & aquis apoplecticis, quæ in apoplexiis in uſum trahi ſolent, vel nervos interiorem naſi ſuperficiem inveſtientes pluma quadam irritando, vel quoque pulverem tabaci aliumve fortiorem ſternutatorium ope cannulæ in naſum inflando. Inter remedia, quæ in ſimilibus caſibus adhibebantur, quorumque ope ſubmerſi iterum ad ſe redibant, & hoc proſtabat. Nimirum per cannulam inſpirarunt in os halitum calidum eo fine, ut exin in inteſtina penetraret, id quod etiam ope fol-

lis

lis ano applicati factum eſt, cujus locum non inepte ſubire poſſet ſyringa. Imo conſultius adhuc eſſet ſyringa uti, cujus ope clyſma injici poſſet, quod inteſtina irritaret & præſtantiores effectus ederet, quam aër illuc impulſus. Sed omnibus fortaſſe palmam præriperet, ſi fumum tabaci in inteſtina inflare conarentur. Academiæ noſtræ ſocius quidam teſtis erat oculatus de effectu hujus fumi citiſſimo & feliciſſimo in ſuffocato quodam. Hunc in finem adhiberi poſſet fruſtulum fiſtulæ ad fumum tabaci exſugendum accommodatæ, cujus ope fumus, ex alia integra fiſtula hauſtus ore, in abdomen immitteretur. Nullum modo adductorum remediorum negligendum, imo, ſi omnia in uſum traherentur, ſaluberrimum effectum edere valerent, qui eo certius exſurgeret, ſi forte fortuna ſub directione prudentis Medici adhiberentur. Si Chirurgum arceſſere licet, non omittendum eſt periclitari venæ ſectionem, quæ optima judicari poteſt, ſi jugularis incidatur. Namque in ſubmerſis ſemper obſervantur vaſa cerebri ſanguine nimis repleta pariter ac in iis, qui laqueo ſuſpenſi aut apoplexia perculſi ſunt. Evacuata enim pauliſper vaſa majorem vim adipiſcuntur operandi in partes fluidas, quas in motum ciere debent. Ubi autem modo recenſita remedia decenti modo adhibita optatum effectum non edunt, neceſſe erit, ut Chirurgus inſtituat bronchotomiam. Sic enim non ſolum aër libere in pulmones penetrare poteſt per aperturam in canale, per quem ordinario ac naturali alias modo intrat, factam, ſed & ipſe aër calidus, qui per hanc aperturam inſpirari poteſt, pulmonibus ipſis tonum naturalem conciliabit, ipſæque pectoris actio-

actiones omnes denuo fuccedent. Hoc infuper inculcandum effe duximus, ut ne ab incepto opere defiftant, fi vel ftatim optatus effectus non fuccederet: Experientia enim docet, ejufmodi homines ex aquis fervatos figna fuperftitis ac rediturae quafi vitae prius non dediffe, quam ultra duas horas dicto modo quafi cruciati fuerint. Vid. *Com. Litt.* 1740. *p.* 265 *fqv.* Conf. *Hanow Seltenb. vol.* 1. *p.* 57. Meretur hic etiam adduci, quod Gohlius memorat (in *Act. Med. Berol. Dec.* 2. *vol.* 3. *p.* 40.) fe aliquando apoplexia tactum virum in vitam revocaffe per infertam *excutiam ventriculi*, per oefophagum in ventriculum; atque hinc cenfet, quia in fubmerfis quafi apoplexiae quaedam fpecies obtingat, promtius iis auxilium adhiberi non poffe, quam excutiam ventriculi, ita ut periculofa illa laryngotomia, quam alias in his cafibus commendare placet, fuperfedere queamus. Secundum Cl. Tiffotum auxilia fubmerfis ferenda in eo confiftunt, ut diutius totum corpus calidis linteis perfricetur, fumus herbae nicotianae per fiftulam pulmonibus infletur, jugularis vena aperiatur, ipfeque peti fumus per anum ad inteftina deferatur, & fternutatoria tandem naribus immittantur. Quam primum ad fe redeunt aegri, oxymel fcilliticum aqua dilutum, aut hujus defectu, infufum cardui benedicti aut chamomillae propinandum, non neglectis interim iis, quae ad ipfos fufcitandos commendata fuerunt, adminiculis. v. *Comm. Lipf. vol.* 12. *p.* 550. Conf. *Eufebii Squarii Differtatio epiftolica intorno al ravivar i fommerfi &c. Venet.* 1761. 8°. ubi praecipuum fubmerforum auxilium ponitur in infufflatione aëris in os ipforum vid. *Vogel N. Med. Bibl. vol.* 5. *P.* 5. *p.* 197.

Quo-

Quoniam in experimentis, cum canibus felibusque institutis, deprehendit Hallerus, quod spuma illa, inter ultimos animalis nixus ex aqua resorpta & cum aëre mixta, aërem sua elasticitate orbaverit, ipsa vero se pulmonesque non potuerit expandere, atque hinc cito enecaverit durioris licet vitæ animalia, nullaque, qua rejici iterum ea possit e pulmonibus, excogitari queat ars; spem resuscitandi submersos homines valde inde minui colligit, & si quos unquam suscitatos fuisse credat, eos forte aliquibus intervallis, quibus super aquam emerserint, hausisse aquam suspicatur. Vid. *Comm. Lips. vol. 5. p. 96.* Hausta omnino fuit aqua a puella, ex aquis extracta, quæ pro mortua habita super cineres plantarum, ad quatuor digitos transversos in lecto explicatos, posita fuit, toto ejus corpore iisdem cineribus obtecto: hora namque semis præterlapsa arteriarum pulsus tremulaque vox redierunt, per octo vero horas cineribus ita sepulta viva & lassitudine tantum aliqua affecta exiit; aqua autem omnis per vias urinarias tanta copia effluxit, ut cameram inunderet. Cinerum defectum salem communem, ubique obvium, supplere & eadem virtute donatum esse, experimenta cum insectis instituta docuerunt. *Ibid. vol. 9. p.* 448. Helmontius p. 228. commemorat casus submersorum, qui forte per dimidium horæ subter delituerant, prono autem positi situ, capite & humeris declivibus, rejecta aqua, revixere.

Cætero, conferri ad præsentem aphorismum meretur *Jo. Ge. Roederer Observationum medicarum de suffocatis Satura. Gotting.* 1754. 4°. quæ recensita est in *Vogel N. Med. Bibl. vol.* 1. *p.* 493-503.

APHOR.

APHOR. 44.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Natura admodum craffi, celerius intereunt, quam graciles.

Celfus *l.* 2. *c.* 2. *p.* 47. ita habet: *Obefi plerumque acutis morbis, & difficultate fpirandi ftrangulantur, fubitoque fæpe moriuntur. quod in corpore tenuiore vix evenit.*

Recte autem obefos appellat Celfus, de quibus præfens agit aphorifmus. Nam aucta moles corporis quoad totum habitum in torofis, carnofis, obefis, non fit auctis folidis, fed iis in majores cavitates, humoribus aggeftis, ftagnantibufque, plenas, extenfis. *Boerh. I. M.* §. 774. Vafa obefi homines habent exiliora feu anguftiora, comparatione facta cum gracilibus; id quod jam a Celfo *l.* 2. *c.* 10. *p.* 79. adnotatum eft, quando ait, *tenuioribus magis fanguis, plenioribus magis caro abundat.* Preffa funt in obefis vafa a pinguedine feu torofo habitu; quare valde obefi nunquam non periclitantur a præcipiti vaforum ftrangulatu, adeoque a repentina morte. Hinc iisdem debilis eft pulfus. *Boerh. l. c.* 960. ac obfervantur tales homines admodum in fomnum propenfi, folentque tandem apoplectici decedere; quia enim in cranio deficit pinguedo, hinc, fi obefitas in reliquo corpore augetur, vafa compreffionem patiuntur a circumfufa pinguedine,

& omnis ſanguis, qui non poteſt contineri a vaſis ſtrictioris diametri, fertur in caput, ubi accumulatus medullam cerebri comprimit, ſiquidem arteriæ encephali cruori appellenti non, vel parum, reſiſtunt, & cranium non cedit. Quapropter non mirum eſt, quod pingues & qui vaſa tenuia gerunt, valde obnoxii ſint ſtagnationibus ſanguinis & inde orientibus ſpaſmis, nec non inflammationibus, abſceſſibus, lentiſque febribus & calculo: tales namque ſunt naturæ plerumque debilioris, robuſtioris contra, qui habent vaſa ampliora. Vid. *Hoffm. Idea fund. Med. cap.* 10. Robore autem & viribus præ aliis valent morbiſque minus obnoxii ſunt, qui majora obtinent vaſa, ſtrictiores fibras carneas, robuſta ligamenta, nervos & tendines magnos; imbecilliores vero & morbidi merito habentur, qui obeſi, laxioris & ſpongioſioris ſunt carnis, tenuia & exigua gerunt ſanguinis vaſa, exiles nervos, teneraſque membranas. Nam ſub robore ſolidorum, quæ fluida impellunt, & canalium amplitudine, longe majori facilitate & promtitudine contenti humores circumaguntur, & ſecretiones utiliſſimorum ad vitam ſuccorum, & excretiones inutilium, longe melius vigent, quam ſub copia ac exiguitate vaſorum, fibrarum laxitate & niſu ac reniſu languido; & hinc omne id, quod lædit ac morbos efficere aptum eſt, promte removetur ac eliminatur, & illibata ſervatur corporis integritas. *Ejuſd. Med. rat. T.* 3. *p.* 224.

—— Omen habet moles pinguedinis auctæ,
Illa gravat corpus, dum ventris pondus obeſi
Membra ſopita premit, dum lentos impedit artus
Pondus iners, creſcitque malum, ceu viſcera tardam

Accu-

Accumulant adipem, nocuit vigor ipse salutis.
Hinc varii plenos homines invadere morbi
Plus aliis quandoque solent; inopina timentur
Fata magis; tumidus tales non præterit hydrops.
Hebenstr. de Hom. p. 216.

Notari & hoc potest, quod, juxta adagium (apud *Galenum ad Thrasyb. Medic. gymnast. cap.* 37.) crassus venter subtilem mentem non pariat; & quod Druidæ ingenio obesitatem plurimum obesse docuerint; ideoque ne obesi fierent, neve prominentem ventrem haberent, operam dederint. Si quis autem adolescens cingulo præscripto, mensuram excederet, eum mulctarunt. Vid. *Frey Opusc. p.* 24.

APHOR. 45.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ, μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν τόπων, (χωρίων) καὶ τῶν βίων, ποιέουσι.

Ex comitialibus, juvenes mutatione potissimum ætatis, & regionum, & victuum, liberationem accipiunt.

EPILEPSIA, ἐπιληψία, quasi *comprehensio*, *detentio*, sive *obturatio*, nomen sumsit, quod sensum atque mentem pariter apprehendat, ut ait Aurelianus; ab ἐπιλαμβάνομαι *capio*, *apprehendo*; hoc enim correpti morbo rerum obliviscuntur, & sensus eorum detinentur, cum jaceant omnibus destituti sensibus; Latinis *morbus caducus*,

ducus, quod hominem cadere facit. Appellatur etiam *puerilis paſſio*, *παιδιῶν νόσημα*, quod in puerili ætate abundat. *Comitialis* dicitur *morbus*, quia in Comitiis infauſtum habebatur, ſi quis epilepticus concidiſſet; inde *comitiales* homines apud Plinium *l.* 20. *c.* 5. qui eodem capiuntur.

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat.
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.
Seren. Samon. p. 33.

Tantæ fuit Romanis abominationi iſthæc labes, ut vel nomine ejus audito ſputum emiſerint, unde *morbus qui ſputatur* dicitur Plauto *Capt.* 3, 4, 18. nequaquam enim veroſimile videtur in ipſum ægrotantem ſputa conjeciſſe. Cui explicationi forte favet locus in *Apul. apol. I. p. m.* 345. ubi: *neque gravius eſt in cubiculo deſpui, quam in iſto ſplendidiſſimo cœtu deteſtari.* Ne quid tamen diſſimulem, non omni deſtituuntur fundamento, qui denominationis iſtius aliam rationem dari poſſe exiſtimant, quod nempe inſputatio illa ideo fiebat, tum ut conſuleretur ægrotanti, tum illi ipſi etiam, qui inſpuebat, quod crederent, ſputo & medicandi ineſſe vim, & avertendi contagii. Nam Plinius *l.* 28. *c.* 4. *Hominum*, inquit, *inprimis jejunam ſalivam, contra ſerpentes præſidio eſſe, docuimus: ſed & alios efficaces ejus uſus recognoſcat vita: deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus.* Pertinet huc etiam Plautus *l. c.* vers. 22: *multos iſte morbus homines macerat, quibus inſputari ſaluti fuit, atque aliis profuit.* Vocatur etiam *ſonticus morbus*, v. g. in *Plin. l.* 36. *c.* 19. morbus

ſcilicet

ſcilicet non vulgaris, ſed tantus, ut reus cogatur apud Judicem non comparere. *Magnus morbus*, atque *Herculeus* ſive *Herculaneus*, ob ſuam vehementiam, & quoniam vix ſuperari arte humana poteſt, ſed eſt invictus, Herculis exemplo, ſive quod Herculi familiaris fuit: *Divinus*, quaſi a Diis in vindictam miſſus, & opem humanam eludens: ἱερὰ νόσος, *ſacer morbus*, ſive quod divinitus putetur immiſſus; ſive quod divinam animæ partem diſcruciet, ſive ob magnitudinem ſuam, quandoquidem magna apud Veteres ſacra dici conſuevere; ſive ob difficillimam ejus curationem, qui non humana ope, ſed ſolummodo divina, credebatur poſſe tolli. *Lunaris* dicitur *ægritudo*, & ea correpti σεληνιακοὶ, σεληνιαζόμενοι, *lunatici*, vocantur, quoniam frequenter ad lunæ circuitus redire ſolet malum. Vid. *Mead Sacr. Med. cap.* 10. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 1. *Aurelian. morb. chron. l.* 1. *c.* 4. *Alex. Trall. l.* 1. *c.* 15. *Aret. de cauſ. diut. l.* 1. *c.* 4. *Mercur. Var. Lect. l.* 5. *c.* 11. *Eph. N. C. D.* 3. *a.* 3. *p.* 324. Repentino mentis nubilo obtorpeſcunt, & moribundo corpore ceſſante animo cadunt. Eum noſtri non modo *Majorem* & *Comitialem*, verum etiam *divinum morbum*, ita ut Græci ἱερὰν νόσον, vere nuncuparunt. Videlicet quod animi partem rationalem, quæ longe ſanctiſſima eſt, violet. *Apul. l. c. p.* 344. Eſt hic morbus totius corporis diſtentio crebra, ſeu convulſio non perpetua, qua ſubito homo concidit, ſenſuum omnium atque mentis functionibus interceptis, ut nec audiat, nec videat, nec expeditus præteritorum meminerit, concuſſione ex ore ſpumæ moventur, & ſolutis muſculis interdum vel urina, vel ſtercus, vel genitura pæter voluntatem exit, & obſcura vox elidi-

tur. *Vanini Nat. Arc. p.* 466. Vix aliter ab apoplexia quàm gradu differt, hacque una præterea re, quod epilepticis omnibus spuma os obsideat. *Cheyn. de fibra* §. 24. Imo, est apoplexia, nisi quod intersint spasmi musculares. Juxta *Hippocr. lib. de flat. n.* 21. sacer morbus fit, cum obstructiones multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur, atque alio quidem loco consistit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius: qua sane inæqualitate transitus sanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates per omne contingunt corpus. Vid. *Hoffm. l. c. p.* 6. Occupat cerebrum hoc malum; quod sicuti in infantibus plenitudini, & sanguinis nondum exercitiis & pulmonis actione subacti lentori; ita in ætate provectioribus copiæ humorum, delapsibus ab alto, aut subitis terroribus, ortum sæpissime debet. *Mead Oper. p.* 469, Communiter autem hæc passio frequens est in pueris, & magis in tempore quo dentium nativitates habentur. Accidit etiam primævis, atque mediis ætatibus: senibus vero difficile. *Aurelian. l. c.* Juvenes rarius, quàm pueri, hoc malum patiuntur; sed crebrius intereunt. *Aret. de caus. acut. l.* 1. *c.* 6. Morbus non facile recedit, sed ætatibus melioribus, & pulchriori tempore viget. vexat etiam pueros & adolescentes. Interdum secunda fortuna evenit, ut per succedentem provectiorem ætatem abigatur: quando simul cum ætatis flore evanescit: sed & tum quosdam abiens deformes efficit, pueros quoque pulchritudinis invidia perdit: aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut sensum aliquem prorsus auferens. Quod si malum hoc penitus insederit, atque radices altius egerit, neque ipsum Medicus, neque ætatis mutatio submovent, sed

cum

cum ægrotante vivit atque commoritur. *Idem de cauſ. diut. l.* 1. *c.* 4.

In præſenti aphoriſmo *Juvenes* intelliguntur, qui nondum viginti quinque annos attigere, imo qui nondum puberes facti ſunt; nam puberibus epilepſiæ plerumque commoriuntur, juxta 5 *aph.* 7. at minores natu epilepſiæ morbo obnoxii, inſigniorum mutationum beneficio ab eo liberantur, maxime ætatis, & regionum, & vitæ generis. Puerorum nonnullorum morbi comitiales unà cum pubertate mutationes habent, atque etiam aliàs. Ad ætatem pertinent, quæ ſcribit *Celſus l.* 3. *c.* 23. *p.* 172. quod *ſæpe morbum hunc in pueris Veneris, in puellis menſtruorum initium tollit.* Scribonius *comp.* 18. *pueros*, ait, *vel virgines liberari poſt complexum & devirginationem.* Quod neque Plinius *l.* 28. *c.* 4. omiſit: *Multa genera morborum primo coitu ſolvuntur, primoque fœminarum menſe: aut ſi non id contingat, longinqua ſunt, maximeque comitiales.* De epilepſia diuturna virginis poſt congreſſum cum viro ſublata, eſt in *Eph. N. C. D.* 3. *a.* 1. *obſ.* 12. & aliud exemplum *ibid. D.* 1. *a.* 1. *obſ.* 86. Et Aurelianus *l. c.* de mutatione ætatis ita refert: *Solet hæc paſſio pubertatis tempore, ſive novæ* (menſtruæ) *purgationis in fœminis, aut primi partus quadam naturali* (temperamenti mutatione) *novitate facile detergeri corporis mutatione ſuffecta, quod ſi minime venerit, plerumque patienti conſeneſcit, niſi aut longo tempore* (naturæ pugna) *natura pugnante, aut Medicinæ diligentia fuerit ſuperata.* Si cauſam rimamur hujus effectus, hæc utique videtur veriſimillima: deſiderari ſcilicet ad gignendum epilepticum morbum, non tantum certam in fluidis intemperiem, ſed & peculiarem pravam in ſolidis, præſertim in cerebro ejuſque vaſis,

membranis & nervis dispositionem, ut non modo humor morbo excludendo aptus, ibi subsistere sedemque figere possit, sed & systema membranarum & nervosarum partium ad concipiendos spasmos & contractorios convulsivos motus habile sit atque dispositum. Jam vero humidiora cerebri & nervorum stamina ante pubertatem facile admittunt humorum stagnationem, atque etiam ob teneritudinem ad convulsivas motiones mobiliora sunt magisque proclivia, eaque propter, ante septimum præsertim annum, ut recte notavit *Duretus*, & epilepsiæ & horrendæ interdum artuum convulsivæ tractiones, agitationes & distensiones invadunt, quæ tanto gravius tantoque diutius infestant, quanto magis a causis externis, inordinato & incongruo victu, animi motibus aut mentis fatigationibus foventur. Superatis autem pubertatis annis, quando ab admixto sanguini & lymphaticis succis genituræ virilis, ut ita loqui liceat, spiritu, ceu fermento, omnes solidæ corporis partes, ipsaque cerebri stamina, tonum intensiorem majusque robur adipiscuntur, excretiones quoque, harumque potissima perspiratio, liberius procedunt, evenit, ut vel naturæ beneficio sua sponte, vel adhibita quadam leni medicina, truculentæ illæ passiones desinant atque exspirent. Recte enim Hippocrates *lib. de morb. sacr. n.* 13. ita rationem reddit: *Postquam*, inquiens, *viginti anni præterierint, non amplius hic morbus corripit, præterquam paucos aut nullum, nisi ex puero connutritus fuerit: venae enim plenae sunt, & cerebrum compactum est, atque adstrictum, quare non defluit in venas humor; si vero defluxerit, sanguinem non superat, multum ac calidum existentem.* Quod si vero, facta hac per ætatem partium soli-

lidarum & fluidorum progressus mutatione, epilepsia post vigesimum quintum & qui sequuntur annos, persistit, vel etiam tum demum oboritur, vix perfecta speranda medela; cujus rei etiam fidem facit *Celsus l. 2. c. 8. p.* 73. ita scribens: *Morbus comitialis post annum quintum & vigesimum ortus ægre curatur: multoque ægrius is, qui post quadragesimum annum cœpit; adeo ut in ea ætate aliquid in natura spei, vix quidquam in medicina sit.* Neque vero tantum in epileptico malo, verum etiam in aliis gravibus & difficilibus capitis morbis, illa quæ annorum lapsu in corporis partibus contingit mutatio, auxilio est, in phrenitide scilicet, melancholia, paralysi, insania, memoriæque debilitate, nec non convulsivis artuum motibus. Ea enim, probe monente *Mercuriale*, perpetua quasi Hippocratis fuit consuetudo, ut, quando uno exemplo plurima similia docere vult, illud semper seligat, quod frequentius, difficilius & notius est. Unde quum exponere sibi sumsit, quantum in morborum curatione valeat ætatis mutatio, epilepsiam in exemplum produxit, neutiquam exclusis aliis morborum convulsivorum speciebus, nervorumque & capitis affectibus, in quibus functiones animales & sensitivæ turbantur. Sic igitur concludendum: Si in epilepsia, ubi omnes functiones sensuum internorum penitus perduntur, ut superato insultu nec præteritorum memoria supersit, ætatis mutatio medelam præstat, multo magis convulsiones & convulsivi motus aliique capitis, qui sensus internos non adeo lædunt morbi, eidem cedent. *Hoffm. de aet. mut.* §. 21 *sq.* Conf. infra 3 *aph.* 28. At de concubitu nonnulli Medici falluntur. Nam quoniam na-

turalis in virum transitus aliquantum proficit, puerorum naturam intempestivo concubitu violarunt, tanquam citius eos roboraturi. Sed isti a natura sponte præfinitum tempus, in quo omnia remedia fiunt, ignorant. Hæc enim singulis ætatibus propria simul opportunis temporibus creat. in tempore namque concoctiones seminis, barbæ, canorum. Quis igitur Medicus naturæ commutationem seminum a principio, tum præfinitum singulis tempus variaverit? Quin & in morbi naturam impegerunt, nondum enim intempore quidam Veneri dare operam cœperunt, ante immaturitate rei noxam accipientes. *Aret. curat. diut. l.* 1. *c.* 4. Videtur certe sanabilis epilepsia per ætatis mutationem, si illa unice debeatur systemati nervoso nimis facile mobili; quia per ætatem nervi acquirunt magis firmam diathesin. Ergo, si ab innata intemperie fiat morbus, ut ait Galenus, vera est sententia Hippocratis; ea enim intemperie permutata ratione permutationis ætatis sola, cessante causa cessat effectus. Sed ne quis erret, sperans omnem comitialem sola permutatione ætatis sanandum. hoc enim falsum esset: sicut illud quod dicitur 5 *aph.* 7. si vigesimum quintum annum accesserint, commoriuntur; si sine distinctione capiatur; nam & ex prava victus ratione pueris evenire potest, qui non ætatis mutatione sanatur, sed meliore victu præscripto. Si adultioribus jam eveniat, aliam causam habere est verisimile, & ideo difficilius curari posse, & Medici opera indigere. Quod si vigesimum quintum annum excesserint, signum est, quod non ab innata illa intemperie evenerunt, sed alia de causa ægre solubili, & dicit eos perdurare usque ad necem, ut eos insanabiles

biles existimet; sed causam non exponit. Locus vero Hippocratis intelligendus est, ut morbus a pueritia ultra vigesimum quintum annum prorogetur, non de eo qui postea evenit. Multos enim perfecte curatos vidimus. Sed nullos, ubi diu, id est, a pueritia eousque perduravit. Neque hoc verum, ut Galenus ait, si puerulis adveniat, ope Medici non egere, sed sponte sua cessare: cum puerulos multos premat hæc passio, & ope Medici multi liberentur: quod si perdurent; nec verum est ætatis semper mutatione sanari: sed aliquos perstare & commori, ut ait Hippocrates. *Forest. Obs. Med. l.* 10. *obs.* 57. *schol.* De celebri Ferrariensium Medico, Nic. Leoniceno, qui decessit anno 1524, referunt qui de ejus vita scripsere, quod a pueritia, imo a cunabulis ipsis, ad tricesimum annum comitiali morbo adeo tentatus fuerit, ut, cum ad se rediret, pertæsus vitæ pene sibi manus inferre voluerit; sed post trigesimum annum plane eo morbo defunctum esse & integerrimis sensibus, vegetaque memoria, pervenisse ad annum ætatis nonagesimum sextum.

Regionis seu loci & aëris *mutatio* etiam ad finem morbo faciendum confert. Nam cum epilepsia malum sit habituale, & secundum nostram sententiam spasmus meningum cerebri, qui a stagnatione humorum circa has membranas magis vel minus acrium provenit; hinc cum aër peregrinus sanguinis diathesin ac crasin mutet & spiritibus, cum in illorum pabulum maxime cedat, novam quoque indolem ac motum procuret; hinc iis firmatis obstructiones iis in locis facilius cedunt & a motu talismodi inordinato, spasmodico, deflectunt aliumque sibi formant,

formant, unde horrendi talifmodi paroxyfmi ceffant. Neque dubium eft, in vertigine, melancholia, mania omnibufque morbis habitualibus & qui a fpirituum perverfo motu fiunt eosdem effectus habere commeatum in alienum aërem. *Hoffm. peregr. fanit. c.* 4. §. 4. Sed præterea etiam locus animadvertendus venit propter victum ibi ufitatum, qui morbo vel excitando vel fovendo favet. Nam e. g. inter alias caufas, propter quas epilepfia Florentiæ magis eft familiaris, quam in alia Italiæ parte, refertur victus ratio vaporofa & ftatulenta. Eft & hic morbus frequens in Provincia Galliæ, ut in Alvernia, ex prava victus ratione, & vinorum mixtorum ufu: nam cum vina illa fint valde fumofa, cruda, aliis permixta, caput vaporibus tentant & implent. Et ideo pravo utentes victu difficulter fanantur. Unde Hippocrates in *lib. de facr. morb. n.* 3. ait: *Mea quidem opinione, ex iis qui Africae mediterranea incolunt, nullus ab hoc morbo fanus evadet, quod in pellibus caprinis recumbant, & caprinis carnibus utantur, &c.* Vid. *Foreft. l. c.* Peregrinatio ex locis præfertim paludofis, frigido-humidis, craffo & denfo aëre ftipatis, ad loca altiora, ficca, falubriora plurimum fuadenda eft. Vitandus quoque eft decubitus in terra humidiori, diuturnior in aëre vitiofo, vefperi, & circa noctem obambulatio, item die fole fervidiori exiftente. Victus fit facilis, potui inferviant vel aqua frigida, vel medicata, vel infufa calida; animi confervetur hilaritas; Venus fit parciffima, motus corporis exerceatur; fomnus plenior capiatur; alvus fervetur lubrica, ac ne cumuletur moles fanguinis, congruis venæ fectionibus, aut fcarificationibus profpiciatur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 76.

APHOR.

APHOR. 46.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Duobus doloribus non in eodem loco obortis, vehementior alterum obscurabit.

Hic non solum dolores, sed quæcunque morborum intelliguntur symptomata. Docemur ita, dolorem dolore, morbum morbo levari interdum. An obnubilatur in mente perceptio doloris levioris a vehementiore, quemadmodum lumen minus obscuratur a majore? Exemplum est apud Hippocratem *lib. de humor. n.* 11. *Qui articulari morbo detentus, intestini dolore dextra parte vexabatur, quietior erat, hoc autem curato, magis dolebat.* An, dum major morbus, vel dolor, nos afficit, prior, levior, evanescit, causa ejus translata in alium locum? *Loci alterius noxios humores loca quædam excipiunt, aut ob dolorem aut gravitatem, aut aliud quippiam, aut quod cum aliis communitatem habeant, liberant. lib.* 6. *Epidem. sect.* 3. *n.* 68. *Sursum inclinatio, deorsum inclinatio, quæ sua sponte sursum aut deorsum tendunt, quæ juvant aut nocent. de humor. n.* 1. Plurimos, ex tortura, ab arthriticis doloribus & podagra liberatos fuisse, constat. *Hebenstr. Anthrop. for. p.* 604. Propter inæqualem impetum, & resistentiam inter fibras, sæpe suc-

succedit, ut existente alicubi dolore, non ibidem, sed in parte longe remota excitentur tumores, inflammationes, abscessus, &c. id est, vel in parte, in qua terminus est fibræ dolore crispatæ, & oscillantis, vel in alia, quæ, ob peculiarem tonum, resistentiam habet superiorem atque validiorem impetum fibræ oscillantis. *Bagliv. p.* 337. Duo dolores eadem in parte latius sumpta contingere possunt a causa interna vel externa, exemplo furunculorum, doloris dentium, vulnerum. Dolores etiam distinctis partibus vel complicati vel distincti oboriri solent, ut in arthritide, dolore capitis & pedum, dolore capitis & pleuritide. Urgentiori dolori præ altero minus urgente succurrendum. *Wedel.* Aphorismus hoc boni suggerit, quod liberet nos a perverso judicio de doloris ablatione, dum propter dolorem vehementiorem in quavis alia parte videatur evanescere. Quare semper in doloris mitigatione attendendum, num mitigetur obscuratione, vel diminutione causæ. *Gorter.*

APHOR. 47.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου, οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ ξυμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένου.

Dolores, & febres contingunt magis circa puris generationem, quam eo facto.

Cum pus fit, febris abesse non potest, quia opifex febris est futuri puris, quæ excitat motum in parte inflammata, per quem rupta va-

vaſcula effundunt liquores, qui leviter putrefacti, ſolida atterunt, ſolvunt, fluidis miſcent in humorem qui vocatur pus. Mirum igitur, quod a ruptis vaſculis dolor ſentiatur? Ubi pus jam factum, congruum erit, ut ceſſet & dolor & febris, quæ nempe ejus cauſa erant. *Inflammatione tunc ulcera tentantur, cum ad ſuppurationem tendunt. Suppurant autem alterato & calefacto ſanguine, ita ut putrefactus in hujusmodi ulceribus in pus convertatur. Hippocr. lib. de ulcer. n.* 2. *At vero ubi craſſiora & magis cocta fuerint, omnemque acrimoniam depoſuerint, tum jam & febres, & quae moleſtia afficiebant, deſinunt. de vet. Med. n.* 33. Diſcere licet ex præſente aphoriſmo, qui cognoſcere & diſtinguere poſſimus in latentibus partibus fientes abſceſſus a jam factis, ſeu ſuppurans a ſuppurato.

Aphor. 48.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον.

In omni corporis motu quando dolere cœperit, interquieſcere ſtatim, laſſitudinem tollit.

Deſumtus ſine dubio hic aphoriſmus eſt ex *lib. de nat. hom. n.* 17. ubi hæc leguntur: *Morbos, qui ex immoderato labore fiunt, quies ſanat*; quæ brevius *lib. de flat. n.* 2. h. m. *Laborem otium ſanat.* Celſus *l.* 1. *c.* 3. *p.* 26. ita expreſſit: *Fatigato quotidianum cubile tutiſſimum eſt: inſolitum contra, laſſat.*

Con-

Contraria contrariorum remedia, juxta 2 *aph.* 22. A labore diutius & crebrius iteratæ fibrarum contractiones, languoris cum dolore inferunt ceu lassitudinis sensum. Remedio ergo erit, otium illis concedere, ut ad se redeant & sui elateris consuetam mensuram recipiant. Et quo major ac diuturnior præcessit motus, eo longior etiam quies eum excipiat necesse est; atque adeo labori cum quiete justa semper intercedere debet proportio. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 600. Quoniam continuato per motum attritu fibrarum inducitur levis inflammatio, quæ conjunctum dolorem habet; inde pars illa præ cæteris agitata quoque dolet, ut omnes experiuntur, qui sua corpora diutius & validius exercent. *Gorter.* At de lassitudinibus, quæ circa corpora contingunt, ad hunc se res habet modum. Qui quidem non exercentur, ab omni labore lassitudinem contrahunt: nulla enim corporis pars ad ullum aliquem laborem suscipiendum est accommodata. Quæ vero exercentur corpora, a minime consuetis laboribus lassantur. Quædam etiam a consuetis exercitationibus in lassitudinem incidunt, si his supra modum utantur. *Hippocr. de diæta l.* 2. *n.* 44. Levat lassitudinem etiam laboris mutatio: eumque, quem novum genus cujusdam laboris pressit, id, quod in consuetudine est reficit. *Cels. l. c.*

APHOR. 49.

Οἱ εἰθισμένοι τῆς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων, ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι.

Qui solitos labores ferre consueverunt, etiamsi invalidi sunt, aut senes, eos facilius ferunt, quam qui non assueti, quamvis robusti, & juvenes.

Hunc aphorismum *Celsus l.* 1. *c.* 3. *p.* 25. ita profert: *Omnem laborem facilius vel puer vel senex, quam insuetus homo sustinet.*

In omni exercitatione agunt musculi; actio autem præcipua musculi quia est motus & tensio, id est fibræ carneæ ut agant, contrahi debent, tendi, indurari, magisque validæ evadere; consequens est, quod crescat a labore robur corporis, vel & partis, quæ inprimis exercita fuerit. Si jam cogitas robur conciliatum partibus corporis certo alicui labori assuetis, jungisque agilitatem membris istis frequenti exercitio comparatam; non miraberis, facilius ferri a quibusque solitos labores, quam insuetos, ad quos membra nondum formata fatigationem & molestiam sentire solent: cum contrà omnia consueta minus molestiæ faciant, quare etiam debilibus facilius feruntur, quàm robustis aliàs, qui iis non adsueti.

Consuetudinis efficacia porro declaratur in aphorismo seq.

APHOR. 50.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χέιρω, τῶν ἀσυνήθων, ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν.

Quæ ex longo tempore aſſueta ſunt, quamvis deteriora, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent. Quare ad inſolita etiam facienda mutatio.

Ad conſervationem ſanitatis pertinent hæc præcepta in uſu ſex rerum non naturalium: quorum prius docet ab inſuetis magis lædi corpus, quamvis fuerint generatim conſiderata meliora aſſuetis. Quo ipſo monemur conſuetudini aliquid dandum eſſe, cum quæſtio eſt de rebus bene vel male ſanis judicandis pro aliquo individuo. In valetudinis autem ratione, præcipiente Hippocrate *lib.* 6. *Epid. ſect.* 8. *n.* 74. Conſuetudo ſpectanda eſt in victu, tegumentis, laboribus, ſomnis, rebus venereis & animi affectibus. Conſuetudo, quam non male alteram naturam, vel ἰδιοσυγκρασίαν, appellant, fert vix credenda; ſive ſpectaveris effectus aëris, cibi, potus, motus, medicamenti, veneni, ſive conſideraveris reliqua. *Boerh. I. M.* §. 1026. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 646 *ſqv.* Conſuetudinis magna vis eſt. pernoctant venatores in nive: in montibus uri ſe patiuntur. inde pugiles cæſtibus contuſi, ne ingemiſcunt quidem. *Cic. Tuſc. Qu. l.* 2. *c.* 17. Fæminas a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis fictas media hieme non magis,

gis, quam pudor, tangit detecto incedentes sinu algor, qui virorum robustorum inadsuetorum nudata pectora insigniter læderet.

Sæpius innocuum fit consuetudine crimen.

Hebenstr. de Hom. p. 231.

Quia consuetudo nihil aliud est, quam partium status aut habitudo intensi elateris gradu consistens, unde sua organo crescit potentia; inde fit, ut *minus molesta* sint *deteriora*, quibuscum intercedit familiaritas, vel *consuetudo*; stabilitâ enim inter deteriora & corporis potentias æquipollentiâ, ferendis, vincendisve illis quæ deteriora erant, suppares fiunt corporis potentiæ. V. g. si quis cibis durioribus concoctuque difficilioribus longis annis fuerit usus & jam se statim victui tenuiori & diætæ strictiori vellet accommodare, sanitati suæ bene præesse non videtur, quod Westphali & illis finitimi suo exemplo comprobant, dum victu tenuiori utentes scabiei aliarumque impuritatum fiunt mancipia. *Waldschmid P.* 2. *p.* 178. Interim, quum paucissimi homines sint ita sui juris, ut non interdum a consuetis recedere eos oporteat, ne itaque ab insolitis lædantur, consilium suppeditatur saluberrimum, quod est hic alterum præceptum; ut *ad insolita fiat transitus*, sive, ut varium vitæ genus agatur. *Hecquet.* Pertinent eo, quæ habet *Celsus l.* 1. *c.* 1. Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet: — hunc oportet varium habere vitæ genus: &c. Consuetudinis inducendæ & mutandæ vis maxime in juvenibus habet locum, minus in senibus. *Wedel.* Quî mutationes, ne lædant, suscipiendæ sint, subito, an paulatim, sequens aperit aphorismus.

APHOR. 51.

Τὸ κατὰ πολὺ, καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν· καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, καὶ ἄλλως, ἢν καὶ τὶς ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

Confertim, & repente vacuare, vel implere, vel calefacere, vel refrigerare, vel utcunque aliter corpus movere, periculoſum: omne ſiquidem nimium naturæ inimicum. Verum quod paulatim fit, ſecurum eſt, tum alias, tum ſi quis ab uno ad alterum tranſierit.

Omnem ſubitam mutationem eſſe periculoſam; & omne nimium eſſe naturæ inimicum; ſi quæ autem mutatio ſuſcipienda venit, eam paulatim factam tutam eſſe: hæc tria ſunt quæ inculcat hic aphoriſmus. Si totum corpus præter ſolitum multum quieverit; non confeſtim robuſtius evadit. Si vero ſane ex diutino otio repente ſe ad labores contulerit, manifeſtum quoddam vitium efficiet. Eodem etiam modo de ſingulis corporis partibus exiſtimandum. *Hippocr. de vict. acut. n.* 23. Si quis ſubito victus rationem immutet, ne quid in corpore ex immutatione innovetur, periculum

culum eſt. *lib. de nat. homin. n.* 19. Hæc igitur omnia inter ſe ſemper atteſtantur, quod omnis ſubita ſupra modum in hæc vel illa magna mutatio lædit. *de vict. acut. n.* 23. Neque intempeſtivas, neque vehementiſſimas vaſorum inanitiones moliri fas eſt. *ibid. n.* 17. Mutationes potiſſimum morbos pariunt, eæque præcipue maximæ. *lib. de humor. n.* 8. Contraria paulatim inducere oportet, & interquieſcere. *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 2. *n.* 47. Tò *interquieſcere* hic dupliciter intelligi poteſt. Primum, ut non ſolum ſenſim contrarium admoveamus, verum etiam inter tranſmutationem ipſam totam interquieſcamus, veluti cum ab otio transferimus aliquem ad exercitium, primum ſenſim ut ſe exercitet, præcipimus, ſemper ultra progredientes, interquieſcentes tamen interea unum atque alterum diem. Secundo, ut interquieſcere ſit contrarium verbo adhibere, in hunc ſenſum. Quemadmodum ſenſim inconſueta adhibere oportet, ita etiam a conſuetis ſenſim ceſſare convenit, adeoque nihil ſubito immutandum. *Fuchs in Hippocr. l.* 6. *Epidem. p.* 36. Omnia quæ fiunt in corpore humano, ut univerſim, patrantur per motum; hic autem ſolidorum ope exercetur. Omnis ergo mutatio inducta corpori noſtro, aget in ſolida, immutando eorum energiam, quæ ſi mutatio derepente fiat & magna, pro ſolito vel nimis intendendo illorum elaterem ſeu oſcillationes, vel nimium deprimendo aut laxando, turbabitur inde totum corpus, & ſublato vel alterato nimium æquilibrio ſolida inter & fluida, ſecretiones humorum non procedent ſecundum naturam; ſed creabuntur humorum ſtaſes vel a nimis forti ſolidorum motu in aliena loca im-

pactorum, vel a labefactata virtute oscillatoria in vasculis suis remorantium. *Hecquet.* Itaque neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. Neque vero ex multa fame nimia satietas: neque ex nimia satietate fames idonea est. Ergo, cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere. *Celf. l.* 1. *c.* 3. *p.* 24 *sq.* Consummatio omnium nocet. *ibid. p.* 34. Quem fugit, milites diuturnis vigiliis, inedia & laboribus defatigatos, quando hiberna ingressi cibos nimis avide ingurgitant, gravioribus iisque maxime acutis morbis succumbere? *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 271. Cum in ingenti sitis ardore corpus plurimum æstuet, gravissimorum malorum, & mortis causa est illud repente, & affatim frigidissimo potu refrigerare, quia interna viscera æstuantia frigidissimo potu exsolvuntur, non aliter, ac silices candentes, aqua conspersi, dissolvuntur, ac dissiliunt. *Heucher p.* 205.

Mutatio subita a consuetis in nova, est ubique, & semper, quam maxime periculosa; licet & malis vulgo habitis in bona putata transiverit. Sed, sensim mutando, sæpe variare vitam quotidianam, egregium est auxilium tuendæ sanitati. *Boerh. I. M.* §. 1027. 1028. Sicuti vero, quæ fiunt in natura, operationes per gradus, non vero per saltus, neque minus paulatim ac successive, non vero cum impetu & violentia quadam perficiuntur: ita eadem quoque via in sanandis morbis, in castigando & expellendo humore noxio, in obstructionibus resolvendis procedit, & temporis beneficio utitur. Quapropter etiam Medicus, si rite suo officio defungi & naturam imitari velit,

lit, nunquam violenter agere maximeque evacuationes moliri debet. Nam certa ac diuturna experientia compertum habetur, non majus periculum ex errore ac temeritate Medici ægrotantibus accedere, ac ab emeticis & purgantibus validioribus, neque minus ab iis remediis, quæ vi ſudorem pellunt, aut urinam & ſalivam movent & corpus fortiter calefaciunt. Neque enim tam ſubita ac ingens mutatio, quæ corporibus a validiſſimis & magna doſi exhibitis remediis infertur, utilis, ſed potius valde noxia eſſe debet, quia omnes vehementes motus ſunt in eorum numero qui naturæ infenſi ſunt, qui præter naturales, morboſi, & corpori vim inferunt. *Hoffm. praeſt. med. leg. p.* 29 *ſq.* Sæpe levioribus remediis, ducendo & cunctando, plus proficitur, quam gravioribus, pellendo & feſtinando. *Wedel.*



APHOR. 52.

Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit, non eſt ad aliud progrediendum, manente eo, quod ab initio viſum eſt.

Hic aphoriſmus adverſus illos eſt, quibus in more eſt mutare medendi rationem, ubi viderint, non ſtatim ſuccedere effectum, quem expectabant a dato medicamento, etiamſi ipſi perſuaſi ſint eandem adhuc perſtare indicationem, ob quam antea datum medicamentum congruum judicatum eſt. Neque tamen prohibetur Medicus, qui ſapienter æſtimavit indicationum rationem, quo minus proceſſus, doſes, tempora, exhibendi modos variet. Methodus medendi eſt regia via omnis curationis morborum. Via regia obtenta ac inita non temere unquam derelinquenda. Jndicationes ſunt medius terminus demonſtrationis in quovis morbo decenter curando. Potiſſimum curandi feliciter momentum in initio ſitum eſt. Immutari poſſunt magis medicamenta, minus methodus. Sin contra fiat, incerta redditur curatio. *Wedel. Semper modus, qui ſanitatem non inducit, permutandus eſt. Hippocr. de loc. in hom. n.* 20. Exemplo eſt cortex Peruvianus,

vianus, cui interdum poſtquam obſurduit febris, toto tempore quo liquidi forma propinatus eſt, victas illico dat eidem manus, ubi ſolida forma porrigitur. Scilicet, ſi quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit negotium, non methodus tunc mutanda eſt, etſi vel maxime medicamenta mutare placuerit. Identidem tamen deliberandum, annon aliquid prætervifum aut temere ſtatutum fuerit. Aliquando etiam curationibus interquieſcendi moras interponere conſultum eſt, ut monet Hippocrates 6 *Epidem. ſect. 2. n.* 46. *Nil temere aſſentiendum, neque quicquam negligendum. Contraria paulatim inducere oportet & interquieſcere.* Vid. *Schulz. H. M. p.*260. *Ejuſd. Comp. H. M.* §. 305. Oportet & experiri aliud atque aliud. Sic tamen, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodeſt: in longis, quos tempus, ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit: minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat; quia profectus tempore expletur. *Celſ. l.* 3. *c* 1. *p.* 112. Sed eſt circumſpecti quoque hominis, & novare interdum, & augere morbum, & febres accendere; quia curationem, ubi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt. *ibid. c.* 9. *p.* 138. Metuenda diuturna medicaminis ſumptio, cum neque ſoliti cibi juges, atque iidem utiles, recte probentur. *Aurelian. l.* 5. *morb. chron. c.* 2. *p.* 563. Nam continuatio diuturna ejusdem medicamenti ſatietatem parere ſolet, ut operatio ejus obtundatur, conſuetudine deperdens vim auxiliatricem. Quare mutari debet idem vel ad tempus intermitti. Eadem autem intermiſſio cum mutatione eſt, cum intermiſſa poſtmodum eva-

 dant

dant nova. Vid. *Baco H. N. n.* 67. Debent Medici, poſt morbum bene perſpectum & cognitum, ſeriem curandi ordinatam meditari, neque ab ea abſque gravi cauſa diſcedere. Atque ſciant pro certo Medici, poſſe (exempli gratia) tria fortaſſe aut quatuor medicamenta ad morbum aliquem gravem curandum recte præſcribi, quæ, debito ordine & debito intervallo ſumpta, curationem præſtent: quorum ſingula, ſi per ſe ſumerentur, aut ſi ordo interverteretur, aut intervallum non ſervaretur, fuerint prorſus nocitura. *Baco de augm. ſc. l.* 4. *c.* 2. *p.* 263.

APHOR. 53.


Ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων. ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσουσι, ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

Quicunque alvos habent humidas, ii quidem, ſi juvenes ſunt, melius degunt, quam qui ſiccas habent. At in ſenectute peius degunt, cum ipſis ſeneſcentibus fere reſiccentur.

Apud Celſum *l.* 1. *c.* 3. *p.* 33. hic cum præcedente aphoriſmo 20. hujus Sectionis connectitur ita: *Melior eſt autem in juvene fuſior, in ſene adſtrictior* (alvus).

Si-

Signum eſt eutoniæ partium & firmi ſecretoriorum elateris, in juventute alvi facilitas aut ſolutio; quia per excretiones alvinas facile procedentes præſentibus morbis auxilium fertur, & futuris providetur. Alvos autem qui habent injuventute ſiccas, retinent quod morbos fovere, vel ſuſcitare poteſt. Contra ad ſenectutem progreſſis beneficia illa non præſtat humida alvus, quia ſiccari alvos ſenibus proprium eſt & naturale: quare iis alvus fuſa *atoniæ* alicujus ſeu debilitati toni argumentum eſt ac teſtimonium. *Hecquet.* De adoleſcentibus ac juvenibus conſtat, quod familiares ipſis ſint morbi acuti, & calculorum generationes; ex 3 *aph.* 26 & 29. Aſt vero acuti morbi, ubi alvi liquidæ fuerint, invaleſcere non poſſunt, juxta *Hippocr. de aër. loc.* & *aq. n.* 4. & quibus alvus fluida, ii quidem facile urinam emittunt, neque quicquam in veſica colligitur. *ibid. n.* 22. Conf. ſuperius dicta ad 2 *aph.* 20.



APHOR.


APHOR. 54.

Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον καὶ οὐκ ἀειδές· ἐγγηράσαι δὲ, δύσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Longa corporis ſtatura in juventute quidem degenda liberalis, nec indecora; in ſenectute vero inutilis, & brevitate deterior.

Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 43. ſic habet: *Longa ſtatura, ut in juventa decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur.*

Procerum corpus per ſenectutem incurvatum, majorem gibbum contrahit quam brevia corpora ſolent. Adeo *in ætatis vigore omnia gratiora ſunt, in deſinente vero aetate, contra;* juxta *Hippocr. Praecept. n.* 11.



HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO TERTIA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM

SECTIO TERTIA.

Aphor. I.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα· καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

Tempeſtatum anni mutationes potiſſimum morbos pariunt: & in ipſis anni tempeſtatibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, aliaque pro ratione eodem modo.

Hæc ſententia *lib. de humor. n.* 8. deſcribitur hunc in modum: *Mutationes potiſſimum morbos pariunt, eæque præcipue maximæ. Et in anni temporibus magnæ mutationes, itemque in aliis.* Quæ quidem lectio etiamſi brevior ſit, non tamen obſcurius, & imperfectius Auctoris mentem exprimit. *Martian. p.* 443.

Quales hic indigitentur temporum mutationes, in propatulo eſt: in partibus videlicet anni ſibi ſuccedentibus: ita ut a frigore & æſtu ſeu calore producantur morbi. Inde etiam eſt morborum diſtinctio in Medicorum recepta ſcholis, in vernales, æſtivos, autumnales & hiemales; cum quodlibet anni tempus, ob præ-

prædominantem in eo aëris intemperiem; ſuos ſibi vindicet proprios morbos, h. e. illo tempore frequenter vel utplurimum propullulare ſolitos. de quibus agunt ſequentes aphoriſmi 20. 21. 22. 23. Varios autem diverſa anni tempora pariunt morbos ob conſtitutionem aëris variantem, quia corpora noſtra afficit plus minus labefactando fluidorum cum ſolidis æquilibrium, in quo conſiſtit idea morbi. Hinc Hippocrates *lib. de flat. n. 6. Aër*, inquit, *mortalibus tum vitæ, tum morborum ægrotis cauſa eſt.* Cui effato conſentaneum eſt monitum, *lib.* 4. *Epidem. n.* 27. *Aëris conditiones quænam ſint, & quibus temporibus ac regionibus magis aut minus contingant, conſiderandæ ſunt. Regiones autem ad anni tempora male affectæ, cujus temporis ſimilitudinem habent, ejuſmodi morbos pariunt. lib. de humor. n.* 6. *In anno autem, modo hiems maxime viget, modo ver, nunc etiam æſtas, nunc autumnus. Sic quoque in homine, modo quidem pituita invaleſcit, modo ſangius, interdum etiam bilis, primum quidem flava, mox quoque atra appellata. lib. de nat. hum. n.* 16. Mutationes in atmoſphæra ſenſu perceptibiles *Tempeſtatum* nomine veniunt. Sunt vel *ſtatæ*, ſi ſtato tempore redeunt, vel *vagæ,* ſi non conſtantem periodum cuſtodiunt. Tempeſtates ſtatæ dividuntur in ver, æſtatem, autumnum atque hiemem, & ingreſſu ſolis in quatuor puncta cardinalia Eclipticæ, principium arietis, cancri, libræ atque capricorni, definiuntur in noſtris zonis. Veris initio ſol in æquatore conſtituitur & inde uſque ad principium æſtatis continuo aſcendens vertici in Meridiano proprior fit, diei longitudine creſcente, noctis autem longitudine decreſcente. Calor adeo in tellure augetur, ſolis viribus

cale-

calefaciendi continuo crescentibus, & per spatium longius applicatis, nec diu feriantibus. Contra ab æstatis initio usque ad principium autumni calor decrescit; imo a principio autumni usque ad principium hiemis frigus crescit; nec non ab hiemis initio usque ad veris principium frigus decrescit. Maximum autem frigus circa finem Januarii & initium Februarii ordinarie demum ingruit, quia ante medium Decembris, observante Mariotte, terra non prorsus privatur calore per æstatem concepto; soli e contrario mense Januario non majores sunt in calefaciendo vires, quam Decembri. Et simili de causa æstus maximus circa finem Julii demum ingruit, ipsis diebus canicularibus, quia sol ante medium Junii, observante Mariotte, thermometro in cellis diversæ profunditatis collocato, superiorem terræ crustam calore vix perreptat. Solis autem mense Julio eædem sunt in calefaciendo vires. Enimvero quod omni vere, omni æstate, omni autumno, omni hieme, non eadem sit in omni loco tempestas, id quidem inde est, quod solis actio diversimode vel impediatur, vel adjuvetur. Ventorum etiam agitatione refrigeratur aër. Interdum quoque actio solis juvatur a vento aërem calidiorem ex aliis locis ad nos deferente; maxime autem ejus absentiâ soli in calefaciendo amicâ, cum æstus intolerabilis percipiatur tempore æstivo, aëre prorsus tranquillo. Vid. *L. P. Thummigii Institutiones Philosophiæ Wolfianæ. Francof. & Lips.* 1725. 8°. *Tom.* 1. *p.* 436 *sq.*

Observare hic oportet, quod Hippocrates non dividat quatuor anni tempora, ut Astrolo-

gi, qui ſolam rationem habent ſolſtitiorum & æquinoctiorum; neque ut Grammatici, qui numerant menſes; ſed, ut Medicum decet, rationem habeat mutationum, quæ in aëris temperie contingunt, adjungens menſem Majum æſtati, hiemi vero Novembrem; faciatque ver & autumnum, menſium binorum, æſtatem, & hiemem, quaternorum. Incipit enim Hippocrati *Ver* ab æquinoctio, & durat uſque ad ortum pleiadum ſeu vergiliarum (h. e. ad finem Aprilis, quod intervallum non eſt duorum menſium). Hinc incipit *æſtas*, duas complectens partes, quarum prior, ὥρα dicta, uſque ad ortum canis extenditur; poſterior (ὀπώρα ſeneſcens æſtas) eſt ab hoc ortu uſque ad ortum arcturi: ita ut ſpatium utriuſque partis ſit quatuor menſium, a fine nimirum Aprilis ad Septembris principium. *Autumnus* eſt ab exortu arcturi, & finitur occaſu pleiadum; quo intervallo temporis comprehenduntur menſes September & October. Hinc incipiens *hiems* durat uſque ad æquinoctium vernum, complectitur majus quatuor menſium intervallum, dividiturque in tres partes, quarum prima a principio Novembris ad brumam ſeu ſolſtitium (dicitur hoc intervallum σπορητός ſatio ſeu tempus ferendi); altera ſolſtitium ſeu brumam continet; tertia in æquinoctio verno deſinit. Vid. *Hippocr. l.* 3. *de diæta n.* 2. *Martian. p.* 117. *Valleſ. in Epid. p.* 5. *Moreau in Schol. Sal. p.* 30 *ſq.* Eandem partitionem ſecutus eſt Plinius *l.* 2. *c.* 47. ſcribens, exortu vergiliarum (h. e. pleiadum) incipere æſtatem, & occaſu, hiemem. Conf. *Gontier Hygiaſt. p.* 9 *ſeq.* Mutationes temporum anni aliæ ſolemniores

ſunt & univerſales magis, aliæ particulares. Particulares minus mutant humores, præterquam magis notabiles (magnæ.) *Wedel.*

Magnæ dicuntur *mutationes* in ipſis temporibus contingentes, cum altera alteram ſubito excipit: v. g. poſt magnum frigus intenſus mox eſt calor; & vice verſa: & ſic quoad cætera ad alias qualitates aëris pertinentia. Morbi unquam vix aliunde quam ab aëre oriri poſſunt, cum is aut copioſior, aut parcior, aut etiam plenior, aut & morbidis inquinamentis infectus in corpus ſubierit. *Hippocr. de flat. n.* 6. Præcipue vero maximæ anni temporum mutationes obſervandæ ſunt, ut neque medicamentum purgans lubenter exhibeamus, neque partes circa ventrem uramus, aut ſecemus, ante dies decem. Ac maximi periculi plena ſunt ambo ſolſtitia, præcipueque æſtivum. Periculoſiſſima etiam ambo æquinoctia exiſtimantur, maxime vero autumnale. Siderum quoque ortus obſervandi, præcipueque caniculæ, deinde arcturi, & vergiliarum occaſus: *lib. de aër. loc. & aq. n.* 30.

APHOR. 2.

Τῶν φυσίων, αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα, εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

Naturæ hæ quidem ad æſtatem, aliæ vero ad hyemem bene, vel male habere conſuevere.

Hæc ſententia excerpta eſt ex *lib. de humor. n.* 8.

Non omnibus æque conſtitutionibus ſeu naturis humanis idem conferre anni tempus, ut proſpere degant, inculcat hic obſervatione nitens aphoriſmus. Quædam enim corpora hieme quam æſtate, & vere quam autumno, morboſiora exiſtunt. Vid. *Hippocr. l.* 1. *de diæta n.* 25. Mutationes temporum variant corpora pro diverſitate temperamentorum. Calidiores hyeme, frigidiores æſtate melius habere conſuevere, & contra. Quibuſcunque ſerum eſt exſuperans vel intemperatum, ſalſum, acre, vere & autumno magis male habent. *Wedel.* Aſſueti magnis caloribus, v. g. vitrarii, fabri ferrarii aut ærarii in æſtate a magno calore non ita facile læduntur: ruſtici in ſylvis morari ſoliti tempore hiemali, a frigido aëre non capiunt nocumentum. Adeo nihil eſt ſimpliciter, omnibus hominibus, bonum aut malum! Sed *proba omnia & vitioſa ad aliquid referri debent. lib. de alim. n.* 10.

APHOR. 3.

Τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι· καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Morbi alii ad alias anni tempeſtates bene, vel male habere conſuevere: & ætates quædam ad anni tempeſtates, loca, & victus rationes.

Et

Et hic aphorismus desumtus est ex *lib. de humor. n.* 8.

Quod diversimode se habeant morbi pro varietate temporum, & pro horum constitutione facilius, difficilius, admittant remedia: primum est, quod docet aphorismus. V. g. febres pestilentes maxime æstate sæviunt, intermittentes autumno & vere. Alterum est, quod ætates quædam bene aut male se habeant ad tempora, & regiones atque victum. V. g. Juvenes febribus magis obnoxii sunt æstate, in regionibus calidis, & victu utentes pleniore. *Lister.* Senes æstate recreantur, hieme torpent. Conf. infra *aph.* 18. Pessimum ægro est cœlum, quod ægrum fecit. *Celsus l.* 2. *c.* 1. *p.* 43.

APHOR. 4.

Ἐν τῇσιν ὥρῃσιν, ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης, ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γίγνηται, φθινοπωρινὰ τὰ νουσήματα προσδέχεσθαι χρή.

Per anni tempestates, quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Extat hic aphorismus in *lib. de humor. n.* 6.

Autumnales dicuntur morbi hic loci, qui genium habent autumnalium proprie dictorum, qui oriuntur autumni tempore, cui propria est constitutio aëris inconstans. Per autumnum

vero, propter cœli varietatem, periculum maximum eſt, inquit *Celſus l.* 1. *c.* 3. *p.* 33.

Cum modo frigoribus premimur, modo ſolvimur æſtu,
Aëre non certo corpora languor habet.
Ovid. 2. art. am. 317.

Cujus ſint naturæ autumnales morbi, videbimus mox *aph.* 9 & 22.

APHOR. 5.

Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. Ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

Auſtri auditionis hebetudinem, & viſionis caliginem inducunt, & capitis gravitatem, corpus torpidum, & languidum reddunt; cum ſic invaluerint, iſta in morbis patiuntur. Sin Aquilonia tempeſtas fuerit, tuſſes movet, fauces exaſperat, alvos indurat, urinam ſupprimit, horrores excitat, laterum, & pectoris dolores: cum ſic invaluerit, ejuſmodi in morbis exſpectanda ſunt.

Hujus aphorismi proprius est locus *lib. de humor. n.* 8. Qui tamen in aphorismos sententiam transtulit, hæc omisit, quæ ibi leguntur, inter morbos ab austro productos: *ulcera madentia, os præsertim, pudendum, aliasque partes occupant*: non absque utilis doctrinæ jactura; hæc enim non minus rationabilia sunt ante dictis. *Martian. p.* 443. Celsus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 44. ita habet: *Aquilo tussim movet, fauces exasperat, ventrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolorem lateris & pectoris. — Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolorem movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum.*

Ventus est aëris majorem locum affectantis agitatio, a sublato nempe æquilibrio in voluminibus aëris elasticis. Secundum Hippocr. *lib. de flat. n.* 5. *Ventus est aëris fluxio & effusio.* Natura ergo ventorum, ipsorumque in corpus humanum effecta medicæ sunt considerationis æque ut aër. Venti autem agunt in corpus nostrum vel suo motu, vel quatenus simul nobis advehunt qualitates aeris ex alia regione. Vid. *Boerh. I. M.* §. 753. Hinc, qui artem medicam recta investigatione consequi volet, is primum quidem anni tempora in considerationem adhibere debet, quid horum quodque possit. Neque enim quicquam habent simile, sed cum inter se plurimum differunt, tum etiam propter varias, quæ in eis contingunt, mutationes. Deinde vero ventos tum calidos, tum frigidos, præcipue quidem eos, qui omnibus sunt communes, ac deinceps eos, qui cuique regioni sunt familiares. *Hippocr. de aër. loc. & aq. n.* 1. Venti omnes natura quidem refrigerant & humectant. Verum ex regionum & locorum situ, per quæ ad regiones quasque obveniunt,

veniunt, inter se differunt, & frigidiores, calidiores, humidiores, ficciores, morbofiores & falubriores exiftunt. *l. 2. de diæta n. 4.*

Ex multiplicibus ventorum discriminibus præsens aphorismus meminit tantum duorum, qui a plagis cœli dicti sunt borealis & australis; nam *hi sunt valentissimi, & inter se, tum situ, tum viribus maxime adversi*, juxta *lib. de morb. sacr. n.* 15. &, ut annotat Celsus *l. c. caeteri venti, quo huic vel illi propiores sunt, eo magis vicinos his illisve affectus faciunt*: & quidem frigidi si fuerint, atque sicci, quales sunt boreales, morbos creabunt compingendo, spissando aut adstringendo; contra calidi ac humidi, uti sunt austri, agent solvendo, humectando, laxando. *Ab austris cerebrum dissolvi & humescere, venasque magis elaxari necesse est, ab aquilonibus autem, quod in cerebro maxime sanum est, cogi, quod vero maxime morbosum est & humidum, secerni, & foris circum circa alluere, eaque ratione defluxiones in horum ventorum mutationibus contingere. Hippocr. de morb. sacr. l. c.* Ex his ergo in corpore factis alterationibus exsurgunt morbi adscripti australibus, vel borealibus ventis; *in morbis* autem jam præsentibus *patiuntur* ægri a recensitis contrariis qualitatibus, prout constitutio aëris australis, vel borealis *dominatum tenuerit.* Et quod privatim concernit austrum, ille apud Medicos non modo, sed alios etiam Scriptores, male audit, atque *Horatius* eum, utpote insalubrem, corporaque gravia & pigra efficientem, plumbeum vocare haud veretur, *l. 2. sat. 6.* ita canens:

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auster.

A minori enim atmosphæræ pressione, est fibrarum laxitas, & hinc segnior sanguinis per

ſua vaſa fluxus. Vid. *Ramaz. p.* 717. Atque vere ſub auſtrina tempeſtate humida, pluvioſa, nebuloſa, calida, haud paucos de torpore, languore, ſomnolentia, dolore capitis gravativo, imo de febribus petechialibus, variolis, morbillis, aliiſque, conquerentes audimus. Etenim aëre humido calidoque ac juſto leviori non modo nervi fibræque motrices relaxantur & langueſcunt, ſed inſuper ſanguis cæterique humores turgeſcunt, turgeſcentes vaſa expandunt, eaque ultra ſphæram naturalem expanſa vividam elaſticam virtutem perdunt. Unde aliter fieri non poteſt, quam ut vitalis ſanguinis motus, atque ab eo pendens ſe- & excretio animalis, haud parum impediatur, eaque ratione impuræ moleIæ in corpore cumulentur, cumulatæque organa premant & gravent, paulatimque & corrumpantur & ad putredinem diſponantur; id quod præ cæteris plethorici, ſanguinei, copioſis ſuccis impuris ſcatentes, non ſine damno ſuo, juſto frequentius experiuntur. Hæc vero de auſtro, diu multumque dominatum occupante, ſunt intelligenda, tametſi nec hic omnibus ſine delectu officiat. Imo vero hecticos phthiſicoſque ex cœlo pluvioſo calidoque aliquid identidem ſolatii percipere, meliuſque ſe habere, uſu rerum ac hominum edocemur. *Schach. de aër. effic.* §. 32. Auſtri autem illis regionibus, quibus Hippocrates ſcripſit & vixit, utpote mari mediterraneo vicinis, longe magis quam apud nos (Halæ Saxonum), qui continentem ſatis longe a mari ſubductam habitamus, aërem adferunt calidum & humidum: quare, ut mentem Hippocratis recte capiamus, per auſtrum intelligemus temperie tali, quam diximus, præditum aë-

rem, corpori circumfusum. Talis autem humiditate, quam secum adfert, fibras partium solidarum relaxat & poros aperit: calore autum humores expandit, & ad superficiem allicit. Id quum in meatu auditorio etiam fiat & tympani membrana, eam relaxat, & proventum ibi excernendi humoris unguinosi auget. Hinc duplex enascitur eventus, ut relaxata membrana ab allabentibus sonis minus pulsetur & moveatur, quam in debite tensa futurum erat: & ut diutius regnante hac constitutione, tympani membrana se ipsa fiat crassior, adeoque ad sensum motumque ineptior. Notanter enim dicit Hippocrates ὁκόταν ἔτος δυναστεύῃ, *si prævaluerit* & quasi imperium aliquanto tempore tenuerit. Quod Hippocrates de vento austrino dicit, id non male ad aërem arte factum similem transferemus. In Germania pervulgatum est, hibernum frigus corrigere igne fornacibus commodis injecto, quo non parce utuntur illis locis, ubi ligna abunde suppetunt. Sunt autem illa conclavia, quibus familia degit, tantum non semper in ima ædium parte, per se humida; & in sat multis tractibus pro magno rei familiaris compendio habent fornacibus commode insertos & adaptatos magnos lebetes aqua repletos, qui ab igne continuo fervent & conclave vaporibus implent. Quid mirum igitur si talibus locis continuo degentes, austrini aëris effectus plures in suo corpore percipiant? Exinde certe videtur esse clarum, cur teneri infantes, ac puerilis ætas, quæ continuo per hiemem illic delitescit, tantum non perpetuo achoribus, scabie, oculis auribusque manantibus divexetur: quum aliarum familiarum, ubi hic error cavetur, liberi satis salu-

briter

briter degant, hisque incommodis minus sint obnoxii. Tanto autem gravius hæc incommoda feriunt parvulos, si ad hos errores accedat, quæ ætati huic satis familiaris est, adephagia seu incondita voracitas: unde crassi in corpore humores generantur & acervantur, a quibus glandulæ conglobatæ, per quas lympha trajicere debet, obstruuntur. Quod si in collo fiat, per omnia, quæ in externa capitis superficie sunt, excretoria erumpit humiditas alias ad lymphæ vias, si patulæ forent, decursura. Scilicet cuticulam perrumpit & achores & lactumina facit, oculi lachrymantur & humido continuo innatant, aures manant, catarrhales reliquæ molestiæ accedunt & continuo ad latus hærent. Tanto autem certius ad aures oculosve compelluntur humores, si tali statu studiose elaboretur in exanthematibus capitis exsiccandis: quoniam suppullulantes pediculi molestiam creant. Hoc pacto certe multi infantes, qui a nativitate surdi non fuerunt, in miserum hunc statum præcipitantur: magis autem adultis ad gravitatem difficultatemque auditus fundamenta sternuntur, quæ usque ad seram ætatem non possunt erui. Vid. *J. H. Shulze Dissertatio de auditu difficili. Halæ* 1741. 4°.

Austrina, humida tepidaque aëris intemperies, quæ fibras relaxat nimium, vim vasorum enervat, sanguinem debito solutiorem, pituitosum, inertem facit, totumque corpus hebes, humidum, languidum, febribus lentis, putridis, intermittentibus longis, obnoxium, diætam poscit, atque medicinam, quæ solidas corporis partes firmare, quæ fluidorum crasin conservare, quæ valide compingere globulos sanguineos possint; potum nempe subausterum, frigidum,

frigidum, generosum, victum valentiorem, desiccantem, adstringentem, balneum frigidum, ejusque generis alia. Ad hujus autem constitutionis febres parum utique confert sanguinis detractio, quinimo nocet admodum, si sit effusior, oriuntur namque ab imminuta cordis & arteriarum potentia, a laxa nimium sanguinis textura, & lentescente lympha; tendit hinc ad stasin atque putredinem liquidum vitale, unde febres intermittentes, lentæ, putridæ, malignæ, hujus tempestatis semper sunt soboles; in quibus equidem curandis, quæ vires foveant desiderantur, quæ minuant neutiquam. Sæpissime etiam, dum talia permanent tempora, quotidianæ, ac tertianæ, in longas continuas, putridas febres degenerare solent, haud levi cum ægrotantium periculo, quas si tandem effugiant, in icterum, atque hydropem, incidunt plerumque. Nunquam profecto citius, neque felicius, restituuntur ægrotantes, quam sudo effulgente cælo, alteque in baroscopio stante mercurio; lentissime contra convalescunt, dum nubilus perflat ac pluviosus auster. *Huxham de aëre vol. 2. praef. p.* VI. At si aquilonia, frigida & sicca aëris intemperies diu perstat, solida fiunt stricta perquam, & elastica nimis, fluida vero crassa valde & glutinosa, imo ad vascula minutissima permeanda multo minus idonea, namque non tantum humoribus inducit lentorem, ad inflammationes aptum, sed & ita quoque condensat rubros sanguinis globulos, ut difficillime per ultimos arteriarum ramusculos promoveantur; duros nempe plus æquo, & haud facile formam rotundam in oblongam mutantes, ad transitum scilicet faciliorem; cum & jam etiam ipsæ arte-

riolæ

riolæ a frigore coarctentur & distentioni resistant plurimum. Hinc obstructiones, hinc inflammationes, pleuritides, peripneumoniæ, anginæ, rheumatismi, morbi denique, qui a crasso, viscido, ac inflammato sanguine pendent, prævalida vi cordis & arteriarum adacto: quo magis etenim arctantur a frigore vasa, quo magis atmosphæræ comprimuntur pondere, eo velocius, cæteris paribus, moventur contenti humores, unde frictio major, ac proinde calor; quæ tandem sanguinem incrassant & condensant maxime. Certa hæc sunt omnia & constantia, sanguis enim, tali perdurante aëris constitutione, densus est admodum, atque glutinosus plerumque, vel si e sanissimis emittitur, multo magis ubi febris accedit. Verum enim vero nec protinus oritur morbificus hic lentor, nec in omnibus, fit namque gradatim, cum diu nimirum regnaverit aquilonia & sicca tempestas, neque enim interest quales dies sint, sed & quales etiam ante præcesserint. Atqui laxis nimium atque pituitosis hominibus adeo non nocet hæcce constitutio, ut vel sit apprime utilis, firmos hos magis, ac vegetos, efficiendo; una sic natura (secundum 3 *aph.* 2.) ad hyemem, alia ad æstatem, bene aut male se habet. Hinc insuper esse videtur, quod una febris epidemica fortibus est funesta & robustis, parcitque imbecillis, alia vero, sub humido tepidoque cœlo nata, in hos teneros maxime sævit. Ad mala autem siccæ & frigidæ tempestatis præcavenda (imo & tollenda) utendum est multa, diluente, emolliente, tepida potione, victuque molli & relaxante, neque unquam ante progredi quis debet quam tepidum aliquem potum assum-

assumserit, sive pedibus, sive equo, eundum est contra ventos aquilonares; at si inhorrescat aliquis inde, ac febricitet, mittendus est actutum sanguis, potissimum si thoracis, aut laterum, dolor impetat; idque sane mox repeti debet si febris invalescat. Hoc utique perpetuum est, quod sanguis nunquam tutius, aut felicius, in morbis acutis mittitur, quam frigidas inter & siccas aëris constitutiones, altius perstante barometro: nec in pleuriticis solum & peripneumonicis consentaneum hoc est, sed in aliis plurimis, utpote variolis, morbillis, rheumatismo, colica, &c. imo in ipsis febribus intermittentibus, quotidianis puta, ac tertianis, opportuna tunc sæpe est venæ sectio, per initia saltem, ex facili aliter in continuas ardentes, aut inflammatorias, haud raro mutantur. *ibid. p.* IV.

Aphor. 6.

Ὁκόταν θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

Cum æstas veri similis fuerit, in febribus copiosos sudores expectare oportet.

Et hic pariter aphorismus longe fructuosior legitur proprio in loco (*lib. de humor. n.* 7.) hunc in modum: *ubi æstas veri similis extiterit, sudores in febribus, eæque faciles, neque peracutæ erunt,*

erunt, neque linguas vehementer aridas habebunt, & quæ inde ſequuntur aureo ſtilo adnotanda. *Martian. p.* 443. Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 45. ita habet: *Ubi calor a primo vere orſus æſtatem quoque ſimilem exhibet, neceſſe eſt multum ſudorem in febribus ſubſequi.*

Quando æſtivus calor non ardens nimis eſt, non ſiccus, non urens, ſed temperatus, vaporoſus & humens, fibræ cutis laxatæ a tepore humido, tranſmittunt humores, non perſpirabilis Sanctoriani, ſed ſudoris forma. Ergo ſudores ubi ciere in morbis expedit, non fervorem corpori inducere oportet, ſed laxare fibras blando tepore. Natura ſub febribus id ipſum indicat, cum pellit ſudores non quando adhuc ardent omnia, ſed ubi calor remiſit. *Hecquet.* Magnis & ſqualidis æſtibus febres utplurimum ſine ſudoribus: in quibus ſi levior imber guttatim defluxerit aut ſtillaverit, copioſiores ſtatim ſudores in febribus fiunt. *Hippocr.* 2. *Epidem. ſect.* 1. *n.* 10.

APHOR. 7.

Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίγνονται· καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ᾖ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἵην τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπιτοπολὺ καὶ τὰ νοσήματα ταῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

Per ſqualores febres acutæ fiunt; &, ſi quidem annus magna ex parte talis extiterit, qualem temporis conditionem effecerit, tales fere quoque morbos expectare oportet.

Αὐχμὸς

Αὐχμὸς significat extremam siccitatem, & quidem ex vehementi æstu. Sub cœlo sicco partes solidæ exsiccantur, & dissipatis humidissimis, humores residui coagulati seu spissati creant morbos inflammatorios, cujusmodi notati sunt 3 *aph.* 16. Si itaque *magna ex parte anni fuerit constitutio sicca, tales etiam morbos expectare oportet magna ex parte.* En prognosticon de futuris morbis ex tali constitutione. Immoderata atmosphæræ siccitas, vel ab exquisito ac diuturno solis æstu, vel ob defectum pluviarum diutinum, vel a particulis arenosis ex sicco solo in altum egressis exorta, sanitati parum est conducibilis, quia hac aëris intemperie villi partium plus minus exsiccantur, universique humores seri dulcis jacturam faciunt vix unquam reparabilem, & vasa in diametro suo magis constringuntur, hincque humores suos fortius premunt, eorundemque partium attritum mire augent, sicque eos ad acredinem manifestam disponunt. Sic enim fieri & potest, & solet, ut tubuli crispati minus expedite moveantur, humores vero lentescant & concrescant, hocque modo varii morbi, cum acredine, lentoreque ac stasi humorum, cum tubulorum coarctatione excitentur aut exasperentur. Equidem hominibus succi plenis ea atmosphæræ dispositio interdum aliquid utilitatis, superfluas nimirum humiditates dissipando, parit, aut saltem nihil vel parum damni iisdem adfert; at illi tamen, qui siccioris sunt temperamenti, humorumque lentore & acritudine laborant, plerumque permulta inde incommoda sentiunt. Etenim, vel experientia ipsa teste, non pauci in atmosphæra nimium sicca degentes, modo ophthalmia sicca, modo raucitate,

citate, tussique pariter, & aliis catarrhis siccis, jam siti inexplebili, jam alvi stipticitate, jam febribus inflammatoriis, morbisque ejusdem generis pluribus adficiuntur, aut illis jamjam correpti, in pejorem longe statum conjiciuntur. Inprimis vero aër, siccis sabulosis moleculis inquinatus, oculis pectorique infestus est quam plurimum. Hinc interdum ophthalmiæ eam ob causam epidemicæ grassantur: atque jam pridem Historiographi annotarunt, quod pulvere obortis ventis elevato mortales obruantur ac suffocentur. *Schach. de aër. effic.* §. 21.

APHOR. 8.

Ἐν τοῖσι καθεστεῶσι καιροῖσιν, ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίγνονται. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι, καὶ δύσκριτοι.

Temporibus bene, & ordine constitutis, & tempestivam tempestivitatem servantibus, morbi, qui facile consistunt, & judicantur, fiunt. In male vero constitutis, qui neque facile consistunt, neque faciles judicatu sunt.

Hæc sententia ad verbum legitur *lib.* 1. *Epidem. sect.* 1. *n.* 20. 21. ejusdemque breviarium *lib. de humor. n.* 7. adnotatur. Celsus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 42 *sq.* ita exponit: *Ex tempestatibus optimæ æquales sunt, sive frigidæ, sive calidæ: pessimæ,*

pessimæ, quæ maxime variant. . . Neque solum in bono tempestatum habitu certior valetudo est, sed pejores morbi quoque, si qui inciderunt, leviores sunt, & promtius finiuntur.

Si videlicet *tempestiva tempestive reddantur*, h. e. cuilibet anni tempori regionique conveniens, moderate, constansque cœli temperies regnaverit: nam *in id, quod natura pejus est*, (regioni ac anni tempori ita non conveniens, vel excessu qualitatum peccans) *in hoc statu salubris mutatio est*, ut ait Celsus *l. c.* Conf. 2 *aph.* 34. Porro autem sub inconstantia aëris, modo frigidi, mox calidi, oriuntur morbi, qui difficulter judicantur seu solvuntur. Favet vero constans uno tenore procedens temperies aëris moderata, suoque tempori atque regioni congruens naturalis quasi temperatura, quod sub ea cœpti naturæ conatus, ad morbum solvendum pertinentes, non turbentur aut prævertantur, per inductas corpori humano contrarias qualitates, unde motus vel nimii aut impetuosi fiant, vel debite vigentes labefactentur. Contra ubi inconstans est annus, & unius temporis anni natura transit ac degenerat in alteram, natura redditur infirma, inæquabilis est sanguinis motus, transpiratio, morbi fiunt instabiles, non servant suas periodos, nec edunt signa tempestivæ coctionis, mali sunt judicii, facile recidivant, & graviora sociantur symptomata. *Hoffm. de morb. incongr.* §. 15. Ex tempore anni, quo venit morbus, *morbus* dicitur *constans* & *inconstans*: & qui morbi autumno, vere, vel alio anni tempore venire solebant, si in alio tempore incidunt, dicuntur *inconstantes*; sed suis temporibus venientes, respectu temporis dicuntur *constantes*: unde ha-

habentur morbi autumnales, vernales &c. Sed & etiam morbi ſemel nati, ſi ſequuntur regularem mutationem, etiam dicuntur *conſtantes*; qui vero anomalam mutationem faciunt, jam in melius jam in deterius tendunt, variaque ſymptomata inferunt, dicuntur *inconſtantes*. *Gorter*.

APHOR. 9.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν. ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

Per autumnum omnino morbi acutiſſimi, & maxime exitiales. Ver autem ſaluberrimum, & minime letale.

Aphoriſmus hic deſumtus eſt ex 2 *Epidem. ſect.* 1. *n.* 15 & 23. ac legitur apud Celſum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 42.

Auctorem hic non docere voluiſſe, quod omnes morbi in autumno contingentes ſint acutiſſimi, ex 2 *aph.* 25. conſtare poteſt, ubi Quartanæ autumnales longæ declaratæ ſunt, & maxime quæ ad hiemem pertingunt. Sed ſermo eſt de eo, quod fit *utplurimum*, τὸ ἐπίπαν; & quidem, ut puto, de morbis qui facti ex æſtivis, ut videbimus 3 *aph.* 22. Imo vero, relaxata per æſtatem corpora quum frigore autumnali, quod plerumque humidum eſt, conſtringantur, alimenta etiam deteriora tunc obtingant, conſequens eſt, ut retinean-

tur excernenda, accumulentur ergo cruditates; materia parata morbis acutis. Quare gravius id tempus accidit omnibus aliquo morbo laborantibus. Hinc *letifer autumnus* dicitur apud *Juven*. 4. *Sat*. 56.

Autumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.
Horat. 2. Sat. 6. vs. 19.

Plerumque in febribus autumnalibus, qualescunque sint, humores longe magis ad putrescentiam tendunt, quam tempore verno, ob prægressum æstatis calorem, nec adeo largum admittunt sanguinis dispendium: & si per autumnum infestant alvi fluxus, multo magis acres sunt, ac biliosi, quam tempore verno; æstatis siquidem ardor perspirationem auget maxime, corporis humidissima difflat, sales oleaque animalia exasperat, unde nascitur sensim magna sanguinis acrimonia, quæ ad autumnum usque increscit, nisi diluentibus idoneis, atque demulcentibus, temperatur quotidie. *Huxham de aëre vol.* 2. *praef. p.* XII. Constipata, per frigidum humidumque autumnum, cute, ad interiora ruunt acres humores, unde choleræ oriuntur, dysenteriæ, alvi fluxus. Cave igitur, ne præpostere sistas eorum exitum per vias cuti vicarias; maximus nempe consensus cutim inter & intestina datur certissime. Monstrat aliquatenus ideo viam, qua in morbis autumnalibus curandis incedendum est: vernæ quippe febres plus sanguinis missionem poscunt, autumnales vero magis leni catharsi levantur. Vid. *ibid. vol.* 2. *p.* 176 *seq.*

De Vere secus se res habet si cum Autumno conferatur. Equidem tam ver quam autumnus medium

medium ſunt inter frigidam & calidam anni tempeſtatem: aſt hæc intercedit differentia, quod verno tempore fit tranſitus a frigido ad calidum; contra vero autumnali tempore contingit. Sub verno aëre, temperate calido, humidoque, laxa & mollis partium ſervatur textura, quæ minus ſtringi, humoreſque minus premi vel denſari periclitantur; unde ſarta tectaque eſt libertas circulantibus humoribus, in tutelam vitæ, ſecretiones & excretiones cum ſanitatis integritate procedunt. *Hecquet.* Quare manifeſtum eſt fieri debere, ut ſi quid offenſionis valetudini per hiemem acciderit, idque vere moveri inceperit, ab ipſo tempore, in melius quotidie evehendo, emendetur & ſuperetur; præſertim quum anni ipſum tempus ſalubriora corpori alimenta ſuppeditaturum ſit. *Schulz. de morb. vern.* §. 4. Ita *Ver eſt ſaluberrimum & minime letale*; quod eſt alterum aphoriſmi membrum; & intelligi debet de Vere adulto ſeu medio, novum enim ſive primum ver modicum hiemis ſapit, præceps vero ſeu cadens & ultimum, æſtatis nonnihil obtinet. Ut autem ſit ſaluberrimum, temperatum eſſe debet, non nebuloſum, non pluvioſum, ſed in omni exceſſu plane medium. *Moreau in Schol. Sal. p.* 31. Aſt vero ſi vernum tempus a temperie illa, quæ optimo veri propria eſt, deſciſcit, iſtud ſalubritatis beneficium non poteſt præſtare, ſed variis morbis excitandis fovendiſque idoneum evadit, ut habetur 3 *aph.* 20.

Aphor. 10.

Τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

Autumnus tabidis malus.

Præfens aphorifmus defumtus eft ex *lib.* 6. *Epidem. fect.* 7. *n.* 77. 78. ubi hæc habentur: *Autumnus tabidis malus. Ver quoque etiam malum, cum ficus folia cornicis pedibus fimilia fuerint.*

Tabidi omnes, qui marcefcunt, confumuntur, & hic intelliguntur qui tales ab ulcerato pulmone. *Juvenes vero, qui in pectore pus colligunt ex humorum decubitu, aut fiftula, aut alio quopiam id genus, aut ex abfceffus reverfione, ii, nifi multa admodum bona figna affecuti fint, minime evadunt. Moriuntur vero ejufmodi homines fub autumnum, valdeque & ex aliis morbis longis plerique fub hoc tempus pereunt. Hippocr. l.* 2. *Prædict. n.* 13. Celfus, qui plerumque Hippocratis dogmata fectatur, *l.* 2. *c.* 8. *p.* 72. de pulmonum loquens morbis, *In tabe*, inquit, *in fputis odor fœdus eft; maximeque, ubi poft hæc orta dejectio eft, protinus moritur: utique, fi tempus autumni eft; quo fere, qui cætera parte anni traxerunt, refolvuntur.* Ratio? Autumnus corpus humanum excipit ab æftu præcedentis temporis fractum & enervatum, partes frigore ftringit ac denfat, quo fit, ut fecretoriis ofcillis compreffis perfpirationifque materia repreffa a cute introrfum feratur, & ab accumulatis humoribus ftafes

augeantur.

augeantur. *Hecquet.* Rigidi & ſeptentrionales venti ac tempeſtates pluvioſæ, nebuloſæ ac frigidæ, tonum vaſorum pulmonalium relaxando, ſordes in iis accumulando, tabidis ac phthiſicis ſunt infenſæ. Et profecto, ſi ullo in morbo ingignendo magna aëris eſt potentia, eſt ſane in pectoris affectionibus maximeque phthiſi; unde etiam *Tulpius l. 2. c.* 10. cauſam, quod in Hollandia tam frequentes ſint vomicæ & phthiſes, locis uliginoſis & aëri continuis vaporibus putridis referto tribuit rectiſſime. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 303. In tabeſcentibus corporibus, ſive ex pure corrupto, vel catarrhoſa, vel deliquata materia, qua erant oppleta, in æſtate ſatis libere corruptum exhalantia, nunc accedente frigore autumnali, quo inhibetur corrupti difflatio, & motu vitali in his nimis languido, fere tota actio per frigus exſtinguitur, unde ita accumulatur corruptum, & ſuffocatur vitæ actio, ut inde æger pereat. *Gorter.*

Cur *l. c. lib.* 6. *Epidem.* Ver dicitur malum, cum ficus folia cornicis pedibus ſimilia fuerint? Meo judicio dicendum, a Coo ſene ſpectata fuiſſe tunc in fici foliis tum quantitatem exiguam, per illam indicans initium veris; quando fici folia nuper exorta, nondum ſuperant pedis cornicis magnitudinem: tum maxime qualitatem, quæ conſiſtit in colore nigricante ſimul & in figura tereti pariter & incurva. Nam fici folia tenerrima in ortu ſuo non incurvantur, atrumque colorem induunt, niſi propter ambientis intempeſtivum frigus ab hieme propinqua, ſiccitati conjunctum ſiccans & adurens humiditatem ſubſtantificam tenellarum frondium, eas proinde ſtatim denigrans, & incurvans; nam & *Virgilio* (1 *Georg.* 93.) *Boreæ penetrabile frigus adurit* plantas; & *Ariſto-*

 teli

teli (4 *Meteor. c.* 6.) frigus exprimens humiditatem e miſto, congelanſque remanentem, miſtum corpus contrahit, & nigro colore tingit, extincto & mortificato calore nativo; quod in animalium viventium carnibus evidentiſſimum eſt. Quare Ver, habens folia fici ſimilia pedibus cornicis, eſt frigidum & ſiccum intenſius; propterea que deſciſcens a ſua naturali temperie, quæ calida & humida eſt, adeoque nutriens folia tenella; non urens, neque tabefaciens, conſumpta, vel congelata frondium humiditate. Quum autem Ver ob æſtatis etiam viciniam neceſſario quoque calorem contrahat; ea tempeſtas inæqualitatem non habere non poteſt: ac ut inæqualitas omni Veri neceſſario conjungitur ut puta conſtituto duas inter contrarias tempeſtates, hiemem ac æſtatem; ſic ubi naturali fere huic inæqualitati conjungitur non naturalis verna frigiditas & ſiccitas; jam Ver perinde tabeſcentibus officit, ac autumnus; nam quæ ſuper eſt in iis a frigore congelata poſt majoris partis expreſſionem humiditas exigua, ſuperveniente calore fere tota conſumitur, aduriturque. *Licet. de Sec. Quæſ. p.* 318 *ſq.* Haud itaque pugnat aphoriſmus præſens cum proxime antecedente, ubi ver ſaluberrimum pronunciatur; non enim Hippocrates univerſam veris conſtitutionem tabidis ait eſſe malam, ſed ejus principium tantum, quod ferme cum autumno convenit, ejuſque naturam habet, hoc eſt, inæquale exiſtit, tam ſcilicet frigidum tam calidum. Proinde non ſimpliciter ver tabidis malum eſſe dicit, ſed cum quadam conditione, quando nimirum fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint, id certe quod Veris initio fieri ſolet. *Fuchs ad Hippocr. d. l.*

APHOR.

APHOR. II.

Περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίγνεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

Quod autem ad anni tempeſtates attinet, ſi quidem hyems plus æquo ſicca, & aquilonia fuerit, ver autem valde pluvium, & auſtrinum, febres acutas, & lippitudines, & inteſtinorum difficultates ad æſtatem oriri neceſſe eſt, præcipue vero in mulieribus, & viris natura humidioribus.

Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 45. ita reddidit: *Si hiems ſicca ſeptentrionales ventos habuit, ver autem auſtros & pluvias exhibet, fere ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus, præcipue in muliebribus.* Hippocrates *lib. de aër. aq. & loc. n.* 25. integrum aphoriſmum deſcripſit, & interpretatus eſt hunc in modum: Quod ſi hiems ſicca & aquilonia, ver vero pluvium & auſtrinum fuerit, æſtatem febribus abundare, & lippitudines inducere neceſſe eſt. Ubi enim ab imbribus vernis & ab auſtro terra humectata fuerit, & plenior æſtus derepente ſupervenerit, tum a terra madida & calida

 exi-

existente, tum a sole adurente, ardorem conduplicari necesse est, hominum ventribus minime consistentibus, neque resiccato cerebro. Neque enim, ubi ver tale extiterit, fieri potest, quin corpus & caro nimio humore diffluant, ita ut omnibus, ac maxime pituitosis, acutissimæ febres immineant. Mulieribus vero, & naturis maxime humidis, intestinorum difficultates contingere par est. H. J. In similem fere modum explicatum reperias aphorismum, in *Aristot.* 1. *Probl.* 8.

Prognosticon est de eventuris in æstate morbis post hiemem siccam, borealem, & huic succedens ver calidum, pluviosumque; cum nempe per hiemen cutis constricta intro retinuit materiam perspirabilem, cujus excretio segnius procedit tempore verno ob labefactatum tunc fibrarum tonum: quare necesse est, ut serosa colluvies accumulata, per æstivum calorem in motum concita *febres acutas*, *ophthalmias & dysenterias* efficiat, in subjectis maxime humidioribus, laxi & spongiosi corporis habitus, cujusmodi inprimis esse solent mulieres: talia enim corpora minus perspirant, utpote debiliora. Vid. *Ramaz. Oper. p.* 117. *Hoffm. de temp. an. insal.* §. 18. Ut præveniantur nominati morbi ante quam æstivus calor accedat, duo agenda sunt a Medico vernali tempore: 1. ut promoveatur insensibilis perspiratio, qua excluditur retentum, 2. ut corpus firmetur roborantibus. Si autem nimis sero vocetur Medicus, dum scilicet materies retenta sit acris facta, & febrem acutam, ophthalmiam, vel dysenteriam induxerit, tunc non solita methodus inflammationis convenit, sed antisepticis diaphoreticis internis, qualia in putredine cali-

da

da præſcribi ſolent, tentanda eſt materiæ emendatio, & expulſio per inſenſibilem perſpirationem, quia hujus organi materia retenta acrior facta, hos morbos producit, quæ non patitur per alienum organum, puta alvum, vel urinæ vias, tam facile eliminari. Oculis interim applicari poſſunt, ſi ophthalmia vexat, refrigerantia & leniter adſtringentia: atque in dyſentericis parva doſi rhabarbari ſæpe repetita alvus ſervanda aperta, ne acris in inteſtinis effuſus humor diutius ſtagnans exulceret inteſtina, dum interim maxima humorum colluvies educatur per cutim. Poſt evacuatum acrem humorem, corporis remanens debilitas roborantibus cardiacis eſt curanda. *Gorter.*

APHOR. 12.

Ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδιος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἳ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. τοῖσι δὲ ἄλλοισι βροτοῖσι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται· τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι συντόμως ἀπολλύντες.

At ſi hyems auſtrina, & valde pluvia, & placida fuerit, ver autem plus juſto ſiccum, & aquilonium, mulieres quidem quibus partus ad ver imminet, ex

ex quavis caufa abortiunt: quæ vero pepererint, imbecillos, & morbofos infantes edunt, ita ut vel ftatim intereant, vel tenues, & valetudinarii vivant. Cæteris autem mortalibus difficultates inteftinorum, & lippitudines aridæ oriuntur: fenioribus vero defluxiones brevi interficientes.

Apud Celfum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 45. hic aphorifmus legitur in hunc modum: *Si auftri, pluviæque hiemem occuparunt, ver autem frigidum & ficcum eft, gravidæ quidem fœminae, quibus tum adeft partus, abortu periclitantur: hæ vero quae gignunt, imbecillos, vixque vitales edunt. Cæteros lippitudo arida, &, fi feniores funt, gravedines atque deftillationes male habent.* Defumtus autem præfens aphorifmus eft ex Hippocratis *lib. de aër. aq. & loc. n.* 26. ubi ultima ejus particula ita fcribitur: *Atque hæc quidem mulieribus, reliquis vero inteftinorum difficultates & lippitudines ficcas, nonnullifque defluxiones a capite in pulmonem.* Subjungitur explicatio hæc: „ Pituitofis itaque inteftinorum difficultates fieri par eft, ac mulieribus pituita a cerebro defluente propter naturæ humiditatem. Biliofis vero lippitudines ficcas, ob carnis caliditatem & ficcitatem. Senibus autem defluxiones ob venarum raritatem ac diftentionem, ut ex his nonnulli repente intereant, alii dextra parte refoluti jaceant. Cum enim, hieme exiftente auftrina & calida, corpus non conftringatur, neque venæ, vere aquilonio & ficco, ac frigido fuperveniente, cerebrum,

„ quod

„ quod una cum Vere diſſolvi & purgari a „ gravedine & raucedine oportebat, tunc denſatur & cogitur, proindeque accedente derepente æſtate, æſtuque ac mutatione contingente, hi morbi ingruant, tandemque „ reliquis morbis, cum ventres facile reſiccari „ nequeant, inteſtinorum lævitates, & aquæ „ inter cutem ſuccedant". Ab eundem fere modum ſcribit *Ariſtoteles* 1. *problem.* 9.

Sub hieme tepida & humida, magna colligitur ſeri & excrementorum in corpore copia; ſuperveniente veris ſicco & aquilonari ſtatu atque natura fibras roborante & humores ad motum impellente & intus cogente, tunc in plethoricis, ut ſunt gravidæ, fiunt abortus, disruptis nempe vaſculorum uterinorum oris a ſanguinis impetu. Infantes vero, quos pariunt, morboſi fiunt, propter ſanguinem multis impuritatibus plenum, qui fœtum debite nutrire & ipſi robur addere nequit. Aliis lippitudines, dyſenteriæ, catarrhi, rheumatiſmi, arthritides, fiunt ab impuris ſalibus excrementitiis ex tranſpirationis defectu congregatis & naturæ vigore ad exteriora proturbatis. *Hoffm. de temp. an. inſal.* §. 18. At tamen talis aëris ſtatus non omnes gravidas, ſed eas potiſſimum, quæ ſanguinei & humidioris temperamenti ſunt, afficit. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 634. Ad præcavendum vero abortum, providere oportet Medicum, ut non modo victus & vitæ regiminis ejuſmodi temporibus exquiſita habeatur ratio; ſed & corpus liberetur a ſordibus copioſis, ſervata liberiori perſpiratione, & alvo aperta: unde ne frigidæ aëris tempeſtati corpus exponatur, nec acida aut adſtringentia ingerantur alimenta, probe cavendum eſt.

eſt. Abſtinere etiam tunc præſtat a cœna largiori, carnibus, placentis, omnibuſque eſculentis pinguioribus, quippe quæ gravidarum adpetitui quidem, minime vero ſanitatis integritati tunc temporis reſpondent. *ibid. p.* 638.

Pituitoſis inteſtinorum difficultates ſeu dyſenterias fieri veriſimile eſt, quoniam per accedens frigus boreale, ſuperans eorum corporum vires vitales, aucta contractilitate ſolidorum, contenti humores ad quæcunque excretoria urgentur; ſed quia frigus magis afficit cutem, quam lambit & tangit, ac inteſtina nunc laxiora, veriſimile eſt, minui inſenſibilem perſpirationem per cutim, atque humores ſe exonerare per alvum laxiorem: quod ſi in tam diu collecto humore quædam adſit acrimonia, ille tranſeundo rodens inteſtina, dejectionem copioſam facit cum dolore, quem morbum dyſenteriam Medici vocant. Qui ergo in pituitoſis prævenire ſatagit inſtantem dyſenteriam vernalem, id agere oportet, ut roborantibus, ſtomachicis & diſcutientibus hiemali tempore corpus liberetur ab abundante pituita. Sed ſi dyſenteria ex tali conſtitutione ſit nata, primò purgante rhabarbarino confluxos & acres humores ex inteſtinis exturbare debet, ac dein fluxum ulterius crudorum ab inteſtinis derivare ad cutim, viam naturalem, exonerantem, quod ex prohibita perſpiratione fuit retentum, ubi facilius & minori moleſtia id crudum, acre & corruptum poteſt evacuari, quam per inteſtina, quæ bonos & morboſos humores una evacuant, & propterea majorem debilitatem ac imperfectiorem depurationem faciunt. Cur *bilioſis ophthalmias ſeu lippitudines ſiccas fieri* dixit Hippocrates? Bilioſi ſtatuuntur, qui in ſuo corpore

habent

habent vel facile generant humorem tenuem, acrem, calorem inducentem. His in hieme auſtrali ac pluvioſa quoque fit parcior difflatio; ſed quando accedit ver ſiccum & aquilonium, id tenue propter calorem majorem corporis naturalem facile excutiunt aquoſum, verum pinguitudo retenta & corrupta præcedente hieme, tam facile excuti nequit, atque privatum parte meabili & aquoſa, magis adhærens lateribus vaſorum, calidas bilioſas & eryſipelatoſas ægritudines parit, quæ videntur ex obſervatione practica cum lachrymis ad oculos delatæ, in albo oculorum proritare rubedinem, refrigerantibus & adſtringentibus antiſepticis temperandam, & mucilaginoſis obvolvendam; atque derivantibus per alvum vel cutim per antiphlogiſtica diaphoretica evacuandam, quum relicta in corpore materia illa tenuis & acris, longiore mora ſenſim reddatur acrior. Denique *valde ſenes derepente pereunt*, & quidam etiam *hemiplectici fiunt*. Valde autem ſenes, ad pituitæ productionem pronos, non eſt mirum in humida tempeſtate cruditatibus ſcatere, quæ tempeſtas etiam in robuſtioribus faciebat crudorum abundantiam: ſed quando tunc accedit ver boreale & ſiccum, hæc pituita, tam diu in aëre humido & tepido fluxilis, nunc incipit concreſcere ac veluti coagulari, ſeu abit, ut Veteres loquuntur, in pituitam vitream. Quia vero corpora ſenilia debiliſſima non valent pituitoſum crudum viribus vitæ ſervare ſolutum, facile in locis quibuſdam ſubſiſtens concreſcit; quod ſi fiat in encephalo, ſpinali medulla, gangliis nervorum, pulmonibus, ubi maximus eſt humoris pituitoſi proventus, aut comprimendo nervos apoplexiam pituitoſam, hemiplexiam, vel alios morbos peri-

periculoſos, ut & mortem producit ex pituitæ abundantia & concretione; vel ita opplet bronchia pulmonum, ut omnis intercipiatur reſpiratio. Hos autem morbos in valde ſenibus prævenire vix valet ars medica, cum ſenibus novas addere vires neſciat medicina: vinum Malvaticum, Styrax, Benzoin, balſamus Peruvianus, & ſimilia nervina calefacientia ſunt præcipua, hiemali tempore propinata ante quam vernale frigus & ſiccitas ingruit. *Gorter.*

Notante Huxhamo *de aëre vol.* 1. *proleg. p.* XXXIII. ſi ver frigidum & ſiccum eſt, pleuritide, peripneumonia, angina, periclitamur; qui vero diæta humectante utuntur & potione tepida laxante, vitio tempeſtatis occurrunt, morboſque evadunt utplurimum. Si frigori autem accedit humidi multum, cardiaca quædam admiſcenda ſunt, corpuſque veſtibus muniendum eſt probe, ne perſpiratio inhibeatur nimis.

APHOR. 13.

Ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον, καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

Si vero æſtas plus æquo ſicca, & aquilonia, autumnus vero admodum pluvius, & auſtrinus fuerit, capitis dolores ad hyemem oriuntur, & tuſſes, & raucitates, & gravedines, nonnullis etiam & tabes.

Expreſſus

Expressus est hic aphorismus in *lib. de aër. aq. & loc. n.* 28. ubi capitis doloribus junguntur etiam *cerebri siderationes* (σφακέλοι τȣ̃ ἐγκεφάλȣ). Apud Celsum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 45. sententia præsens ita scribitur: *Si sicca æstas aquilones habuit, autumno vero imbres austrique sunt, tota hieme, quæ proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam etiam tabes oritur.*

Aristoteles rationem dictorum ab Hippocrate redditurus, *lib.* 1. *probl.* 10. hæc in medium profert: An quia hiems multum materiæ excipit, itaque humorem cogere atque pituitam inde conficere magnum ei negotium est? Ergo difficile est humorem densari, conficique inde pituitam. Quod si in capite humor constiterit, gravitatem committit: & si nimius, frigidusque est, siderationes movet: nec non si ob nimiam sui copiam concrescere minus potuit, in locum defluit proximum, atque ita tussim, raucitatem, & tabem contrahit. H. J. Ut hyems veris, ver æstatis, ita æstas & autumnus hyemis valetudinem dispensat & disponit. Tusses, raucedines, gravedines, graviores & repetitæ, vel longiores phthisin minantur. Dolores capitis hyeme fere intenduntur magis, quam æstate. *Wedel.* Fibræ, a quibus tonus, motus & pressio sanguinis dependet, æstate nimis strictæ & sensibiles evadunt. Tempore accedente pluvioso & australi accumulantur ob tonum dejectum fibrarum, succorumque subtilitatem imminutam, multæ humiditates sordidæ in vasis. (nam semper sub tali tempore fiunt excretiones remissiores, & inprimis transpiratio) Accedentis vero hiemis frigus constringens poros & cutim summam premens, atque a peri-

pheria ad interiora fluida pellens, caufa eft lymphæ ftagnantis, præfertim in faucibus & capite, unde catarrhi, coryzæ, tuffes, raucedines, inflammationes oris in difpofitis, pulmonum exulcerationes, capitis etiam dolores & gravedines fiunt. Conftans obfervatio practica eft, fub longo dominatu ex auftro & occidente ventorum fpirantium fub aëre denfo & præhumido, hydrargyrum in barometro inferius hærere. Si vero fubito accedit ventus borealis, fubnafcuntur brevi coryzæ, tuffes, raucedines, odontalgiæ, arthritici dolores, rheumatifmi cum cutis horrore, extremorum frigore. Urinæ ardores perfæpe una nocte frigidiorem tempeftatem excipiente vifuntur, ut & reliqui hi dicti affectus. *Hoffm. de temp. an. infal.* §. 19.

Qui vellet inftantem capitis dolorem prævenire, id agendum haberet, ut in autumno prægreffo roborantibus & ftomachicis præpararetur retenta materies ad expulfionem, & firmaret corpus autumno relaxatum, atque ficcantibus difcutientibus & diaphoreticis liberaret corpus ab abundante & nunc præparata materia, ut fuperveniens frigus hiemale non inveniret corpus crudo & acri fucco onuftum, quo deinceps generatur capitis dolor. Sed fi fine hac cautela homo ab hac caufa in capitis dolorem incidit, non tam facile erit eum curare. Alvi ductio enim & fanguinis miffio quidem, demendo quantitatem, & minuendo impetum, leniunt dolorem, fed non valent id acre & crudum emendare. Sudorifera & diaphoretica calida, crudum expellentia & concoquentia, non ferunt ægri, quia aucto motu dolorem exafperant. Diuretica raro medentur capitis morbis.

morbis. Quare ſatius erit autumno hos prævenire dolores, quam eorum curationem in hieme aggredi. Quoniam autem humores retenti non carent acrimonia cruda, ex tali ſucco nata, in trachea & larynge mucus tenax has partes ſtimulat, qualis ſtimulus ſemper *tusſim* adjunctam habet. Membrana rimulam glottidis veſtiens, majore muci craſſioris copia tumens, æquabilem glottidis ſuperficiem mutat, quo *vox* formata per talem glottidem fit *rauca*. Atque ab eodem muco craſſiore in pituitaria membrana hærente, inveſtiente nares adjectosque ſinus, eum parit morbum, quem *Gravedinem* ſeu *Coryzam* vocamus. Qui morbi laudata methodo, maxima ex parte, præveniri potuisſent, ad minimum brevioris fuiſſent durationis, cum minor crudorum copia in corpore tam multas ſuppetias non tuliſſet his morbis continuandis. *Nonnullis etiam tabes* oritur, non quæ ex ulcere pulmonis poſt hæmoptoën in juvenibus eſt frequentior, ſed potius *tabes catarrhoſa* ſeu colliquativa frigida, quæ a quibusdam refertur ad phthiſin nervoſam. Quæ tabis ſpecies in omni ſubjecto oritur, in quo generatur tuſſis, coryza & dolor capitis, ſed ex majori vehementia cauſæ morboſæ in tali conſtitutione natæ. Humor enim crudus per autumnum in corpore collectus, ſuperveniente hieme præcipue in pulmonis aëreis vaſis colligitur, qui in principio quidem craſſitudinem habet, at diuturniore mora liqueſcens abit in humorem acrem & rodentem, quem Veteres vocarunt *Pituitam ſalſam*, natam ex pituita craſſa, ſuperveniente deliquante ſolutione ſolutam. Hæc irritando perpetuam concitat tuſſim; quæ invertendo laudabilem pulmonis

nem intercipit humorum in nutritium commutationem; bonos huc affluentes simili corruptela liquefacit: unde tandem consumto corporis nutriente pabulo, tussiendo, & ejiciendo multum sputi pallidi & spumosi pituitosi, minime purulenti, corpus lenta tabe consumitur. Utinam æque constaret quibus auxiliis medicina valeret hanc incipientem curare tabem! Pectoralia enim omnia mollia, inducendo majorem pulmonibus debilitatem, pituitosi proventum augent; acriora exasperant tussim; quare pauca in Phthisi specifica huc conferunt. Non tamen incurabilis hic est morbus. Fumo aromatico, ex styrace, mastiche, olibano, candenti prunæ injectis, suscitato, cum aëre inspirato, roborando pulmonis aërea vasa, simulque iisdem & aliis resinosis atque balsamicis, resolventibus internis novam pituitæ generationem in pulmonibus prævenire, atque ejus colliquationem antisepticis impedire possumus. *Gorter.*

APHOR. 14.

Ἢν δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφορον· τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραὶ, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι χρόνιαι, ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

Si vero aquilonius sit, (autumnus) & sine pluviis, iis quidem, qui natura sunt humidiore, & mulieribus commodus,

dus; reliquis autem lippitudines erunt ſiccæ, & febres acutæ, & gravedines diuturnæ, nonnullis vero etiam melancholiæ.

Continuata eſt oratio cum aphoriſmo præcedente; & extat apud Celſum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46. Cum explicatione exaratus eſt præſens aphoriſmus ab Hippocrate *lib. de aër. aq. & loc. n.* 29. ita: Quod ſi aquilonius & ſiccus fuerit autumnus, ac neque ſub canem neque ſub arcturum pluvioſus, pituitoſis quidem præcipueque natura humidis & mulieribus confert, bilioſis vero hoc eſt maxime adverſum. Admodum enim reſiccantur, iiſque lippitudines aridæ contingunt, & febres acutæ ac diuturnæ, quibuſdam etiam melancholiæ. In bile namque quicquid eſt humidiſſimum & aquoſiſſimum conſumitur, quod vero craſſiſſimum & acerrimum remanet, quod in ſanguine eadem quoque ratione accidit, unde ii morbi illis contingunt. Pituitoſis vero hæc omnia auxilio ſunt. Reſiccantur enim & ad hiemem perveniunt, ab aliis temporibus invicem ſuccedentibus reſiccati. Hucuſque Hippocrates. Expoſitio ſimilis habetur apud *Ariſtotelem lib.* 1. *probl.* 11. 12.

Etenim humidæ naturæ vehementius patiuntur & affliguntur ſub humido & tepido cœlo, melius vero degunt ſub ſicco & elaſtico, qui elaterem fibrarum roborat; ita enim circulus ſanguinis & excretiones fiunt expeditæ. In calidis vero ſubjectis, ob motum factum inteſtinum auctiorem, ſalia impura in ſuccis exiſtentia evadunt acriora, unde tuſſes, lippitudines ſiccæ, febres acutæ &c. *Hoffm. de temp. an.*

 inſal.

insal. §. 20. Sic etiam frigus ambientis est remedii quibusdam loco, idemque remedium & morbus pro diversitate subjectorum. *Wedel.*

Si per æstivum aërem siccum & frigidum partes firmæ fuere magis constrictæ & humores compacti (*aph.* 14.), permanente eadem constitutione in autumno, effectus fiunt majores per continuatam causam: quare in corporibus temperatis ad hiemem nimia obtinebit solidorum contractilitas, & in fluentibus nimia inspissatio & compactura; quare talia corpora magis disposita tunc sunt ad suscipiendum inflammatorium morbum, & rheumatismum. Quæ autem corpora firmarum partium atonia & humiditatis abundantiâ suâ naturâ sunt prædita, tali aëris constitutione, qua humidi abundantia tollitur, & invigorantur partes firmæ, ad mediocrem & salubrem corporis habitum rediguntur: quare tales mulieres, atque viri, naturâ humidi, bene degunt, imo melius quam quæ corpora aliter sunt temperata. Quibus autem corporis est naturalis siccitas & compactura humorum, hac continuata constitutione in morbosam dispositionem excedentem convertuntur. *Biliosis vero hoc est maxime adversum.* Materia enim Veteribus biliosa & aquosa non habet similem naturam: aquosa non patitur compingi, sed manet semper fluxilis ac volatilis: verum materia biliosa, quæ ipsis duplex est, nempe bilis ipsa biliosa & pinguitudo nostri corporis corrupta acris & calida facta Veteribus est eadem materia, quæ non facile evolat, sed longa agitatione sensim redditur acrior; hæc vero humiditati mista & unà macerata liquescit, atque ita humido illo vehiculo absumitur, nisi longiori mora nimis oleosa

&

& acris sit facta, amissa omni saponeitate, renuens cum aquosis unionem. Altera materia biliosa est pars magis nigra & terrestris, minus oleosa, sed magis glutinosa, potius ex sanguinis rubri parte compacta, quando ruber color in nigredinem convertitur, quæ ipsis *melancholia* audit. Hæc quoque difficile redditur compingendo volatilis, sed humiditati mista liquescit. In utroque igitur temperamento, bilioso nempe & melancholico, autumnus materiem præcedente æstate compactam, ulterius sua siccitate compingit, nullumque concedit tempus liquescendi & volatilisandi: unde tandem utrique hi humores incipiunt abundare, & in qualitate admodum degenerare, quod infestissimum est. Superius (*aph.* 12. huj. sect.) apparuit, Vere existente sicco & aquilonio, post hiemem austrinam ac valde pluviam, generari *ophthalmiam siccam*; non ergo videtur fieri posse eundem morbum, autumno aquilonio & sicco, prægressa æstate sicca & aquilonari. Equidem hic habetur idem nomen morbi, ophthalmia sicca, i. e. oculorum inflammatio, rubedo, dolor cum adjuncta siccitate, sed propterea non est eadem causa hæc phænomena inducens. Nam in præced. dictus morbus naturam erysipelatis sortiebatur, quia humor erat tenuis, acris & calidus; hic vero eadem phænomena oriuntur ab inflammatoria diathesi, in qua non, ut ibi, adstringentia & refrigerantia, sed antiphlogistica, emollientia & laxantia oculis applicanda erunt, sanguis mittendus, alvusque ducenda. Si vero id pingue biliosum, longa compactura per æstatem & sequentem autumnum, perductum fuerit in hiemem, nunc ex sua consueta natura magis humidam, aliquo

modo liquescere incipit; id compactum autem, tam diu retentum, nunc liquescens, non carebit acrimonia, & quia hiems quoque parcam habet perspirationem, corpus illo alieno liquefacto & acri non facile liberatur, sed diu cum cæteris humoribus circumductum, sensim in majorem acrimoniam evehitur, quod tandem succum forsan arteriarum inficiens, arterias in majorem motum irritat, seu *febrem acutam*, id est, vehementem & calidissimam, excitat, atque diu durantem, quoniam materia illa irritans, longa mora facta, non patitur actione febrili cito subigi ac expelli. Conduceret ergo in tali autumno corporibus siccis venam secare, alvum ducere, & uti humectantibus, ut promoveatur lentoris solutio & expulsio. Sed si talis febris nata sit, tentanda est hujus materiæ commutatio in suppurationem, ut sub forma puris, vel per urinam, vel per abscessum, si aliter fieri non possit, eliminetur. Sed quomodo ex constitutione aëris, secundum præsentem aphorismum, inducitur *gravedo*, & qualis? Quando humorum pars, in pituitam lentam commutabilis, nimis compacta fuit, tandem, accedente hieme, colligitur in membrana pituitaria, tunc verosimile videtur coryzam generari non facile cessaturam: quoniam pituita, Veteribus gypsea dicta, lenta nempe atque tenax, tam longo tempore confecta, memoratam partem occupat. Jam vero etiam constat, *melancholiam* post talem autumnalem constitutionem non tam frequenter generari, quam morbos præcedentes. Videtur enim atrabilarios ex natura per hanc constitutionem non semper ita affici, sed interdum materiem tenacem & terrestrem sanguinis continuata

aëris

aëris ſiccitate & frigiditate reſolvi & expelli; interdum vero compingi. Quando vero materia hæc melancholica compacta fuerit, veriſimile eſt, ab hiemis clementia & humiditate reſolvi, & circulantibus miſta, ad cerebrum delata cogitationes perturbare, & tale delirium inducere cum triſtitia, quod ſolemus melancholiam vocare. *Gorter.*

Aphor. 15.

Τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ, τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

Ex anni autem conſtitutionibus, in ſumma magnæ ſiccitates aſſiduis imbribus ſunt ſalubriores, minuſque letales.

Comparatione inſtituta inter conſtitutiones ſiccas cum pluvioſis, illæ ſalubriores edicuntur. Ratio eſt, quia ſiccitas aëris apprime favet conſervando tono, elaterive fibrarum coporis humani ad propellendos in vaſis ſuis humores deſtinato. Præterea ſiccus aër immunis eſt a variis miaſmatibus corpori noſtro peregrinis, quibus pluvioſus atque humidus imbutus eſt. Conf. *Hoffm. de temp. an. inſal.* §. 3. Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 42. comparationem ab Hippocrate cœptam ulterius producit in hunc modum: „ Saluberrimi ſunt ſereni dies: meliores plu„ vii, quam tantum nebuloſi, nubilive: opti-

 „ mique

„ mique hieme, qui omni vento vacant: æ-
„ ſtate, quibus favonii perflant. Si genus
„ aliud ventorum eſt, ſalubriores ſeptentrio-
„ nales, quam ſubſolani, vel auſtri ſunt ". Sed hæc, ne extra oleas, ſoli Hippocratis textui addicti, omittimus. Siccitas moderata conſervationi mixtorum & viventium, humiditas excedens putredini & corruptioni adeoque & morbis ſæpe magis favet. *Wedel.* Ut autem non omnibus omnia conferunt: ita & de ſiccitate tenendum, quod ſiccitates non omnibus naturis conveniant; nam valde ſiccis morboſæ ſunt. id quod docet etiam aphoriſmus ſequens.

APHOR. 16.

Νουσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

Per aſſiduos imbres morbi magna ex parte oriuntur, cum febres longæ, tum alvi fluxiones, putredines, comitiales, apoplexiæ, & anginæ. Per magnas autem ſiccitates tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, urinæ ſtillicidia, & inteſtinorum difficultates.

Apud

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 45. ita legitur: *In ſiccitatibus, acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longæ febres, alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, reſolutio nervorum, quam παράλυσιν Græci nominant.*

Aër nimium humidus, laxat, ſolvit, debilitat, fibras, inprimis pulmonales, ſerum pulmonum retinet, auget, accumulat, perſpirationem in iis prohibet; unde tuſſes, peripneumoniæ, ſeroſæ; diarrhœæ ſimiles, torpores, & febres; ſi magnus calor illi jungitur, cita putrefactio, ſi magnum frigus, tum ſeroſa colluvies. *Boerh. I. M.* §. 748. Verbo: omnes morbi, qui ex atonia fiunt, ex aëris diuturna & nimia humiditate, & generantur & incrementum capiunt. Peſſimus autem ille aër, qui frigidus & humidus eſt, talis enim, ubi pervenit ad interiora corporis, ad ſtagnationes, ſtaſes ſanguinis & humorum inferendas, eſt aptiſſimus; nam ratione humiditatis relaxat, & ratione frigoris humores coagulat eorumque motum ſufflaminat. *Hoffm. aër. intemp.* §. 6. Illi quidem, qui temperamenti ſunt calidi, ſanguinei, & cæteroquin vegeti, nihil ſubinde damni ex illa aëris intemperie percipiunt, ſed potius blanda humectatione, ſicca inprimis ſubjecta paululum refocillantur: at enim vero, qui phlegmaticæ, frigidioriſque ſunt conſtitutionis, atque ideo ad morbos, a ſeroſa colluvie oriundos, proni, aut iis jam tum affecti, his ea atmoſphæra maxime infeſta eſſe ſolet. Id quod inſuper experientia ſatis abundeque confirmat, utpote qua edocemur, multos per brevius longiuſque temporis ſpatium in atmoſphæra pluvioſa nebuloſaque, aut in conclavi a

ſor-

ſordibus aqua recens expurgato, aut in cella caldaria commorantes, modo vertiginem, modo tinnitum aurium, modo coryzam, item uvulæ tonſillarumque tumorem, jam tuſſim, nunc rheumatiſmum, tumores œdematoſos, alioſque morbos, a ſeroſa inprimis colluvie pendentes, & relaxatione toni partium inde inducta, præmii veluti loco reportaviſſe, aut iis jamjam laborantes, in longe graviores, hydropem nimirum, ſimileſque incidiſſe. *Schach. de aer. effic.* §. 19. Humidum aërem magnam generi humano noxam adferre, inde confirmatur, quod, qui in editioribus locis habitant, montani, rariſſime morbis epidemicis ſint ſubjecti, ſed fere ſemper inconcuſſa ſanitate ævum tranſigant; cum e contrario illi, qui in depreſſioribus locis, atque in planitie domicilia habent, ſæpiſſime morbis iſtis adficiantur, & multo magis adhuc illi, qui in locis paludoſis commorantur, utpote qui quotannis fere morbis epidemicis cruciantur. *Hoffm. aër. epid.* §. 20. Horum omnium cauſa malorum jure meritoque transfundenda in atmoſphæram ignavam, languidam, elatere deſtitutam, quæ non inſervit ſpirituaſcentiæ ſeu expanſioni ſanguinis & humorum intimæ, ſed fibrarum tonum relaxat, eas flaccidas reddit, unde progreſſio & circulatio ſanguinis debilitatur. Ubi vero tardior ſanguinis progreſſio, ibi ſecretiones & excretiones etiam retardantur, ibi ſanguis craſſus viſcidus & minus ſubtilis fit, & inde multi impuri humores in corpore accumulantur & ad prædictos morbos, maxime omnium vero ad putredinem diſpoſitio fit. Dum enim excretiones tardæ fiunt, invalide & languide per tubulos procedit ſanguinis fluor, excrementa

menta remanent, & mutua in ſe actione inteſtinum & putredinoſum motum totam craſin humorum diſſolventem producunt, unde etiam omnes graves epidemici morbi, maligni, contagioſi & peſtilentes, imo peſtis ipſa, a putredine humorum ortum ſuum nanciſcuntur. *Hoffm. de temp. an. inſal.* §. 11. Summa attentione dignum eſt, quod obſervaverit Hippocrates (*Epidem. lib.* 2 & 3.) aëris conſtitutionem, quæ peſtilentialibus febribus excipitur, ingenti torridam æſtu fuiſſe, ſimulque pluviis, auſtralibuſque ventis comitatam, & Galenus (*de Temperam. l.* 1. *c.* 4. & *Commentar. in Epidem. lib.* 3.) aperte docet, nullam aliam aëris temperiem educandæ alendæque peſti magis per ſe obnoxiam eſſe quam illam, quæ mixtas ex calido & humido qualitates præfert; & hujuſce tempeſtatis duratio peſtilentiæ pariter, ſaltem violentioris, tempus circumſcribit. *Lucretius* etiam, in peſtis Athenienſis deſcriptione, hos morbos ait aut a corrupto erumpere aëre, aut a terra ſurgere, *lib.* 6. *vs.* 1099.

——— Ubi putrorem humida nacta eſt,
Intempeſtivis pluviiſque & ſolibus icta.

Id porro generales epidemicorum morborum hiſtoriæ confirmant utplurimum, & ſatis perſpicuum eſt in iis regionibus, quæ malignorum morborum maxime feraces ſunt. Sic vulgari obſervatione in Indiis Orientalibus deprehenditur, quod ſicca utut æſtuoſa tempeſtate, manet illibata ſanitas, verum ubi calidæ tempeſtati pluvia ſupervenit; tunc pernicioſæ febres impendent. Idem in Africa pariter habemus obſer-

ſervatione deprehenſum ; nam referente *Ioanne Leone* (*Hiſt. Africæ l.* 1. *c.* 1.), ſi æſtivis menſibus Julio atque Auguſto, imbres copioſe decidunt, brevi caput extollunt peſtis & febrium peſtilentialium agmen, quibus quicunque correptus difficile in priſtinam reſtituitur ſanitatem. Demonſtratum eſt, malignis & peſtilentialibus febribus producendis neceſſario concurrere viſcidum tenacemque ſanguinis lentorem ſeu gluten, qui primum capillaria infarcit vaſcula, & calore poſtea ſolutus, in circulationem raptus omnem ſanguinis molem diſturbat, & ad putrefactionem diſponit, in quam humores natura ſua vergunt. Viſcidum autem illud gluten originem habuit a fervido ſimul & humido aëre, utpote qui inſpiratus relaxando pulmonalia vaſa impedit quo minus in iis contentum fluidum atteratur & ſubigatur, externæ autem corporis ſuperficiei applicatus, eadem relaxante virtute, reſpirationem imminuit: unde neceſſario, ad ſecretionum organa appellens ſanguineus latex accumulatur, mora evadit viſcidus & in obſtructiones coaleſcit. Vid. *Mead. Oper. p.* 163 *ſeqv.* & 239. Æſtuoſa udaque aëris temperies ſiccam omnino & adſtringentem poſcit diætam, vinum & auſterum aqua frigida dilutum, denique quæ & vim fibrarum comprimentem firment, & a ſanguine lentorem ac putredinem arceant. Balneum porro tunc frigidum idoneum eſt maxime. Quæ contrà humore nimio & tepore pollent, aliena ſunt prorſus; jurulenta ideo tunc vitanda ſunt, & tepida muliercularum ſorbitio. *Huxham de aëre vol.* 1. *proleg. p.* XXIII.

Contrario modo ſe habet aër ſiccitate nos offen-

offendens, uti vidimus ad 3 *aph.* 7. Solidæ partes aridæ, humores immeabiles, mora acres facti, ſunt ſcaturigo morborum hîc recenſitorum. Adeo nec humidum, nec ſiccum excedens convenit ad ſanitatem! *Wedel.*

APHOR. 17.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα ξυνιστῶσι, καὶ εὔτονα, καὶ εὐκίνητα, καὶ εὔχροα, καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα, ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν. αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα, καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας, καὶ καρηβαρίας ποιέουσι, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

At ſtatus temporum quotidiani, aquilonii quidem corpora denſant, & robuſta, & facile mobilia, & bene colorata, & melius audientia reddunt, & alvos exſiccant, & oculos mordent, & ſi thoracem dolor aliquis prius habuerit, eum magis irritant. Auſtrini autem corpora exſolvunt, & humectant, & gravem auditum, & capitis gravitatem, & vertigines afferunt, oculis, & corporibus difficilem motum inducunt, & alvos humectant.

Celſus

Celsus *l* 2. *c*. 1. *p*. 44. *Aquilo*, inquit, *sanum corpus spissat*, & *mobilius atque expeditius reddit*. Etenim aquilo aëra cogit, turbulentum ac nubilosum secernit, limpidum & lucidum reddit. — ideoque ventorum saluberrimus est aquilo. *Hippocr. de morb. sacr.* §. 15. Aquilo frigidus & siccus fibras corporis nostri densat & roborat, atque adeo aptat exercendis in fluida actionibus. Hinc septentrionales populi robustiores. Si vero eadem actio nimium augetur, vel in stricta corpora incidit, mala creat recensita. Constitutiones tempestatum privatæ mensium & dierum sequuntur regulam solennibus anni temporibus contingentium. Ab aquilone producti effectus cum austro comparati omnes minus graves sunt. Frigus constans salubrius est præuvido aëris statu. *Wedel.* Cætera ad aphorismi hujus explicationem facientia dicta sunt supra ad 3 *aph.* 5. Conf. *Hoffm. Opusc. T.* 1. *p* 72. De *vertigine ab austrina constitutione* hic dicendum adhuc est. Quid sit vertigo, facile concipitur, si modo attendamus ad mutationem inductam in nervo optico in oculi fundo locato, quando re vera videmus corpora in gyrum vel vorticem agitari. Imagines pictæ tunc successive in oculi fundo supra pulpam nervi optici mutant situm: quam diu talis imaginis mutatio motu rerum extra oculum positarum producitur, intelligimus ea corpora moveri; si vero motu inordinato vel musculorum vel fibrarum in tunicis oculorum, vel ligamento ciliari, vel etiam in capsula nervi optici, ita inordinate movetur oculus, ut incidentes imagines rerum externarum situm mutent inordinata agitatione oculorum, hæc repræsentata imaginis motio vel circumgyratio

est

est morbus, quem Vertiginem vocamus. Agnoscit igitur omnes causas, quæ dictas partes inordinate movere possunt, vel ipsum cerebrum agitare ad originem nervorum opticorum: quæ causæ multiplices esse possunt, quarum quædam generari possunt a constitutione australi; nam si modo propter aëris calorem & humiditatem putrefactum ducitur ad cerebrum, vertigo generatur frequenter recurrens & non facilis curatu: in quo casu siccantia, absorbentia, forma epithematis capiti applicata, magni usus sunt, ut id tenue & acre stimulans, motum inordinatum inducens, auferatur. *Gorter.*

APHOR. 18.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας, τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν, ἄριστά τε διάγουσι, καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μέν τινος οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν τοῦ φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

Quod autem ad anni tempora attinet, vere quidem, & prima æstate pueri, & his ætate proximi optime degunt, & maxime valent; æstate vero, & quadantenus autumno senes. Reliqua autumni & hyemis parte, qui inter has ætates sunt medii.

Apud Celsum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46. hic aphorismus ita redditus est: *Quod ad ætates attinet, pueri proximique his Vere optime valent, & æstate prima tutissimi sunt: senes æstate & autumni prima parte: juvenes hieme, quique inter juventam senectutemque sunt. Inimicior senibus hiems, æstas adolescentibus est.*

Superius 3 *aph.* 3. moniti sumus generatim, quod ætates quædam ad tempora anni bene aut male se habeant. Nunc conferuntur hominis ætates ad quatuor anni tempora, traditurque, quæ ætates quibus anni temporibus melius degant. Primæ ætati optime convenit cum Vere & prima æstate, quia his anni temporibus mollis existens & tepens aër, hoc est, temperatus tum quoad calorem & frigus, tum etiam respectu siccitatis & humiditatis, congruit corporibus, quæ nondum ἀκμὴν adepta, postulant omnia moderata, ut fibræ molles & explicabiles, vasorumque infinita fere in serie decrescentium diametri aperti serventur pro admittendis transmittendisque quæ apponi debent ad incrementum omnium corporis partium requisita. Senibus favet inprimis calor æstivus & primi autumni, qui excitat deficientem calorem & sustinet decrescentem perspirationem. Ætas media seu consistens, in qua omnia vigent, ad ferendum frigus ultimi autumni sequentisque hiemis, præ reliquis ætatibus, comparata est.

Jam intelligis quæ attexuit præsenti aphorismo Celsus, *inimiciorem esse senibus hiemem, æstatem adolescentibus.* Frigus enim densans, constringens, lædit senilia corpora frigida & sicca: æstas nocet adolescentibus intendendo nimis fibrarum elaterem, unde ataxiæ oscillationum

in-

incremento corporis contrariæ; quia humores juſto impetuoſius promoti, denſiores evadunt, quam ut in minimorum vaſorum admitti queant oſcula. Vid. 1 *aph.* 14.

Cano bruma ſeni, juvenique inimicior æſtas;
Acribus hic, longis tangitur ille malis.
Heerkens de valet. Litter. p. 24.

Ex dictis conſtat, quibusnam in corporibus, ad ſanitatem conſervandam, inſtituere diætam debemus calefacientem aut refrigerantem: ſcilicet calefacientem conducere pueris, ſed maxime ſenibus, ſed refrigerantem conſtanti ætati atque robuſtis. *Gorter.*

APHOR. 19.

Νουσήματα δὲ πάντα ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ᾽ ἔνια κατ᾽ ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

In quibuſvis anni temporibus omnis generis morbi oriuntur, nonnulli tamen in quibuſdam tum fiunt, tum exacerbantur.

Prima hujus aphoriſmi particula omnibus per experientiam notam continet obſervationem, quod nempe nullo non tempore morbis obnoxium ſit humanum genus. Quæ poſt ea dicuntur, produci nempe morbos, vel etiam exacerbari, alios præ aliis, his magis quam illis anni temporibus, intelliguntur ex 3. *aph.* 1. 2. 3. Ex. gr. Tempus anni humidum calidumque hæmoptyſin maxime

procreat. tale eſt humidum & calidum ver: ſecundo loco æſtas, autumnus minus, hiems minime. Æſtate maxime moriuntur ob ſanguinis effluvium. quo tempore haud ita magnæ phlegmonæ oriuntur: Vere ſecundò phlegmonis & urentibus febribus conſumuntur: autumno plurimum tabes eveniunt. *Aret. de cauſ. acut. l.* 2. *c.* 2. Qui porro ſint maxime morbi ſingulis anni temporibus familiares, tradunt ſequentes aphoriſmi 20. 21. 22. 23.

APHOR. 20.

Τοῦ μὲν γαρ ἦρος τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἱματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ λέπραι, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσαι, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

Vere quidem inſaniæ, & melancholiæ, & comitiales, & ſanguinis profuſiones, & anginæ, & gravedines, & raucitates, & tuſſes, & lepræ, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 43. *Vere*, ait, *maxime, quæcunque humoris motu novantur, in metu eſſe conſuerunt. Ergo tum lippitudines, puſtulæ, profuſio ſanguinis, abſceſſus corporis, quæ* ἀποςήματα *Græci nominant, bilis atra, quam* μελαγχολίαν *appellant,*

pellant, insania, morbus comitialis, angina, gravedines, destillationes oriri solent. Hi quoque morbi, qui in articulis nervisque modo urgent, modo quiescunt, tum maxime & inchoantur & repetunt.

Scire oportet, hiemali tempore ob impeditam insensibilem transpirationem, multum otium, & diversa alia, quibus per id tempus nos opplere solemus, in nostris corporibus plurimum peccantium humorum accumulari, qui verno solis calore agitati, nisi prævie aut corrigantur, aut educantur, facillime in morbos erumpunt. Imo vero, inchoante Vere atmosphæra valde inæqualis & mutabilis est, modo humida, modo calida, modo frigida & ventosa, ut non raro per diem ter vel quater argentum vivum in barometro situm suum mutet, idque maxime fit mense Martio, qui ob plurimos morbos & mortes, quas infert, fere infamis est. Hisce accedit, quod aëre ferventiore facto, quæ hieme diu stagnarunt in terra, humiditates in putridas, corruptibiles exhalationes dissolvi incipiant, quare peregrinari & diu versari in ejusmodi aëre, præsertim si corpus imbecillum est, periculo non vacat; siquidem potentia illa fibrarum elastica, quæ in cordis vasis & musculis est, cujus beneficio fluida reguntur, neque minus tonus & elater cutis a frigore, humiditate & calore sic variante mirifice labefactantur, ut sanguinis circulus & exclusio sordium per halitus valde diminuta & plethoram & impuritatem, quæ proxima morborum & motuum morbosorum est causa, ingignat. *Hoffm. Med rat. T. 2. p. 432.*

In nostro aphorismo recensiti morbi, qui Vere gigni solent, sunt triplicis generis; nam alii a sanguine redundante, eoque per spasmos

ad ſuperiores corporis partes congeſto, fiunt, cujuſmodi ſunt inſaniæ, melancholiæ, epilepſiæ, hæmorrhagiæ & anginæ. Alii a ſero ſtagnante & in partibus glanduloſis faucium & articulorum decumbente fiunt, ut gravedines, raucedines, tuſſes, arthritides. Quidam a viſcido, impuro & falſo ſero, ad ſummam cutem ejuſque glandulas protruſo & cutis texturam diſſolvente, enati ſunt, ut lepra, impetigines, puſtulæ ulceroſæ, tubercula. Primi ordinis morbi in ſanguineis, ſecundi ordinis in pituitoſis, & tertii ordinis in melancholicorum corporibus ſuſcitantur. *Hoffm. aër. intemp.* §. 14. Vere adhuc quidem in corpore viget pituita, ſed ſanguis increſcit, quod & frigora remittant, & imbres ſuccedant. Tuncque ſanguis augetur, tum ex imbribus, tum ex dierum calore. Eorum enim naturæ id anni tempus cum ſit calidum & humidum, maxime reſpondet. Quod hinc cognoſcas, quod homines verno æſtivoque tempore potiſſimum inteſtinorum difficultatibus corripiantur, iiſque ſanguis ex naribus profluat, & ſint maxime calidi & rubicundi. *Hippocr. de Nat. hom. n.* 13.

Inſania ſeu *Mania* dicitur omnis morbus, in quo obſervatur mentis aberratio vehemens cum furore & ſine febre; nam quoties febris adeſt, Phrenitis vocatur: ſed ſi ſit ſine febre, verum cum triſtitia & timore, *melancholia* dicitur: ſi vero abſit furor & febris, ſed fiat delirium cum manſuetudine, vocatur Fatuitas. Inſania & melancholia, qui morbi hic citantur, videntur ex eadem materia, hieme collecta, & Vere acriore facta, generari. Quando enim antecedente hieme materia tenacior, coloris nigri, quam Veteres vocant humorem

atra-

atrabilarium seu melancholicum, in vena portarum præcipue fuit retenta, ab accedente solis calore vernali tempore incipit solvi, & acrior fieri, sanguini venæ cavæ tradita fertur ad cerebrum, cujus actionem perturbat, ut homo mentis impos fiat; generaturque inde varia species insipientiæ, prout magis minusque fuerit exaltata & mutationem passa, ut inde fiat delirium sine febre, sed cum furore, vel cum tristitia & timore. In utrisque id agendum est, ut eo tempore, antequam melancholica liquata materia tradita fuerit sanguini venæ cavæ, educatur per viam huic materiæ naturalem, vel per venas hæmorrhoïdales, vel per alvi ductionem, ut forsan rami venæ portæ, quæ mesentericæ venæ dicuntur, se exonerent in intestina, vel forsan per ductum choledochum exoneretur; quare alvi laxantia, melanagoga dicta, in principio Veris data & aliquamdiu continuata, Maniam & Melancholiam prævenient, & natam compescent, citiusque cessare facient. *Epilepsiæ* vernalis causa est humor crudus, hieme collectus & vernali tempore liquatus, acrior factus, nervis applicatus, quo attactu partes inordinate & cum vehementia constringuntur. Hujusmodi epilepsiæ species, quæ satis commode ad mobilitatem vel passionem hystericam aut hypochondriacam potest referri, non est impossibilis curatu: qui enim stomachicis & anticachecticis hieme prævenit cruditatis generationem, & instante Vere diureticis ac diaphoreticis, id quod assimilari non potuit, evacuat, interim condit humores resinosis, balsamicis, ne formetur corruptela chronica, instantem epilepsiam non solum præveniet, sed & multos

 alios

alios morbos ex tali corruptione provenire solitos. *Sanguinis profusiones* qualescunque inprimis Vere frequentes contingunt, quia hieme confectus sanguis a vernali calore magis expanditur, & partes firmæ eodem calore relaxantur, magisque moventur; quare facile generatur ex hac abundantia & minori cohærendi potentia in solidis, ruptio vel dilatatio vasorum, & effusio contenti sanguinis: & inde est, quod hæmoptoïci in hoc tempore maxime periclitentur, nisi instituta venæ sectione prius tollatur illud abundans. *Anginæ* vernalis primaria causa videtur esse abundantia sanguinis: sed quoniam interdum varia est aëris tempestas, & hoc quoque tempore variæ possunt incidere anginam producentes causæ, tunc magis investigandæ causæ, quam naturalis constitutio vernalis, ut inveniatur proxima anginæ causa. Quid per *Gravedines* vel coryzas sit intelligendum, expositum est ad 2 *aph.* 40. Eas fieri etiam Vere posse, a muco crassiore, pituitaque lenta & gypsea Veteribus appellata, ex dictis ad 3 *aph.* 13. 14. colligi potest. Sed si corpus sit purum, & ver solitam mutationem sequitur, raro observantur Gravedines. Unde patet, nostrum auctorem voluisse adducere hos morbos, ut probet generale monitum (3 *aph.* 19), morbos omnis generis in quibusvis anni temporibus fieri posse. Idem sentiendum circa *Raucedines* (de quibus vid. 2 *aph.* 40.), atque *Tusses*, quæ irritatione laryngis concitantur: possunt quidem Vere incidere, sed ex naturali Veris constitutione non profluunt. *Gorter.*

Ad *Lepras* quod attinet, eas Hippocrates *Prædict.* *l.* 2. *n.* 49. ab atra bile fieri statuit. Celsus *l.* 5. *c.* 28. *n.* 17. referre videtur ad

primam

primam speciem Impetiginis. Non autem de lepra Arabum, quæ est Elephantiasis Græcorum, hic sermo est. Hodie Lepræ præsentiam declarant, 1. Pruritus, 2. Secessus squamularum (nam si furfures secedunt, Psora vocatur), 3. Cutis aspera & arida, & durior, ejusque fœditas. Excrescentibus & sæpe renovatis squamulis patet, hunc humorem esse tenacem & semivolatilem, ut fluidus maneat usque in cutis superficiem, sed ibidem subsistens, exhalante parte volatili, in squamulas concrescit: habet præterea acrimoniam, qua pruritum excitat. His temporibus si Vere duntaxat oritur, facile cederet alvi ductione cum mercurio dulci, & abstergente & mercuriali linimento aut lavamento, facile sanaretur, præcipue si insuper diebus a purgatione vacuis æger biberet apozema diaphoreticum resolvens. *Impetigines* in textu dicuntur λειχῆνες; sed quoniam impetiginis nomine a Celso *l. c.* alius intelligitur morbus, & leichenes Græcorum magis quadrant Celsi papulis (*ibid. n.* 18.), in cognitione & descriptione multum variant Auctores. Græci, & Hippocrates in nostro aphorismo, per Leichenes intelligunt talem cutis fœdationem, in qua summa cutis pustulis siccis admodum prurientibus exasperatur: qui morbus sæpe Vere conspicitur, sed & aliis quoque temporibus, cum materia, evacuanda per cutim, præcedente hieme retenta, nunc vernali tempore ad cutim delata, acrior facta, in cutis poris subsistens pruritum excitat: sed quia humor totus fere volatilis est, non relinquit squamas ut Lepra, neque furfures ut Psora, sed siccam & asperam pustulosam cutim; qui morbus leni abstergente antiseptico

facile ſanatur, quo reſiduum cuti inhærens aufertur. *Vitiligines*, ἀλφοὶ dictæ Hippocrati, apud Celſum *l. c. n.* 19. notant illam inprimis Vitiliginis ſpeciem, „ubi color albus eſt, fere „ſubaſper & non continuus, ut quædam „quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius, & cum quibuſdam inter„miſſionibus ſerpit. Μέλας colore ab hoc „(alpho) differt, quia niger eſt & umbræ ſi„milis. cætera eadem ſunt. Λεύκη habet quid„dam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & „altius deſcendit; in eaque albi pili ſunt, & „lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt: ſed „in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos & „Melas in quibuſdam variis temporibus oriun„tur & deſinunt. Leuce, quem occupavit, „non facile dimittit". Intelligimus itaque in aphoriſmo vitium cutaneum ut duo priora (quæ ſunt Lepræ & Impetigines), ſed quod neque ſquamas, neque puſtulas ſiccas aut duram aſperitatem facit, ſed relinquit cutim fere æqualem, verum ejus colorem immutat in fœdam albedinem. In hac ſpecie quoque videtur adeſſe humor lenteſcens, hiemali tempore confectus, calore vernali ad cutim delatus, ſed ſine acrimonia lenteſcens, in minimis vaſculis cutaneis ſubſiſtens exſiccatus. Hujus igitur curatio ſolis abſtergentibus & diaphoreticis abſolvi poteſt, non ita egens antiſepticis, ut priora duo genera. Hanc ſpeciem facilem curationem admittere, novit quoque antiquitas. *Gorter.*

De *Puſtulis ulceroſis*, quæ maxime vernis temporibus oriuntur, Celſus *l.* 5. *c.* 28. *n.* 15. ita tradit: „Earum plura genera ſunt. Nam modo circa totum corpus partemve aſpritudo

quædam

„ quædam fit, fimilis his puftulis quæ ex urti-
„ ca, vel ex fudore nafcuntur: ἐξανθήματα Græ-
„ ci vocant. eæque modo rubent, modo co-
„ lorem cutis non excedunt. Nonnunquam
„ plures, fimiles varis oriuntur, nonnunquam
„ majores. Puftulæ lividæ funt, aut pallidæ,
„ aut nigræ, aut aliter naturali colore muta-
„ to: fubeftque illis humor. Ubi hæ ruptæ
„ funt, infra quafi exulcerata caro apparet:
„ φλυκταίναι ἑλκώδεες Græce nominantur". Patet ex hifce, dictarum puftularum vernō tempore oriri folitarum alias ichore manare ulcerofasque effe, alias fine ichore effe. Materia puftulas illas faciens, præcedente hieme collecta, Vere ad cutim delata, lentoris naturam habere videtur; illa in poris cutaneis fubfiftens, ftimulo fuo parit puftulofas inflammationes, quæ in abfceffulos & dein in ulcufcula degenerant. Ut hujufmodi puftulæ præveniantur, conducit primo Vere mittere fanguinem, & ducere alvum antiphlogifticis; quibus etiam, fi natæ fuere, puftulæ curantur: & fi non facile cedunt, ablutione par lavamentum faponaceum acefcens, & dein refrigerans ac leniter adftringens facile evanefcent. *Tubercula* feu φύματα a puftulis magnitudine differunt; funt etiam tumores inflammatorii puftulis majores, qui interdum ovi gallinacei magnitudinem habent, ut phlegmone, furunculus, & fimilia tubercula limitata, quorum contenta materia in pus, vel lentam, tenacem, albam, vel flavam, vel fubnigram materiem tandem convertitur. Ex eadem materia, qua vel puftulæ, nafci videntur, fed majori copia in folliculis vel glandulis cutaneis collecta, Tubercula generantur. Prout natura eft materiæ collectæ, ita etiam

etiam est diversus tuberculorum exitus. Generale hoc habent, quod simili modo præveniri debeant, ut Pustulæ; sed nata Tubercula fortioribus suppurantibus sunt maturanda & fortioribus abstergentibus depuranda. Per *articulorum dolores*, ἀρθριτικὰ, num quicunque articulorum dolor, vel specialis morbus, quem hodie vocant Podagram, in aphorismo intelligi debeat, non satis constat. Podagram sane vernali tempore præcipue paroxysmum facere constans est observatio; sed & etiam aliis anni temporibus aggreditur: quare vera est quoque ex hoc morbo observatio generalis, qua constat, morbos omnes quidem in quibusvis anni temporibus oriri, etiamsi magis uno quam alio tempore anni observentur. *Gorter.*

Anne ex dictis constat, cur verno tempore subinde grassentur variolæ, morbilli, & scabiosi cutis affectus? An huic aphorismo contrarius est aphorismus nonus hujus sectionis, ubi Ver dicitur saluberrimum? Id negatur: nam ibi salubritas prædicatur de Vere, quatenus corporibus sanis, puris, congruit; in præsenti vero aphorismo sermo est de corporibus, quæ accumulatos habent peccantes humores, & ex his motis morbosa fiunt. Vel intellige vernum tempus morbiferum tunc, quando a temperie, quæ optimo veri propria est, desciscit, & vel nimia frigora adfert, vel nimiis caloribus ilico squalidum redditur; quando per varii generis causas humidius justo factum est, aut impuris effluviis refertum aërem corporibus circumfundit. Conf. *Schulz. de morb. vern.* Nota, quod morbi vernales magis de initio vel medio, quam fine veris intelligendi sint. *Wedel.*

APHOR.

APHOR. 21.

Τοῦ δὲ θέρεος ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

Æstate autem horum nonnulli, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, & vomitiones, & alvi profluvia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.

Celsus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 43. ita reddidit: *At æstas non quidem vacat plerisque his morbis* (verni temporis præced. aph. 20.); *sed adjicit febres, vel ardentes, vel tertianas, vomitus, alvi dejectiones, auricularum dolores, ulcera oris, cancros, cum in cæteris quidem partibus, tum maxime obscœnis; & quicquid sudore hominem resolvit.*

Morbi æstivi duplices dicuntur; alii a Vere præcedente; alii æstatis proprii. Dysenteriæ & narium hæmorrhagiæ ad priorem classem relatæ sunt apud *Hippocr. de nat. hom. n.* 15. ubi legimus, *quod homines verno æstivoque tempore potissimum intestinorum difficultatibus corripiantur, iisque sanguis ex naribus profluat, & sint maxime calidi & rubicundi.* Quibus verbis mox additur: *Æstate*

Æstate vero sanguis adhuc viget, & bilis in corpore attollitur, & in autumnum protenditur.

Ratio aphorismi videtur hæc esse: Æstate scilicet, ferventissimus solis æstus humores externos tenuiores aufert, internos residuos excoquit, qui, dissipatis mobilioribus, pressi in ultimis arteriolis, immeabiles, in solidis debilitatis sistuntur, corrumpuntur, acres evadunt, & lancinando ac inflammando, partim febres continuas, ardentes, partim tertianas exquisitas & nothas simplices & duplices vel etiam continuas, in cholericis præsertim & iracundiæ deditis, sique in diæta delinquunt, & auræ nocturnæ frigidiori sese committunt, suscitant: ab hisce excrementitiis, acribus sordibus, vomitus & alvi profluviorum origo est, in melancholicis vero intermittentes quartanæ magis conspiciuntur; in serosioribus vero salsæ impuritates ad partes extremas, utpote aures, fauces, oculos, pudenda propulsæ, intercepta simul transpiratione, lippitudines, aurium dolores, oris & faucium exulcerationes, pudendorum putredines & papulas sudorosas (ἵδρωα) faciunt. *Hoffm. aër. intemp.* §. 15. Papulæ istæ sudorosæ, seu *Sudamina*, Arabum *Alhasef*, exiguæ sunt, rotundæ, quasi miliares, rubræ efflorescentiæ seu eruptiones, cutem exasperantes, æstuante cœlo orientes, maxime post exercitia corporis, vel potum frigidæ, soloque pruritu frequenti molestæ comperiuntur, nisi introvertantur suscepto frigore, usu balnei frigidi, erroreve aliquo in rebus non-naturalibus commisso. Primum retrocessionis signum præbet cephalalgia cum calore præter naturam aucto: quo in casu statim est mittendus sanguis; sumenda laxantia, & victus præscribendus ex vegetabilibus

libus cum potu acescente. Vid. *Cleghorn Diseas. in Minorca p.* 219 *sq.* Notatu apprime digna est observatio, quod morbi, quos æstas profert, non tam siccitati & æstui primario & directe debeantur (nam æstas aliàs ob liberiorem perspirationem valde salubris est); sed quod gignantur, si corpora æstu nimis calefacta aëri frigidiori vespertino, qui frigido-humidus est, diutius committuntur, qui in locis humilioribus, declivibus & paludibus cinctis gravior & hinc majorem noxam infert. Et solet ejusmodi aër non tantum transpirationem, sed & alvum constringere, sique ex prava diæta cruditates in primis viis accedant, in promptu febres sunt, magno calore hoc tempore plerumque stipatæ. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 433. Æstate sudore madere, & auram frigidam captare, pestis est. Manant vi caloris æstivi copiosa ad cutim effluvia, & omnia liquida ad ipsam undulant impetu; aura frigida superveniente sistuntur, & ad interiora reflectuntur; hujusque perpetui refluxus causa statim veniunt febres, aut catarrhi, lassitudines, diarrhœæ, erysipelata, & mille morbi graves, qui per æstatem vagantur. Præterea, qui æstate nimium ardent propter externum calorem, vel minus, aut impatienter calorem æstivum ferunt: aut plenitudine humorum laborant, aut calido præditi sunt temperamento: qui vero temperate se habent, & calorem ferunt, contrariam prædictis naturam obtinent, & contrariam ad morbos dispositionem. Æstate fructuum esus, & tuendæ insensibilis transpirationis neglecta cura, sunt causa malorum: sed major pestis ab insensibili transpiratione suppressa per auram frigidam noctu diuque captam. *Bagliv. p.* 481.

Vo-

Vomitiones a calore æstivo obortæ, corrupta nempe bile ventriculum ad vomitum instigante, non sedandæ sunt per narcotica, sed promovendæ diluentibus abstergentibus, & saponaceis acescentibus, ut corpus liberetur ab hac corrupta bile; dein saponaceis acescentibus stomachicis præveniendum, ne nova fiat bilis corruptæ generatio & collectio in ventriculo. Sic etiam *alvi profluvia* seu diarrhæas acrimonia corruptæ bilis producit stimulans intestina ad egerendum, & sua putrefaciendi virtute omnes confluentes etiam humores in liquamen convertens, præcipue si æstas calidior simul sit humida, quando non solum fiunt diarrhœæ, sed etiam choleræ, de quibus testantur Observatores Practici istas fere semper intra Augusti limites contineri. De *ophthalmiis* vid. 3 *aph.* 11. Iidem autem humores acres, qui delati ad oculos dolorem movent, *ad aures* depositi simili modo excitant *dolores*, & quidem atrocissimos interdum, quoniam membrana meatum auditorium cingens acutissimo sensu est prædita, atque cerumen auris acrius factum doloris causa esse potest. Veteres ex smegmatis amarore ac flavedine existimarunt, morbos biliosos, qui maxime observantur æstate, præcipue afficere aures. *Oris exulcerationes* fiunt, quando saliva in os confluens acrior, epithelium oris corrodens, ulcus apertum facit; quod leniter adstringentibus, acidis, antisepticis est curandum. Cum vero maxima pars excrementorum, quæ putredini magis obnoxia sunt, ano & pudendis redduntur, ad *genitalia* ergo confluentes humores æstate, ab aëre calidiore præsertim *putredine tentantur*, fœtoremque contrahunt; quæ frequentiore ablu-

tione

tione per antiſepticum adſtringens, calefaciens lene curatur, quia pudenda minus ferunt refrigerantia quam oris exulcerationes. *Gorter.*

Aphor. 22.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι, καὶ πλάνητες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά.

Autumno vero etiam æſtivi multi, & quartanæ febres, atque erraticæ, & lienes, & hydropes, & tabes, & urinæ ſtillicidia, & inteſtinorum lævitates, & difficultates, & coxendicum dolores, & anginæ, & crebri anhelitus, & volvuli, & comitiales, & inſaniæ, & melancholiæ.

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 44. hæc habentur: *Vix quicquam ex his* (ſcilicet æſtivis morbis) *in autumnum non incidit: ſed oriuntur eo quoque tempore febres incertæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, quam Græci* φθίσιν *nominant; urinæ difficultas,* στραγγουρίαν *quam appellant; tenuioris inteſtini morbus, quem* εἰλεὸν *nominant. Fit item lævitas inteſtinorum, quæ* λειεντερία *vocatur; coxæ dolores, morbi comitiales. Idemque tempus &*

diutinis malis fatigatos, & ab æstate etiam proxima pressos interimit; & alios novis morbis conficit, & quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quæ per hiemen quoque exercent. Neque aliud magis tempus pestilentiæ patet, cujuscunque ea generis est; quamvis variis rationibus nocet.

Autumnales dicuntur morbi, tum qui æstati prægressæ debentur, quos acutissimos vocat Hippocrates 3 *aph.* 9. in prima autumni parte evenientes; tum qui a constitutione ipsa autumnali suscitati fuerint. Ab inconstanti & in horas mutabili atmosphæra pendere autumnales morbos, tradidit 3 *aph.* 4. naturam autem eorum *lib. de nat. hom. n.* 14. *Per autumnum modicus quidem sanguis gignitur, quod illius naturæ autumnus adversetur. Bilis autem æstate & autumno in corpore obtinet.* Adde Hippocr. 6. Epid. sect. 1. n. 30. ubi: *Ferinum autumno, & oris ventriculi dolores, & horrores, & atra bilis.*

Autumnus & experientiæ & omnium peritiorum Medicorum consensu morbosissimus est, certe non ob aliam rationem, quam quod ob inæqualitatem & crebram mutationem cœli, modo frigidi, modo humidi, modo calidi, multis & diversæ indolis vaporibus stipati, virtus elastica, quæ in fibris est, imminuatur, adeoque & libera & vivida sanguinis circulatio & sordium transpiratio imminuatur, earumque retentio in corpore augeatur. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 433 *seq.*

Sæpe sub autumnum (cum formosissimus annus,
Plenaque purpureo subrubet uva mero;
Cum modo frigoribus premitur, modo solvitur æstu)
Aëre non certo corpora languor habet.

Ovid. art. am. 2, 315.

Deri-

Derivari commodiſſime autumnales affectus poſſunt a ſanguine per calorem æſtivum condenſato, exuſto, in vaſis arterioſis minimis congeſto debilitatis, corrupto acrique facto; tum a perſpiratione inſenſibili per frequentem aëris mutationem ſufflaminata. Hinc enim in melancholicis, qui ſanguine viſcido abundant, ob relaxatum viſcerum tonum, perquam facile tumores lienis, hydropes, phthiſes, nec non febres quartanæ & erroneæ fiunt. In phlegmaticis vero, ſi impurum ſerum ad veſicam fertur, ſtrangurias; ad inteſtinorum membranas delatum crebras dejectiones (lienterias) vel etiam dyſenterias parit. Ubi autem ad articulorum ligamenta & ad ipſum os iſchii impuritas deſcendit, arthritidis & mali iſchiadici fit origo; in faucibus vero idem ſerum, quando decumbit, anginam & aſthma progignit. Quod ſi vero ſanguis craſſus, ob inferiorum partium ſpaſmos, rapitur ad caput, epilepſia, mania & melancholia in conſpectum veniunt. *Hoffm. aër. intemp.* §. 16.

Volvulus, εἰλεὸς, (Celſo *l.* 4. *c.* 13. tenuioris inteſtini morbus) eſt, quoties vehemens dolor occupat ventrem in eo loco, ubi hæret inteſtinum tenue, ileon dictum, qui hodie communi nomine colicæ paſſionis recipitur: ſed eſt ex colicæ paſſionis ſpecie graviſſimus & vehementiſſimus dolor, cui ſæpe adjungitur vomitus contentorum ex inteſtinis, cum alvo conſtipata pertinaciſſime, & ano ita ſæpe contracto, ut non admittat ſuppoſitorium. Quia vero ille dolor generari poteſt ab omni acrimonia, quæ in autumno acerrima generatur, maximeque determinatur propter minutam perſpirationem verſus inteſtina, hoc tempore

 fre-

frequentius quam aliàs generari poteſt volvulus. Ex dictis conſequitur, quod poſſimus circa finem æſtatis uſu medicamentorum reſolventium & moventium, corporiſque exercitatione frequente & modica, in principio autumni prævenire morbos ex lentæ materiæ concretione & collectione ad viſcera orituros; per roborantia & ſiccantia in phlegmaticis; & contra acrimoniam, quæ in inteſtina confluxit, leni purgante educendo materiam, vel & per ſudorifera aut diaphoretica humorem acrem derivando ad cutim. *Gorter.* Methodus prophylactica contra morbos autumnales manifeſto apparet, quæ ſcil. & fibras corroborare, ac debitam ſanguinis fluxionem conſervare poteſt; quibus nempe perſpiratio pergat ordinata probe & ſatis conſtans. Interponi vero debent eccoprotica quædam ſubinde, ad bilioſam colluviem evacuandam: hoc ſæpe alma molitur natura, eâ nempe gravata, diarrhœâ, cholerâ, ſeu dyſenteriâ, excitatis: quibus autem tempeſtiva rhei barbari doſis, repetita prudenter, occurrerit omnino, naturamque levaverit æque. *Huxham de aëre vol.* 1. *proleg. p.* XXIV. Bene tamen obſervat Chr. Vaterus, autumnum per ſe eſſe innoxium, & ſanitati æque proficuum, ac alia anni tempora, cum per accidens ſolum noceat cacochymicis, phlegmaticis, ſcorbuticis, melancholicis, hecticis, valetudinariis, minus vero ſanis & diætam obſervantibus. *Juncker Phyſiol. p.* 459.

APHOR. 23.

Τοῦ δὲ χειμῶνος πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, καὶ ὀσφύος, καὶ κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι.

Hyeme vero morbi laterales, pulmonum inflammationes, lethargi, gravedines, raucitates, tuſſes, dolores pectorum, & laterum, & lumborum, & capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ.

Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 44. *Hiems*, ait, *capitis dolores, tuſſim, & quicquid in faucibus, in lateribus, in viſceribus mali contrahitur, irritat.*

Ratio? Valde frigidum, velut nix & glacies, venas rumpere & tuſſes excitare ſolet. Humorum vero collectiones facit, quales ſunt oblongæ circa aures eminentiæ, a Satyrorum ſimilitudine Pherea dictæ, aut rotundæ, arborum quarundam tuberculis ſimiles, quæ Gongronæ vocantur. Quin etiam & corporis durities ſimul cauſa exiſtit. *Hippocr. 6. Epidem. ſect.* 3. *n.* 22 *ſq.* Per hiemem augetur in homine pituita, cum ea ex omnibus quæ in corpore inſunt, ad hiemis naturam maxime accedat, quod ſit frigidiſſima. *lib. de nat. hom. n.* 12.

Ab aëre gelido fibræ ſolidæ accurtantur, denſantur, roborantur, unde viribus auctis agunt in humores; qui ipſi quoque a frigore ipſo coguntur, denſantur atque in motu ſiſtun-

tur. Quare in iis, qui ſanguine craſſo redundant, præſertim ſi paulo ante corpus incaluerit, frigus hibernum ſanguinem in pulmonum vaſculis ſiſtit, & vel inflammationem ſuperficiariam, pleuritidem, vel profundiorem, peripneumoniam, inducit; in corporibus vero repletis & phlegmaticis frigus humores ad partes glandulofas retundit, ubi ſtagnans gravedinem, raucedinem & tuſſim adfert. At ſi illud ad membranas pellatur, tunc intra coſtas pleuritis ſpuria, intra membranas muſculorum rheumatiſmi, inque capitis membranis varii dolores reſultant. Sanguinei vero, præſertim ſenes & ſpongioſi corporis habitus, congeſtiones ſanguinis ad caput experiuntur, unde ejus dolores gravativi, vertigines, apoplexiæ, lethargi fiunt. *Hoffm. aër. intemp.* §. 17. Conf. Ejuſd. *Med. rat. T.* 2. *p.* 434. Qui ſunt valetudinarii, ſanitate infelices, aſthmatici, & natura debiles ob morbum, æſtate beneficio copioſioris tranſpirationis, ſalubrius vivunt: hieme vero vix incipiente ſtatim ægrotant tranſpiratione cohibita. Hieme ad præſervandum, præter ſobrietatem, tenuitatemque victus, purgationes mediocres per intervalla juvabunt, æſtatisque tranſpirationem compenſabunt. Si autumno vigeat apparatus calidorum, ſalinorum, & acrium humorum; deinde ſupervenit hiems frigida, & nimium aquilonaris; hieme, vel circa ver vagabuntur morbi pectoris acuti, ſcabies, ophthalmiæ, febriculæ catarrhoſæ, ſimileſque vel alii affectus, citius, aut tardius, prout æger complexione validus erit, aut debilis, magis, minuſve ſobrius, & viſceris alicujus intemperie affectus, vel non. *Bagliv. p.* 482. Frigus hyemale pectoris inprimis morbos producit, & nervis inimicum eſt. *Wedel.*

APHOR.

APHOR. 24.

Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε ξυμβαίνει· τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν, ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναὶ, ὤτων ὑγρότητες.

Per ætates hæc eveniunt: parvis quidem & recens natis pueris, ſerpentia oris ulcera, aphthæ dictæ, vomitiones, tusſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Quæ cuilibet ætati ſint familiares maxime morbi, hoc & reliquis hujus ſectionis aphoriſmis enarrantur. Præſentem de infantum affectibus Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46. ita expreſſit: *Infantes, teneroſque adhuc pueros ſerpentia ulcera oris, quæ* ἄφθας *Græci nominant, vomitus, nocturnæ vigiliæ, aurium humor, circa umbilicum inflammationes exercent.*

Intellige aphoriſmum de recens natis uſque ad ſeptimum circiter menſem, aut paulo plus, quo tempore dentire incipiunt, de quibus agitur aphoriſmo ſequente 25.

Cauſa affectuum infantilium formalis & materialis recte reponitur tam in habitu corporis laxo & molliori, quam in redundante ſuccorum pituitoſorum copia, admodumque delicato fibrarum & membranarum ſenſu. Etenim, quum in prima hac ætate ſolidæ partes, propter molliſſimam, qua gaudent, teneritudinem, fluida

non satis vegete possunt propellere, nec per tenuissimos canaliculorum ductus circumagere; facile inde potest sanguinis & humorum circuitus retardari, & saluberrimum excretionum negotium cohiberi: quod si accidit, non tantum succi magis magisque copia increscunt, verum etiam spissi evadunt, & crasin plane alienam, salino-acrem adsumunt. Ex tali humorum plenitudine non modo fiunt stagnationes, variæque fluidorum subsistentium corruptelæ, sed etiam a nervorum subjacentium pressione, aut distensione violenti concitantur spasmi, quorum vehementia omnes tam solidæ, quam fluidæ partes cum tota functionum œconomia perturbantur, & tenella infantum corpora, quæ ad recipiendas vel levissimas impressiones valde disposita sunt, in morbos & repentinos & vehementes conjiciuntur facillime. Supposita humorum pituitosorum abundantia & stagnatione facile potest concipi, quam ob rem ad crebriores defluxiones catarrhales, rheumatismos, pectoris oppletiones, liquidas alvi dejectiones, seu diarrhœas, tumores glandularum, aurium sordes humidas, & similes affectus tenera ætas sit proclivis. Supposita succorum depravatione & acrimonia, facile patet, cur frequentius aphthis variisque cutis exanthematibus pueruli afficiantur; & supposita demum exquisita nervosi generis sensatione, haud minus clare apparet, cur tam vehementibus partium tam internarum, quam externarum torsionibus ac spasmis torqueantur, si vel levissima irritationis causa præcesserit. Causa autem irritans tantum non semper in tenera ætate est acidum peccans, ex lactis in stomacho coagulo, corruptelaque acri; a

quo

quo irritatæ ſenſibiles adeo nervorum fibrillæ ſuſcitant ſubſultus artuum convulſivos, clamores, vomitiones, umbilici inflammationes, vigilias, pavores, imo etiam epilepticos inſultus. *Hoffm. Med. rat. ſuppl. p. 5 ſq.* Pueri aſſidue convulſionibus vexantur: ſed non admodum pereunt, quod illis uſitatum & familiare id vitium ſit. *Aret. de cauſ. acut. l.* 1. *c.* 6.

Omni dubio caret, quod in infantibus, qui ſolo adhuc lacte ac pultibus nutriuntur, frequentiſſime generetur ac copioſius colligatur mucus viſcidus & acidus præternaturalis, niſi in univerſa humorum maſſa, certo tamen in primis viis; quibus præſentibus, præſto ſunt cardialgiæ, ructus, flatus, borborygmi, tormina ventris, & cum hiſce complicatæ vigiliæ, inquietudines, clamores, nec non obſtructiones vaſorum lacteorum, glandularum meſenterii, indeque reſultans intumeſcentia & durities abdominis, reliqui corporis contabeſcentia, tandemque febre lenta & hectica ſtipata, nec minus in aliis pavores nocturni, quin ipſi inſultus epileptici & alia ſanitatis incommoda. Quibus præſervandis, ac tollendis, opitulatur radix Iridis Florentinæ in pulvere data: dum enim acidum hebetat, mucum reſolvit & abſtergit, flatus diſcutit, & alvum laxat, imo nonnunquam leviſſimum vomitum concitat, dolores compeſcere, obſtructiones reſerare, blandum ſomnum inducere, & ventriculum atque inteſtina, minera acri & viſcida morbifica liberare valet. *J. H. Schulze Diſſ. de radice Iridis Florentinæ. Halæ* 1739. 4°. §. 10. In infantibus caput quam maxime tam quoad externas, quam quoad internas partes patitur. Tunc enim variæ in facie exulcerationes, achores,

 favi,

favi, in ore aphthæ, in oculis & auribus humiditates, in narium cavo coryzæ obfervantur, nullaque ætas tam facile & promta ad concipiendam levi ex caufa, uti ex folo lactantis matris terrore, epilepfiam, quam hæc ipfa infantilis. *Hoffm. de æt. mut.* §. 11.

Sæpe recens natis media qui abſcinditur alvo
Omphalus, *acceptæ jucunda exordia lucis*
Turbat, & haud unum accerſit per membra dolorem.
Sive recens vulnus, ſeu non ſervata ligandi
Vulneris apta ſatis ratio preſſum arctius urit:
Seu queruli fletus, aut tuſſis anhela fatigat,
Infirmumque agitat crebro luctamine corpus.
Unde fit humorum partem concurſus ad illam,
Quæ dolet, atque ipſum teſtata rubore dolorem
Tota tumet, rapidoque ardens incenditur æſtu.
Sammarth. Pæd. l. 3. p. 45.

APHOR. 25.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν, οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ, διάῤῥοιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Ad dentitionem vero progreffis, gingivarum ftimulantes prurigines, febres, convulfiones, alvi profluvia, idque præcipue cum caninos dentes emittere cœperint, & iis, qui inter pueros maxime craffi funt, & alvos duras habent.

Celsus *l. 2. c. 1. p. 46. Propria etiam*, inquit, *dentientium, gingivarum exulcerationes, distentiones nervorum, febriculæ, alvi dejectiones, maximeque caninis dentibus orientibus male habent. Quæ pericula plenissimi cujusque sunt, & cui maxime venter adstrictus est.*

Intellige aphorismum de infantibus qui sunt inter mensem septimum vel octavum, & quartum circiter annum. Etenim sex menses natis incisores duo inferiores, paulo post superiores duo, tunc reliqui incisores prodeunt, his citius aliis tardius. Anno impleto exeunt canini & unus alterve molarium primorum, qui anteriores post annum secundum prodeunt ita, ut puer trium annorum quatuor incisores, duos caninos, & quatuor molares commonstret dentes in singula maxilla, dum septimo demum anno duos molares posteriores utrinque pariat. Sunt itaque utplurimum, antequam altera fiat dentitio, viginti quatuor dentes junioribus in ore. Quapropter si maxillas etiam neogenitorum videas, duodecim alveolos cum totidem folliculis rudimenta dentium continentibus numerabis. Secunda dentitio evenit post primam heptadem annorum, & quidem ita, ut incisores primum, prout antea prodierant, ita iterum defluant, primum inferiores duo, tunc octavo anno superiores duo, post reliqui, qui secundo anno emerserant, demum decimo, vel undecimo & duodecimo canini & molares reliqui excidant, ita quidem, ut duodecim tantum utriusque maxillæ dentes defluvium patiantur. Heptade secunda finiente, quatuordecim sunt in utraque maxilla dentes. Tertia durante heptade omnes molares proveniunt vegetis. Eadem finiente heptade concrescunt

epi-

epiphyſes & mutantur inſigniter oſſa & incrementum ſiſtitur; videas tamen præcoces alios, alios tardos. Habentur vero in adultis plerumque ſedecim alveoli in ſingula maxilla. Singuli alveoli junioribus ſunt duplices, & in quovis alveolo proprius latet dens. Vid. *J. E. Hebenſtreit Diſſ. de dentitione ſecunda juniorum. Lipſ.* 1738. 4°. In præſente aphoriſmo de prima tantum modo dentitione ſermo eſt definita intra ſeptimum circiter menſem atque quartum ætatis annum, ut dictum eſt. Licet vero hæc dentium eruptio opus & res plane naturalis ſit, infantibuſque nonnullis ſine ulla graviori moleſtia eveniat, pluribus tamen propter varia, quæ jungi ſolent, ſymptomata, ingentes creat moleſtias; unde dentitio difficilis ſuboritur, quæ non niſi tardior & dolorifica dentium ex maxillarum alveolis per gingivas eruptio eſſe ſolet, atque his maxime ſignis cognoſcitur: Infantes calore præternaturali exardeſcentes pavoribus tentantur, in ſomno, qui inquietus eſt, ſubſiliunt, ploratibus defatigantur & vigiliis, lac ex uberibus avidius ſugunt, ipſaſque mammarum papillas mordent, & manus ori crebrius admovent. Tum quoque gingivæ in anteriori oris parte intumeſcunt, tumentes aut albicant, aut rubent; ſaliva copioſius ad fauces deſtillat, ductiliſque lympha ex ore ſæpe pendet, & alvus vel obſtruitur, vel per diarrhœam colliqueſcit. Imo demum his ſymptomatibus junguntur alia, eaque longe graviora, ut fere ſunt acutæ febres, motus convulſivi & epileptici, graves maxillarum torſiones, & ſimilia: quæ tamen aliter atque aliter afficiunt, prout gradu ſolet differre ipſa dentitionis difficultas, & ſubjectorum ſenſibilitas.

tas. *Hoffm. Med. rat. ſuppl. p.* 28. In noſtro aphoriſmo recenſita ſymptomata conſtanti nituntur obſervatione. Nimirum ubi dentes ex infantium alveolis emergere cum ſufficiente ſoliditate incipiunt, haud parum gingivarum ſubſtantiam dentium explicationi reſiſtentem proritant & turbant, donec diſruptis fibrillis ſibi fores pandant. Hi autem motus inſoliti non poſſunt non vicinis continuatiſque ſibi partibus, ſimiles prioribus turbas excitare. Inter ea autem, quæ inducuntur, ſymptomata hæc ſunt frequentiora: febres, convulſiones & alvi profluvia, nempe non inducta (ut quidam volunt) ab humoribus peccantibus, ſed tantum a ſolido irritato, exſtimulato & per conſenſum affecto. Vid. *Rega de ſympath. p.* 251.

Adveolis ſurgunt venturi germina dentis,
Membranamque ſecant, cui dentis ſtamina ſubſunt,
Oſſaque maxillæ cingens perioſtion urgent,
Gingivaſque terunt vel acuta cuſpide lædunt.
Heu quantus labor eſt duros educere fœtus,
Oſſiculis reſerare viam, diffindere carnes
Et membranoſam dentis diſcindere capſam!
Inde *dolent pueri, feriunt vagitibus auras,*
Febre calent, ſitiunt, mammas naſcente fatigant
Dente, pavent ſomno, meconia fœtida purgant.
Haud paucos videas nervo ſaliente moveri.
Et veluti dentis naſcens ſub carne corona
Aut ſecat, aut pungit, vel lata comprimit ora,
Sic dolor aſperior pueros, vel mitior, urget,
Inciſore *minus* molitor, *ſed utroque*, caninus
Acrius infeſtat, nam, pro rationibus iſtis,
Vel minor eſt febris, vel plus intenditur æſtus,
Maxillis frendent pueri, ſpumante ſalivas
Ore movent, & utroque juvant molimine dentem,
Gingi-

Gingivam terit admorſus, ſed mollit eandem
Extinguitque ſimul febrem, ſpumoſa ſaliva.
Hebenſtr. de Hom. p. 155.

A *dentibus caninis* major ſenſus, quia illi ſunt acuti & prorumpendo plus lædunt. *Craſſiſſimi pueri* plus patiuntur, quoniam magis repleti, adeoque pluribus morborum fomitibus præditi, potiſſimum ſi *alvos duras habent*, nam a retentis, quæ excerni debebant, majus impendet periculum. *Hecquet.* Hinc Hippocrates *de dentit. n.* 2. *Quibus*, ait, *cum dentes erumpunt, alvus crebrius demittit, minus convulſione tentantur, quam quibus raro alvus ſubducitur.* Laceſſitis ob gingivarum pruriginem, atque dolorem vicinis ſalivæ canaliculis, ac glandulis, tanta hujus copia provenit, & a puerulis, utpote exſpuere neſcientibus, in ventriculum, & in inteſtina demittitur, ut his propterea laxatis, ſæpius non dyſenteria, ſed diarrhœa ſeroſa oboriatur: quæ etſi illud adfert commodi ut ſic plurimis ſtimulantibus particulis unà ejectis, nervorum diſtentiones, & comitialis morbus facilius arceantur, ſecundum ea quæ ab ipſo etiam Hippocrate (*loco jamjam adſcripto*) obſervata ſunt; attamen ſi omnem denique modum tranſeat, non eſt dubitandum (quod etiam indicat *Paulus l.* 1. *c.* 9.), quin ſit tantum a Medico minuenda, quantum ſatis ſit ne vires ita dejiciat, ut vitam ipſa in diſcrimen adducat. *Morgagni in Celſ. & Sam. Epiſt. p.* 102. Quibus in dentitione febris acuta accedit, ii raro convulſionibus tentantur. Qui cum dentitione, bene habito corpore permanent, gravi ſomno premuntur, periculum eſt ne eos convulſio prehendat. Quibus hieme dentes erumpunt,

punt, si cætera similiter se habeant, ii melius degunt. Non omnes dentibus erumpentibus convulsione tentati moriuntur, plerique etiam servantur. Qui cum tussi dentiunt, iis tardius dentes erumpunt, in ipsa autem punctione, magis extenuantur. Quibus dentientibus hiems supervenit, ii si diligenter curentur, dentitionem facilius ferunt, *Hippocr. l. c.*

APHOR. 26.

Πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι, παρίσθμια, σπονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, (στραγγουρίαι,) χοιράδες, καὶ τ᾽ ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

At iis paulum ætate progressis, tonsillarum inflammationes, vertebræ quæ ad occipitium est interiorem in partem impulsiones (luxationes), crebræ anhelationes, calculi, lumbrici teretes, ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, (urinæ stillicidia) strumæ, & alia tubercula, præcipue vero prædicta.

Apud Celsum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46. hic aphorismus ita legitur: *Ubi ætas paulum processit, glandulæ, & vertebrarum, quae in spina sunt, aliquo inclinationes, strumae, verrucarum quædam genera dolentia,*

dolentia, ἀκροχορδόνας Graeci appellant, & plura alia tubercula oriuntur.

Videtur, quod pueritia in hac tertia periodo, ab anno quarto ad decimum uſque & paulo longius, multis crudis abundet ſuccis, ob voracitatem nempe, ſolidorumque ſyntaxin laxam. Voracitas autem præcipua eſt puerilium morborum cauſa, nam replet ſuccis craſſis, & auguſtarum viarum parit obſtructiones. Et quia intempeſtive noventur pueri, mox a cibo, calculis veſicæ & aliis ſtranguriis obnoxii ſunt; tunc enim diſtributio fit inordinata excrementorum, per quam in anguſtas vias impinguntur quædam craſſa, in eas præcipue, quibus urina redditur, quippe corpus agitatur plurimum ſecundum renes & veſicam. *Valleſ. Com. in Hipp. de victu acut. p.* 595. Conf. *Duret. in Coac. p.* 342. Pueri uſque ad pubertatem maxime tonſillarum morbo tentantur: præcipue namque pueri multum frigidumque aërem inſpirant; quoniam in his plurimum caloris ineſt, & ad cibos intemperantes ſunt, & varia concupiſcunt, & frigidam potant, & excandeſcentes ac ludentes altius vociferantur. Puellis quoque uſque ad menſtruæ purgationis tempora hæc vitia uſitata ſunt. *Aret. de cauſ. acut. l.* 1. *c.* 9. Fibrarum veſicæ laxitas in pueris veſicæ calculum producit, quia nequit ingentem viſciditatum copiam, qua pueri ſcatent, oſcillando propulſare. Hinc hærentes ibidem diu, ac indebite, veſicæ *calculum* pueris familiarem pariunt. *Bagliv. p.* 363. Adde, quod pueri mictionis negligentes, diutius urinam retinere ſoleant. Ex humorum crudorum in vaſis redundantia, *glandularum* producuntur *infarctarum* morbi, variaque *tubercula*; ex quibus, qui

qui circa aures conſpicui, *ſatyriaſmi* dicuntur, nomine mutuato a Satyris, quorum repræſentant faciem quaſi cornutam. Unde apud *Hippocr.* 7. *Epidem. n.* 51. *pleriſque circa aures qualia Satyris oborta ſunt.* Aſthmata ſeu *anhelationes* ab infarctu pulmonalium vaſorum comprimentium fiſtulas aëreas. Ob ligamenta vero valde laxa adhuc & flexilia *luxationes*, in humeris præſertim & vertebris dorſi, & gibboſitates facile, accedente cauſa quadam externa violenta, proveniunt. *Hoffm. de aet. mut.* §. 11 *ſq.* Denique, ſimul ac infantes incipiunt uti cibis crudis, fructibus horariis, carnibus, caſeo, ſimilibuſque, *Vermes* oriuntur. Cauſam dant ova inſectorum, in aëre vel terra viventium, aſſumta, neque vi tenelli motus deſtruenda. Nidum dat pituita inteſtinalis, vel gaſtrica, in qua hærent, foventur, pariuntur, augenturque. Hinc raro in adultis, & in his modo torpidis, & leucophlegmaticis. *Boerh. aph.* 1359--1362. Quod vermium in pueris generationem concernit: quilibet naſcendo infans natum in ſe ſecumque animalculum adfert, aut ejus ſeminium, quemadmodum quælibet vegetabilium genera, ſua inſecta, ſingulareſque vermes habent: ut contendunt nonnulli cum Vallifnerio: ſed excluduntur in pueris magis ſeu frequentius animalcula, quod huic negotio magis faventes ſint ſucci ex ingeſtis magna copia crudis. *Hecquet.* Hippocrates (*l.* 4. *de morb. n.* 27.) lumbricos teretes aſſerit in puero gigni, dum adhuc in utero eſt, ex fæcibus alvinis, increſcente autem puero, lumbricum etiam ex his quæ in ventriculum ingeſta ſunt, in inteſtino increſcere. Conf. *Ettm. Oper. T.* 3. *p.* 628.

Signa patent manifesta mali. nam fœtor in ore est
Plurimus, interdumque animi vis aegra fatiscit.
Dormitat puer, & tremulis connivet ocellis,
Nec faciles carpit somnos, temereque sopore
In medio tremit exiliens, quatit arida tussis
Pulmonem, & nares prurigo molesta fatigat.
Sammarth. Pæd. l. 3. p. 51.

Intestinorum sinuosa volumina vermes,
Lumbrici teretes, *rodunt &* tænia *lata;*
Admordent illi minus hac crudeliter exta.
Omnibus est sua saevities; subtilia, morsu,
Vulnera perficiunt, lacerant immaniter exta,
Ingentesque cient motus convulsaque membra
Concutiunt, chylumque vorant sapidosque liquores
Praeripiunt, & in hospitium grassantur iniqui.
Parvula vermineae vivit prosapia gentis
Ad finem recti, propius sphincteribus ani,
Ac in muciparis haeret numerosa lacunis,
Teinesmum factura gravem sub limine recti,
Dum vacuas sterili pruritu concitat alvos.
Hebenstr. de Hom. p. 153.

APHOR. 27.

Τοῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

Adhuc autem ætate provectioribus, & ad pubertatem progressis, ex iis multa, & febres diuturnæ magis, & sanguinis ex naribus profluvia.

Hæc

Hæc sententia a Celso *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46. in hunc modum exprimitur: *Incipiente vero jam pube, ex iisdem* (in *aph.* 26. dictis) *multa, & longæ febres, & sanguinis ex naribus cursus.*

Hactenus *aph.* 24. 25. 26. de morbis puerorum a lacte nutricis, a dentitione difficili, a vitiis ingestorum in primis viis corruptorum, a cruditate humorum & vitiata lympha. Nunc de affectibus a rubra sanguinis parte derivandis, in ætate, quæ inter undecimum aut duodecimum, & decimum septimum aut decimum octavum, vel etiam inter annum decimum quartum circiter (quæ ætas pubertatis nomine venit) & vigesimum, quo temporis intervallo adolescentiæ periodus includitur. Solida jam magis oscillando vigent, impetu agunt in contentum vasis suis sanguinem, eumque copiosiorem, quo minus jam in incrementum elongationemque corporis absumitur, collata hac ætatis periodo cum præcedentibus; interim adolescente non cessante a voracitate, cui puer deditus erat, cui accedunt exercitia corporis vehementia; sanguis in suis vasis vel facit stases, unde *febres*, eæque *diuturnae*, magis ob majorem crudorum succorum copiam, vel paulo majori impetu (quam in præcedente hanc ætate) fertur ad caput, unde in adolescentibus dolores & exæstuationes capitis, aurium tinnitus, *narium* siccitates & *haemorrhagiae*, dolores quoque oculorum, imo interdum phrenitides, præsertim ab incitatiori ad studia impetu, vel gravi animi affectu, suboriri & hanc ætatem graviter infestare solent. Vid. *Hoffm. de æt. mut.* §. 12. Ubi Venerem exercere aut hircire incipiunt, tum sanguinis profluvio (e naribus) tentantur. *Hippocr.* 6. *Epidem. sect.* 3. *n.* 42.

Not. Morbus pueris pubeſcentibus ab anno 12 ad 14 omnibus per vitam ſemel ſaltem familiaris, a mammis oritur, querentibus illis & incuſantibus incubos, mammas ipſorum noctu ſugentes. Sorpriant quippe, pruriunt, protuberant & inflammantur eorum papillæ una cum areolis, idque haud ſine magno dolore, quin & excoriatione atque aliqua ductuum lactiferorum exulceratione, ut pueri ſæpe remedii deſiderio ardeant: quo certe melius non datur, niſi ut papillæ ſtrenue emulgeantur & ſerum iſtud albidum, quod intus eſt, iis exprimatur, quæ tunc ſponte ſua vel emplaſtro quodam reſolvente, v. g. de meliloto, oxycroceo &c. ſuperimpoſito iterum ſubſidunt & ſanantur. Ita J. G. H. Kramer, in *Com. Litt.* 1735. *p.* 236.

APHOR. 28.

Τὰ δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησί, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δὲ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ' ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θήλεσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

At magna ex parte pueris morbi judicatione ſolvuntur, partim quidem intra quadraginta dies, partim vero intra ſeptem menſes, nonnullis intra annos

annos septem, quidam etiam ad pubertatem progressis. Qui vero pueris perseverarint, neque circa pubertatem soluti fuerint, aut fœminis circa mensium eruptionem, diu perseverare consueverunt.

Hunc aphorismum Celsus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 46 *sq.* ita reddidit: *Omnis pueritia, primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. Si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœmina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt: sæpius tamen his morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur.*

Manifestum est, quod Celsus significet, spem esse non in sola pubertate, sed etiam in coitu, qui cum pubertate incipit: quasi crediderit, Hippocratem, cum solam pubertatem expresserit, coitum etiam intelligi voluisse. Idem Celsus de comitiali morbo, alio loco, eandem opinionem fovit, aliique cum ipso; imo fuerunt quidam Medici, qui impuberes quoque comitiali laborantes hortati sunt Venere uti intempestiva, tanquam sic pubertatis præsidium occupaturos, quare illos redarguit Aretæus. Vid. notata superius ad 2 *aph.* 45. Illud hic notari debet, quod in præsenti aphorismo tradatur ingenium morborum puerilium, eosque sponte solvi a natura dicatur certis ætatis periodis, quibus insignes contingere observatæ sunt mutationes, (subintellige, ni turbati fuerint, per medicationem inconditam, salu-

tares naturæ conatus), quarum ultima eſt tempus pubertatis incipientis & in fœminis menſtruorum eruptio, quod ſi tranſierint perſeverare h. e. diuturni fieri conſueverint. Cum pubertate nempe deſinit pueritiæ ſtatus, incipiunt novæ in ſolidis oſcillationes, & novæ in fluidis directiones, impetuſque contingunt novi, quorum opera emendati morbidi ſucci locum relinquunt ſanitati; in fœminis vero præterea per fluxum menſtruum novi aperiuntur morborum cauſis exitus. *Hecquet.* Et Plinius *l.* 7. *c.* 50. obſervat, quosdam morbos pubertate deponi, a fœminis præcipue. Potiſſimum de epilepticis motibus Hippocrates hoc paſſim aſſerit, quod per ætatem ſanentur, ab hac vero non abacti ægrius, vel plane non, tollantur. Vid. 2 *aph.* 45. & 5 *aph.* 7. Quam variis, difficilibus & contumacibus paſſionibus fœmellæ pubeſcentes, antequam menſium experiuntur profluvium, attententur, res tam clara eſt, quam quæ clariſſima; omnes tamen hæ affectiones, ſimulac tributum lunare perſolvunt, expirant, penituſque diſparent. Adoleſcentes crebrioribus nocturnis pollutionibus diu afflictos mirumque debilitatos novimus, qui nihil levaminis a probatæ aliàs virtutis præſidiis experti, ſimulac vigeſimum primum ingreſſi ſunt annum, leniſſimis remediis, maxima ex parte ſponte, ab hoc liberati ſunt incommodo. Pari ratione ſunt nobis inter exempla juvenes noviter matrimonium ineuntes, qui ſemen non continere potuerunt, ſed ad contactum fœminæ ilico dimiſerunt, elapſis vero aliquot annis, moleſtum hoc & in conjugio infeſtum pathema diſceſſit prorſus atque evanuit. *Hoffm. de æt. mut.* §. 24. Ergo ubi

ubi medica auxilia ab arte requirere videntur morbi pueriles, Medici erit præoccupare pubertatem, ut nempe omnis eo dirigatur labor, quò ante pubertatis tempus morbus pulſus ſit. Inprimis autem felici & fructuoſo labore curationem rebellium morborum, capitis præſertim & nervorum, medens aggreditur, quando inſtante hoc termino accedit, quo ſolidorum in melius fit ob ætatis rationem mutatio, ipſaque natura molimen ſecundat, uti maxime eſt, anno ſeptimo, decimo quarto, & vigeſimo primo. Quando vero ſuperatis his annis, infantiles, pueriles, vel juveniles morbi nihilo minus eadem perſiſtunt atrocia, nec ſolvuntur, certo eſt indicio, eosdem fore maxime diuturnos ac contumaces, quin plane inſanabiles. Artis vero operibus manum admoturus ſciat oportet, epilepſiæ, aliorumque gravium morborum curationem in ætate infantili & puerili, non tam in eo poſitam eſſe, ut per pharmaca fluidorum vitia, pravam ſcilicet qualitatem ac intemperiem, vel eorundem nimiam molem corrigat & mutet, quam potius, ut ſolidis partibus aliam ſcheſin ac texturam inducat, per congrua medicamenta & ſpecifica ſic dicta antepileptica, quæ tum certe non prorſus laude ſua defraudanda, eo quod in infantili ætate nondum adeo firmatus tonus ſolidorum, ſed emendationem facilius admittit, quam in ſeneſcentibus. *Ibid.* §. 28.



APHOR. 29.

Τοῖσι δὲ νεηνίσκοισιν αἵματος πλύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νουσήματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Juvenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, comitiales, aliique morbi, præcipue tamen prædicti.

Celſus *l.* 2. *c.* 1. *p.* 47. ita habet: *Adoleſcentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maxime objecta eſt: fereque juvenes ſunt, qui ſanguinem exſpuunt.*

Intelligitur ætas inter decimum octavum & vigeſimum octavum annum, vel etiam inter vigeſimum primum & trigeſimum quintum, qua periodo definitur plerumque Juventus; in qua elater ſolidorum & hinc dependens motus humorum vigent quam maxime: unde non ſolum oriuntur morbi memorati in præcedente *aph.* 27. ſed etiam, maxime ſi regimen vitæ accedat calfactorium, corpuſque abundet ſanguine, *ſputum ſanguinis*, quod ſæpe *tabes* ſequitur, *febres acutae* &c. Conf. 2 *aph.* 39. 5 *aph.* 9. 7 *aph.* 15. 16. Juvenes uſque ad florentem conſiſtentemque ætatem poſt ſanguinis rejectionem in phthiſin prolabuntur; inde ſaneſcunt quidem, ſed non facile. *Aret. de cauſ. diuturn. l.* 1. *c.* 8. In Juvenibus humores utplurimum faciunt impetum ſuperiora verſus. Videtur id pendere ex nimia vi, tenſione & elatere ſoli-

dorum & fluidorum in Juvenibus. Hinc febres ardentes in Juvenibus ſolvuntur per hæmorrhagiam narium. *Bagliv. p.* 350. Maxime autem Juvenum affectus in thoracis cavitate ſedem obtinent. In iis quippe, præter tuſſes ſiccas & defluxiones acres ſalſas ad epiglottidem & arteriam aſperam, hæmoptyſes, pleuritides veræ & ſpuriæ, vomicæ, tubercula pulmonum, abſceſſus, phthiſes, febres hecticæ, tabes, aſthmata convulſiva, cordis vehemens & crebra palpitatio ſeſe produnt. In juventute enim cordis & arteriarum major potentia motrix elaſtica ſyſtaltica ſuccreſcit, pulſus fit validior, ipſeque ſanguis magis attenuatur & inteſtino valde fervet motu, unde uberior ſanguinis calidi portio, quam promte & facile in arterias laterales, quæ ordinario lympham vehunt, urgetur, & vel ſtaſin ibi concipiendo firmam, vel nimium diſtendendo & aperiendo vaſcula, jam nominatos morbos excludit. Obſervatum quoque per frequentem diſſectionem corporum morbis defunctorum eſt, in juvenili ætate concretiones polypoſas, membranaceas in vaſorum cordi vicinorum cavitate, frequentiſſime generari & ad pectoris morbos, præſertim funeſtos & incurabiles, multum conferre, atque cordis contumaci palpitatione, pulſu inæquali, ſpirandi anguſtia, ceu certis indiciis, ſe prodere. Quod autem in juvenili & virili ætate familiariores fiant polypi, quam in aliis, hæc videtur ratio, quod tum validiori cordis & arteriarum impulſu, craſſiores & graviores ſanguinis & ſuccorum partes, longe facilius & arctius compingantur, coëant, concreſcant. *Hoffm. de æt. mut.* §. 13. Certa conſtat experientia, homines, qui habitus corpo-

 ris

ris gracilioris ac tenerioris, ſtaturæ proceræ atque ætate juvenes ſunt, a 18. ad 35. ætatis annum hæmoptyſi æque ac phthiſi valde eſſe obnoxios, vix aliam ob rationem, quam quod in hacce ætate vaſa ſint teneriora longeque facilius, quam quidem in provectioribus, expanſa diſſolvantur. *Hoffm. Med. rat. T.* 5. *P.* 4. *p.* 301.

Initium ſumit ætas juvenilis eo tempore, ubi homo in longitudinem excerſcere fere ceſſat, conſequenter, ubi parum in ſolida mutatur ex fluidis. Cum ergo prægreſſis annis notabiliter omnes excreſcere ſoleant, ſequitur, ut ingeſta tunc egeſtis fuerint longe majora. Adeoque ingeſtorum quantitas ubi vix minuatur in juvene, appoſitio vero notabili remittat modo, egeſtaque ut ante ſint eadem, conſequens erit, remanere partes in vaſis corporis noſtri pro differentia ingeſtorum ab egeſtis. Ergo majori hic adſunt quantitate humores, quam pro capacitate eſſe debebant vaſorum. Ergo fit ſtatus plethoricus, quem ipſa in Juvenibus confirmat experientia. Cum autem in ſtatu plethorico expanſio vaſorum major fibrarum illa componentium reſiſtentiam minuat; vaſa autem pulmonalia ſint ſumme tenuia, ſenſum fugientia, hæc præ aliis diſtendi conſequens eſt, inprimis in Juvenibus humores magis ſalino-ſulphureos, atque ſerum comparative in defectu habentibus. Quia jam in debilitatis Juvenum pulmonibus fluida mota difficulter moventur, ſequuntur hinc horum accumulationes ſeu congeſtiones: unde diſpoſitio ad pulmonum affectus; qui tamen pro diverſitate ipſorum juvenilium annorum, habitus corporis, vitæ generis, victus, diſpoſitionis hæreditariæ,

tariæ, climatis, temporis anni, ſtructuræ thoracis, pulmonum denique agitationis, ſunt magis, vel minus ſolennes. Quo magis vero virili appropinquamus ætati, eo magis cohærentes fiunt fibræ in toto corpore, ergo magis reſiſtitur copiæ & elaſticitati ſanguinis in pulmonibus, & hinc remittunt congeſtiones humorum, adeoque nec morbi pulmonum tam facile & frequenter recrudeſcere queunt, quam quidem circa initium annorum juvenilium. Habitus corporis gracilis in Juvenibus, quatenus cum eo juncta eſt ſemper quantitas ſanguinis major, ſero quidem magis privati, per conſequens calor major, auget diſpoſitionem ad morbos pulmonum. Temperamentum ſanguineum, nec non cholericum, præ reliquis fovet dictam diſpoſitionem. Vitæ genus auget humorum quantitatem, debilitatem in vaſis, inprimis in pulmonibus, adeoque etiam diſpoſitionem ad pulmonum mala. Victum lautum, & plenum, comitatur plethora, & diſpoſitio ad affectus pulmonum. Diſpoſitio hæreditaria; clima calidum & humidum, vel calidum & ſiccum; tempus æſtivum, item vernum & autumnale, debilitatem in pulmonibus augent, admittunt congeſtiones, adeoque augent diſpoſitionem Juvenum ad pulmonum morbos. Cavum thoracis modo anguſtatum, modo depreſſum, aëre inprimis calidiore, auget eandem diſpoſitionem. Maxime omnium Juvenes buccinatores, cantores, ejuſmodique homines, quatenus non niſi ſummo impetu aërem ex profundo pulmonum elidunt, hincque pulmonibus debilitatem conciliant, diſpoſiti ſunt ad affectus pulmonum. Sequior ſexus a diſpoſitione juvenili ad morbos pulmonum immunis eſt, quamdiu legitime procedit fluxus

fluxus menſtruus, ut per quem minuitur ſanguinis quantitas excedens, ergo quoque plethora. Si vero intercepta per aliquot menſes fuerint menſtrua, diſpoſitio ad pulmonum morbos in iſto quoque ſexu ſuccedere poteſt, inprimis ultimo geſtationis tempore, ubi reſpiratio, ob copiam humorum nimiam atque expanſionem pulmonum nimis debitam, non niſi difficilis & anxia eſt. Quia enim abdomen poſtremis geſtationis menſibus maxime eſt expanſum, liquido patet, deſcenſum diaphragmatis eſſe præpeditum, pulmones ergo debito modo expandi nequeunt, unde nimia fit vaſorum pneumonicorum expanſio, quam excipit eorundem debilitatio, adeoque & diſpoſitio ad affectus pulmonum. Vid. *Cloſ. de Juven. diſpoſ.*

De *epilepſia* tenendum eſt, quod non ſit proprie morbus juvenilis ætatis, ſed puerilis; vid. *aph.* 24. & 25. 2 *aph.* 45. hujus ſectionis. Hinc etiam ipſe Hippocrates *lib. de morb. ſacr. n.* 13. obſervat, quod hic morbus poſt vigeſimum ætatis annum non amplius prehendat, aut certe paucos, aut nullum, niſi pueritiæ fuerit familiaris. Si vero in aphoriſmo noſtro intelligatur ea convulſionis ſpecies, quæ in puellis refertur ad Paſſionem hyſtericam, omnino hujus morbi in hac ætate frequens eſt obſervatio; nam fœminæ menſium ſuppreſſione, vel & profluvio, laborantes, ſæpe tentantur inſultibus epilepticis, quem morbum hodie referunt ad ſuffocationem uterinam, etiamſi omnes characteres epilepſiæ habeat. *Gorter.*

APHOR. 30.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην, ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

His vero qui hanc ætatem ſuperarunt, crebri anhelitus, morbi laterales, pulmonum inflammationes, lethargi, phrenitides, febres ardentes, diuturna alvi profluvia, choleræ, inteſtinorum difficultates, & lævitates, hæmorrhoïdes.

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 1. *p.* 47. hic aphoriſmus ita expreſſus eſt: *Poſt hanc ætatem* (juvenilem) *laterum & pulmonis dolores, lethargus, cholera, inſania, ſanguinis per quædam etiam velut ora venarum, αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant, profuſio.*

De ætate hic ſermo eſt conſiſtente (ſeu virili vulgo dicta) inter Juventutem & Senectutem media; in qua notantur morbi a congeſtionibus ſanguinis, qui ſtaſes paſſim facit, unde in pectore pleuritides, aſthmata, peripneumoniæ; in cerebro lethargus & phrenitides; in vaſis ſanguineis febres ardentes; in inteſtinis alvi profluvia, choleræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoïdes. Circa hos autem affectus notari debet, quod non omnes ſoli virili ſint proprii ætati, ſed inter eos etiam recenſiti

Juve-

Juvenibus evenire foliti; qui eft mos Hippocrati in hifce. De cholera hoc teftatur Aretæus *de cauf. acut. l. 2. c. 5.* quod inter ætates juventa, & ea quæ robuftior eft, eo morbo fere corripiantur: feneftam rariffime: pueros magis quam fenes, fed non mortifere. De dyfenteria Idem *de cauf. diut. l. 2. c. 9.* hæc habet: „Difficultas inteftinorum viris & juvenibus „contingit. Senectus vero ægre medicabilis „eft, & ad ducendam cicatricem longum tempus „requirit. At ulcera exedentia fenibus inufitata, „fanguinis vero profufio fenectæ eft conveniens. Alterum hic notandum eft, quod non omnes narrati morbi omnibus æque fubjectis contingant, fed alii aliis, juxta cujufvis temperiem & vitæ rationem. *Viris inteftinorum difficultates & alvi profluvia, febres algidæ, & hibernæ diuturnae, puftulae multae nocturnae epinyctides dictae, & fanguinis profluvia per ora venarum quae in ano funt, haemorrhoïdes vocantur. Morbi autem laterales, pleuritides dictae, & pulmonum inflammationes, febres ardentes, & quicunque acuti morbi cenfentur, raro contingunt. Neque enim ejufmodi morbi, ubi alvi liquidae fuerint, invalefcere poffunt. Hippocr. de aër. loc. & aq. n. 4.* Poft annos juveniles fequuntur viriles, qui communiter a trigefimo quinto ad quadragefimum nonum computantur, a nonnullis ufque ad quinquagefimum fextum, imo nonum protenduntur. Hac in ætatis periodo fummus vigor & valor partium folidarum, promtior quoque fuccorum progreffivus motus & calor intenfior, unde fit, ut accedentibus aliis caufis externis fanguinem nimium commoventibus, vel etiam fubito in motu fiftentibus, febres inflammatoriæ, acutæ, ardentes, phreniticæ, eryfipelaceæ, arthri-

thriticæ, nephriticæ oboriantur. Hoc quoque temporis spatio, ob increscentem, perfecto jam corporis incremento, succorum copiam, in dispositis sanguis per hæmorrhoïdalia vasa effertur, minusque rite exsolutus, varia inducit incommoda, moliminum hæmorrhoïdalium nomine passim nota. *Hoffm. de act. mut.* §. 14. Excretio sanguinis per venas sedales a motu ejus impedito per abdominis viscera & inde facto infarctu, distensione & subsequente spasmodica contractione, quæ ordinario fere præcedere solet sanguinis effusiones, dependet. Qui impeditior sanguinis circulus per mesenterium & intestina uti ordinario in omnibus subjectis, ita maxime debilis est in senibus provectioris ætatis hominibus, præsertim hypochondriacis. *Hoffm. de morb. incongr.* §. 3.

In virili ætate dum sanguis magis redditur compactus, hic in vena portarum facile colligitur, totamque venam portarum turgere facit, & quoniam ita lentescens nigrum sibi comparat colorem, existimarunt Veteres esse bilem atram (*saltem ita vocabant*). Collectus ita in vena portarum hujusmodi sanguis, quia hæc vena caret valvulis, istis in partibus, ubi rami portarum minus sunt fulfulti, ut circa anum, primo tumere incipiunt non raro cum dolore; dein pergente impletione & distentione harum venarum, venæ tumentes ruptæ sanguinem nigrum fundunt. Quod autem seniores, quibus etiam lentus est sanguis, rarius corripiantur hæmorrhoïdibus, intellectu est facile, quoniam ad hanc collectionem sola non sufficit tenacitas ex concretione per minorem motum, verum compactus majoribus viribus vitæ, & quædam etiam abundantia, quæ junctæ causæ senibus

raro contingunt. *Gorter.* *Per haemorrhoïdes* (ait Hippocrates *lib.* 6. *Epid.* *sect.* 5. *n.* 41.) *Velut quiddam atrae bili affine effluit.* In Græcia & tota Asia hæmorrhoïdes æque frequentes erant viris, quam apud nos periodicæ evacuationes menstruorum fœminis; fæces illis instar lapidum duræ erant, & quia eas summo nixu debebant exprimere, inde fiebant hæmorrhoïdes; vasa tunc fiunt amplissima, & fabricant plures nodos; & quo sæpius fiunt illi nixus, eo ampullæ illæ fiunt majores; si fluant illis hæmorrhoïdes, optime se habent; si non, ægrotant. *Boerh. morb. nerv. p.* 603.

APHOR. 31.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης, καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

At senibus spirandi difficultates, destillationes tussim inferentes, stranguriæ, urinæ difficultates, articulorum, & renum dolores, vertigines, apoplexiæ, mali corporis habitus, totius corporis pruritus, vigiliæ, alvi, & oculorum, & narium humiditates, visus hebetudines, glaucedines, auditus graves.

Juxta

Juxta Celsum *l.* 2. *c.* 1. *p* 47. *In senectute, spiritus & urinae difficultas, gravedo, articulorum & renum dolores, nervorum resolutiones, malus corporis habitus,* καχεξίαν *Graeci appellant, nocturnae vigiliae, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, praecipueque soluta alvus, &, quae sequuntur hanc, tormina, vel laevitas intestinorum, caeteraque fusi ventris mala.*

Recensentur hic morbi familiares ætati, quæ incipit cum quadragesimo nono vel quinquagesimo sexto anno. Dividitur *senectus* plerumque in tres periodos, quarum prima a quadragesimo nono aut quinquagesimo sexto ad sexagesimum tertium usque ætatis annum porrigitur, & *viridis* vel *florida* communiter, sive *vegeta*, item *cruda*, vocari solet; eo quod hac decurrente, vires plerumque satis constant, parumque imminutæ observantur. Secundam seu *mediam* sexagesimi tertii & septuagesimi anni termino includunt, qua actionum & functionum vigor notabile patitur decrementum. Et tertia denique, quæ *decrepita* audit, a septuagesimo ad octogesimum annum & ultra prorogatur, & cum ipsa vita terminatur, ita, ut eadem robur sensim mirifice atteratur, vires consumantur, corpus animusque vacillent, donec mors omnia extinguat.

Sed quam continuis & quantis longa senectus
Plena malis! Juvenal. X. 190.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, & inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Horat. Art. Poët. 169.

Obrepit canis rugosa senecta capillis,
Secum multa trahens incommoda corporis, atque
Mentis: nam vires abeunt, speciesque colorque:
Nec non deficiunt sensus: audire, videre
Languescunt, gustusque minor fit: denique semper
Aut hoc, aut illo morbo vexantur, inermi
Manduntur vix ore cibi, vix crura bacillo
Sustentata meant: animus quoque vulnera sentit,
Desipit, & longo torpet confectus ab aevo.
Paling. 2. Zod. l. 6. v. 716.

Vitia senectuti familiaria a solido minus ad vitam apto magna ex parte dependent; ob fibrarum maturitatem nimiam, atque inde natam, pro vario temperamenti ac fluidorum statu cujuscunque hominis, vel crispaturam ariditatemque excedentem, vel relaxationem, & atoniam ob longum fluidorum per eas cursum, ac fere attritionem; ea ratione qua vestes longo usu attritæ flaccescunt, ac relaxantur. Et quoniam in senibus universum fere solidorum systema atonum, flaccidumque est, hinc quasi semiparalytici, & ad motum inepti observantur; fluxionibus, catarrhis, similibusque ex laxitate morbis nimium obnoxii. *Bagliv.* p. 361.

Parcior est senibus nutritio: corpora marcent,
Denegat officium motori fibra rigescens:
Hinc pereunt vires, infirmo viscera nisu
Vitales subigunt succos, jacturaque lucrum
Quotidie superat, decrescunt robora motu,
Machina dum propriis se destruit acta ruinis.
Hebenstr. de Hom. p. 66.

Vivere nostrum siccescere est: & major pars corporum curis, vino, Venere, ætatis & annorum

norum curſu ſquallet primo, deinde ſiccefcit. Ideo apparuit ſæpe & conſtitit certis ſignis, eos celerius ſeneſcere, qui magnis ſpirituum, humorumque per intemperantiam impenſis factis, fibras rore ſuo orbatas ad celeres rugas, ad immaturam nempe ſenectutem diſponunt. Quales rugas, & ariditates extra in cute ſenum videmus, tales quoque internis in partibus ſupponere cum ratione poſſumus. Ob naturalem hinc fibrarum in ſenibus reſiccationem, deficiente in illis vivida oſcillatione, & in fluidis elaſtico motu, ac fermentatione (puta jugem inteſtinum motum), varii humores inter ipſarum ſpatia congeruntur, qui ſtagnando ibidem, nec manentes amplius ſub poteſtate circulantis ſanguinis, catarrhos, articulorum dolores, tumoreſque, laſſitudinem, virium debilitatem, vigilias, inappetentiam, alvi ſiccitatem, & quamplures alios moleſtos morbos producunt. Et ſæpe licet non multum periculoſis afficiuntur morbis, virium tamen languore, qui a ſolidorum reſiccatione, fluidorumque vappiditate pendet, nec non ab ætatis miſeria, oppreſſi difficulter liberantur. Quoniam vero ſenſationes per contactum, & impulſionem fibrarum fieri animadvertimus, dum hæ nimium reſiccantur, ſenſus impreſſiones objectorum vix percipiunt, vel ſi percipiant, ad cerebri ſedem difficulter, vel tarde admodum propagant. Qua de cauſa in ſenibus interni & externi ſenſus debiles ſunt ac languidi; ætateque confecta, memoria perit, ratio hebeſcit, & a puerorum natura parum differre decrepiti obſervantur: qui pariter in extremæ vitæ ſtadio, quoniam tenor, & vis naturæ, partiumque omnium compages paulatim ſolvitur, ob quandam naturæ maturitatem magis, quam ſuffoca-

tionem moriuntur. *Bagliv. p.* 414. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. *Plin. l.* 7. *c.* 50. Tunc oculi explanari incipiunt, & ingruere presbyopia, neque modica lux ad videndum ſufficit; ſurdaſtri fiunt; paulo poſt corpus incurvatur, ut caput inter humeros reconditum ſit, totuſque homo facile duabus unciis brevior fit, quando vertebræ dorſi, compreſſis & in tenuem oſſeam cruſtam mutatis ligamentis intervertebralibus, in unum os conferruminantur & ſpinam abbreviant. *Hebenſtr. Anthrop. for. p.* 145. Senes ob vaſa lymphatica, quæ oculorum tunicas ac humores contentos & formant & nutriunt, contracta & detumeſcentia, myopes evadunt, ac vitri convexitatem ſuccedaneam poſtulat bulbi planities nimia, radiis lucidis rite colligendis impar. *Battie Princ anim. p.* 161. Scilicet ipſum corpus bene ſanum per actiones a vita ſana inſeparabiles ſenſim ita mutatur, ut fibræ minimæ rigidiſſimæ fiant, vaſcula autem tenuiſſima concreſcant in fibras concretas, & humoribus non pervias, vaſa majora dureſcant, arctenturque, omnia autem ſimul contrahantur, compingantur, concreſcant ſibi invicem, unde ſiccitas, immobilitas, imminutio ſenilis. Hinc vaſculorum minimorum munera deſtruuntur, humores in iis ſtagnant, lenteſcunt, coaleſcunt inter ſe, & cum canalibus propriis, adeoque ſubtiliſſimi deficiunt, coctio debilitatur, reparatio deficit, craſſiores per ſola majora vaſa lenti decurrunt, & vitam ſolam absque animalibus actionibus ſuſtentant, unde tandem mors ſenilis per has mutationes accidit inevitabilis, & ex ipſa ſanitate ſequens. Quæ

igitur citior accidet, si actiones vitæ sanæ violentiores fuerint; tardior, si moderatiores. *Boerh. I. M.* §. 1053 *sq.* Conf. *ibid.* §. 467 *sq.* & *Matthiæ Phil. Med.* p 179. 181 *sq.* *Mors* ista *senilis*, *fatum senile*, *mors naturalis*, *mors sine morbo*, venit ob ariditatem, exsiccationemque solidorum, & salsedinem atque vappiditatem liquidorum. *Bagliv. p.* 478. Sensim pereunte animalitate, sola tantum quasi vegetatio quædam in senibus superest, solæ venæ & arteriæ maximæ sunt conspicuæ, & compressis seu abolitis vasis in cerebro, ac simpliciter quiescente, repleto & impedito corde, afficiuntur comate, & tandem lethargo, aut apoplexia, unde placide moriuntur, vel inter loquendum efflant animam sine ullo cruciatu: quod mortis genus, εὐθανασίαν appellans, sibi & suis precabatur Augustus Cæsar. vid. *Sueton.* in ej. vit. *c.* 99. Equidem nullo genere mollius moriuntur, sed nec diutius. Jam vero si cui contigit, ut illum senectus leniter emitteret, non repente avulsum vitæ, sed minutatim subductum, næ ille gratias agere diis omnibus debet, quod satiatus ad requiem homini necessariam, lasso gratam, perductus est. *Senec. epist.* 30.

Fœmina venturæ memor est per signa senectae,
Desinit ire cruor, sterilescit languida matrix.
Serior est maribus languor, viridisque senecta
Sufficit ad validos motus, & sæpius illis
Grata juventutis facies internitet annis,
Et Veneres illis rident Charitumque cohortes;
Ast ubi continuo procedunt tempora lapsu,
Denique fibra riget, procedere nescius haeret
Sanguis & obsequium menti praestare recusant
Organa, dispereunt sensus, maciesque per artus

 Cum

Cum languore venit, Græci dixere Marasmum,
Igniculi pereunt, pereunt in corpore vires,
Et, sommi specie, mors vitae vincula solvit.
Hebenstr. de Hom. p. 158.

- - - - - - - - natura marasmo.
Deficit & lentae præludit frigora mortis.
Ibid. p. 216.

Marasmi (*μαρασμὸς exsiccatio*, à *μαραίνομαι marcesco*) seu Tabis genus esse senectutem, ostendit partium senescentium siccitas, durities, deficiensque flexibilitas atque elaterium, quæ vitia nata sunt a vasorum confidentia, seu tubulorum, quibus constant carnes, coarctatione. Cum autem pleni sint illi tubuli succis, hi a parietibus illorum versus se convergentibus, compressis, pellentur aliorsum, nempe ubi minus sentient resistentiæ. Versus cutem nequeunt, quia vasa cutanea compressa fiunt magis magisque atque affluxui humorum resistunt, testantibus siccitate & rugis, unde pendet imminuta transspiratio. Ergo ferentur versus vasa maxima, versus cor. In vasis maximis itaque sanguinis copia erit eo major, quo minor ejus per vasa cutanea consumtio; augebiturque illa tanto magis, quanto lautius senes epulabuntur: nam repletioni vasorum non respondet eorundem depletio. Hinc intelliguntur morbi senibus familiares, ex imminuta perspiratione, ab accumulatione humorum in vasis majoribus, & aucta resistentia in solidis, unde illorum stases, stagnationes. Sed a præpedito circuitu liquida lentescunt, acresque evadunt: inde vero pendent non solum stimulus ad vesicam & renes, dysuria, stranguria, calculus, ischu-

iſchuria; ſed quoque generatio muci ad bronchia, difficilis reſpiratio ſeu anhelatio, catarrhi, ac, ſi ſiccitas augeſcit, aſthmata ſicca, ſpaſtica. Juxta *Hoffm. Med. rat. T. 4. P. 1. p.* 562. generatio ſenilis hecticæ ſic nobis concipienda eſt. Senes ob vitam motus expertem & excretiones in omnibus emunctoriis, præſertim ſubcutaneo, langueſcentes, alvumque tardiorem, omiſſam etiam ex vano metu haud raro ſuetam ſanguinis miſſionem, ingentem ſubinde ſanguinis & impurorum humorum ſibi colligunt copiam: hac præſente, tardiſſimus fit ſuccorum per meſenterium, omentum, per hepar quoque, lienem & inteſtina progreſſus, vaſa farciuntur, obſtruuntur, ſequuntur indurationes & demum corruptiones, febrium chronicarum pernicialium genitrices paratiſſimæ.

Inutilem vaporem per anguſtiſſimos cutis meatus in ſenio haud ſatis perſpirare, cadaverum eorum, qui ætate ſunt confecti, inciſiones demonſtrant; quæ interiores arteriarum partes oſſea materia hic illic obductas, adeo ut reſiliendi vim fere amiſerint, interdum oſtendunt. Quin & ora ductuum naturalium, ad cartilaginis duritiem confirmata, in hujusmodi caſibus ſæpe reperiuntur. *Mead. Monit. p.* 11. Conf. *Hiſt. ac. r. ſc.* 1706. *p.* 24 *ſq. Breſl. Samml.* 1723. *Febr. p.* 195. Hinc haud obſcura eſt ratio pulſus arteriarum intermittentis in decrepitis. Vid. *Boerh. I. M.* §. 827. Unde non mirum, quod ab impedita cordis evacuatione & æquilibrio inter cor & arterias ſublato, reſiſtentibus arteriis omnemque ſanguinem a corde preſſum admittere renuentibus, oriantur palpitationes. A ligamentis, cartilaginibus,

offeis factis, oriri ancylofes feu immobilitates articulationum, facile etiam concipimus. Vid. *Boerh. I. M.* §. 478. *Hamel Hift. p.* 546. *Hift. ac r. fc.* 1699. *p.* 50. *Vefling. Epift. p.* 90. Quia inde evadunt fenum artus inflexiles, inprimis extremi, infuper vero cervix ac dorfum incurvata, patet quare Terentius *Adelph.* 4, 2, 48. de fene decrepito per convicium dicat *filicernium*, nempe quod filicem jam cernat. Eleganter apud *Tibul. l.* 8. *el.* 5.

——— *Venit tardo curva fenecta pede.*

Ab anno ætatis quadragefimo nono, in fexu præfertim fequiori, notabiliter jam decrefcit ac minuitur vis fyftaltica vaforum infimi ventris; neque amplius prodit menfium fluxus, ceffatque vis generativa; unde varia hyfterica pathemata cum cachexia oboriuntur. Nimirum uteri ftamina primum marcefcunt aut arefcunt. Inde preffa vaforum latera, connivent & arctantur, a fuisque capacitatibus decidentia advectam fanguinis confuetam molem refpuunt, quæ alio retropreffa, malorum, quæ a retrogradis menfibus contingunt, dat origines. Hinc abfcedentibus menfibus fuccedere fluorem album frequens eft, purpureo enim rore viduatæ uteri partes lympham plorant; nimium arefcendo fe contrahunt, quemque fanguinis loco altius imbiberunt & cumulatius, fuccum nutritium exprimunt & eructant. Sed pulfus fic & ejectus ab utero fanguis, doloribus & malis corpus omne fternit. Ad hepar, *icteri*; ad lienem, *fcirrhi*; ad mammas, *carcinomatis*, ad glandulas, *ftrumarum*; ad pulmones, *afthmatis* & *tabis*; ad nervos, *fpafmi* fomites

&

& materiem vehit. *Hecquet de purg. Med. p.* 288. Hydropis etiam ſpecies ovaria mulierum annoſarum ſæpe occupat. Vid. *Boerh. aph.* 1223. In viris, præſertim ab anno 56 ad 63, lentior fit ſanguinis circuitus per hepar & ſanguinea corporis viſcera, ac non modo in fœminis, ſed & viris, exſurgunt illi morbi, qui a motu lentiori & ſegniori progreſſu ſanguinis per viſcera eorumque ab humoribus ſtagnantibus infarctu proficiſcuntur. In viris maxime, qui antea hæmorrhoïdali fluxui adſueti eundem non amplius experiuntur, pullulat *nephritis, calculus renum, icterus, colica convulſiva, cachexia, hydrops, quartana, morbus niger, hæmorrhoïdes cæcæ*, vel etiam *nimium fluentes, mictiones cruentæ*, nec non *apoplexia.* Poſt annum ſexageſimum tertium, ad ſeptuageſimum ſeptimum & qui ſequuntur annos, tonus ſolidorum longe magis frangitur, partes incipiunt ſicceſcere, rigeſcere, tubulique anguſtari. Hinc vero perſpiratio minuitur, remanent impuri ſucci, quibus ſanguis & ſuccus nutritius inquinatur, & ingens fit acrimoniæ ſalinæ proventus, qua ſerum imbuitur, ut morbi ſeniles & decrepitæ ætati familiares pullulent, quales ſunt *marcor cum rugis, ſcabies ſicca, pruritus circa anum, virium languor, dyſuria, ſtranguria, teneſmus, veſicæ calculus, impotentia virilis, podagra nodoſa.* Quin ſuccreſcit ſenſim *dyſcraſia ſcorbutica* adeo corruptiva, ut partes extremæ in ſenibus etiam leviter læſæ, facile tangantur *ſphacelo*, vel hic etiam ſponte oriatur. *Hoffm. de æt. mut* §. 14. 15. *Ulcera* & præcipue *cancrum*, in ſenibus maxime fieri aſſerit Celſus *l.* 5. *c.* 28 §. 3. *p.* 319. De cancro effœtæ ætatis conf. *Boerh. aph.* 495.

Herpete exedente corpora ſenilia tentari, & in cruribus maxime, ſcribit Celſus *l. c.* §. 4. *p.* 121. In ſenibus interſtitia membranarum celluloſa ut in toto corpore, ita præcipue inter cutim & ſubjectas partes humore pingui minus replentur, ſed rugæ ſeniles formantur: unde ob pinguedinis defectum vaſcula exhalantia & pori cutis contorquentur, curvantur, comprimuntur. Quibus ſuppoſitis, jam facile reddi poterit ratio, cur in ſenili ætate ſcabies ſicca, ſerpigines cum intolerabili pruritu, herpes miliaris &c. præcipue ſint familiares. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 5. *p.* 192. *Aphthas* ſenibus evenire notavit *Boerhaave aph.* 991. De ſphacelo ſenilium corporum merentur legi quæ adfert *Hoffmannus Med. rat. T.* 4. *P.* 5. *p.* 62. 65.

Senibus frequens ac familiare eſt malum, quod omnia in ipſorum ventriculo coaceſcant, *ructus acidi* cum *ſoda* & *anxietate* moleſtiam faceſſant, ac rodentes dolores circa præcordia percipiantur, fæcibus albis & cum difficultate ſecedentibus. Deducenda hæc affectio eſt ex lentiori ſanguinis per hepatis viſcus progreſſu, & parciore inde facta biliosi humoris ſecretione, cujus beneficio acidum, quod cum alimentis ventriculum ac inteſtina ſubit, ita contemperatur, ut nervoſis membranis roſione moleſtum eſſe nequeat. Frequentes *alvi dejectiones*, cum *abdominis torminibus* & *teneſmo* ſive continuo egerendi conatu ſtipatæ, ab hepate male affecto ortæ, ſi non maturo conſilio componuntur, non raro in ſenibus, ſi arthritici, podagrici, vel hæmorrhoïdarii fuerunt, in funeſtam inteſtinorum eroſionem deſinunt. Senibus atque de-

decrepitis familiare quoque, quin tantum non ordinarium vitium est *intestinorum lævitas*, adeo ut levi laxante stimulo, vel alimento sale acri imbuto, aut dulci fermentescibili assumto, ad alvum sæpius deponendam solicitentur. Pullulat hæc affectio ex læsa hepatis functione, quandoquidem accumulata nimis in senili corpore, ob pleniorem victum, vitæ otiosum genus, & perspirationem parcius succedentem, sanguinis copia, qui difficulter per imi ventris viscera potissimumque hepar trajectus, & in vasis meseraicis nec non intestinalibus stagnans, non modo ad tormina intestinorum ætati gravibus solennia, sed etiam crebriores alvi dejectiones disponit; ad quam alvi lubricitatem multum quoque confert, ipsa intestinorum, ob denegatum laudabilis sanguinei & nervei liquidi influxum, suborta atonia. *Hoffm. morb. ex hep. vit.* §. 21. 22. 23.

Permultis observationibus confirmatum est, in senibus decrepitis sexaginta, septuaginta, octoginta annorum cystidem felleam pluribus & durioribus etiam calculis refertam fuisse. Ratio? Progressus sanguinis per venas meseraicas, per portæ venam & hepar, uti secundum naturam & consuetudinem semper paulo tardior & difficilior est quam in aliis visceribus: ita in iis qui vitam colunt sedentariam, cujus generis præcipue sunt ætate confecti, longe segnior & difficilior redditur, unde ob impeditiorem sanguinis per hepar progressum fit, ut partes aqueæ & fluidæ in vasa secedant lymphatica, remanente & sanguinis & biliosi humoris, qui ex eo separatur, crassiori substantia. *Hoffm. Med. rat. T. 4. P. 2. p. 265. Calcu-*

lorum

lorum autem generationi *in renibus* & *vesica* sub proveѕtiori ætate, præsentibus in corpore humoribus crassioribus, multum patrocinatur alvus pigrior, cum otio. Vid. *ibid. p.* 365. *Stranguria* in senibus, præter stimulum ab acrimonia, aut calculo, deduci etiam potest a deleta actione musculorum urinam exprimentium juxta ea quæ habentur apud *Boerh. I. M.* §. 367. *Dysuria* & *ischuria*, cum rigiditatem partium urinæ secretioni & excretioni servientium, tum destructam glandularum renalium texturam, nec non calculum & pituitam, pro causa agnoscunt utplurimum in senili corpore. Vid. *Ibid.* §. 821. 822. *Frequens mictus nocturnus* ab ætate provecta pendens, derivari potest vel a laxitate singulari fistularum renalium, vel a perspiratione imminuta. *Ibid.* §. 993. A sero vitioso, perspirationeque sufflaminata, qui proveniunt senibus arthritici affectus & dolores, longævitatem promittunt: dum arthriticis & podagricis paroxysmis re vera criticis, humores excrementitii, impuri, senectuti familiares, corporique infensi, hac ratione expurgantur: si vero incaute tractantur, vel ipsa natura, per senium & morbi vim debilitata tandem fatiscit, atque ad serum acre impurum, quod artuum doloribus materiam subministrat, per criticum & febrilem motum ad extremas partes & ambitum corporis propellendum, redditur inidonea, tum materia peccans in corpore remanens nervosas & membranaceas ventriculi & intestinorum tunicas infestat, ventrisque tormina efficit: quæ si interna inflammatio excipit, ægri vel subito e medio tolluntur, vel successive marasmo aut hectico calo-

calore, vires ipſamque carnem defurante, conſumuntur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 517. 544. Conf. *Boerh. aph.* 1273.

Quum *catarrhi*, *tuſſes*, &c. utplurimum pendeant a ſecretionibus hic illic adauctis, & a nervis circumliniente muco denudatis, patet, quod ſenes iis affectibus apprime ſint opportuni, quippe in quibus jam coaluerint plurima vaſa; quæque in officio adhuc manent, calloſa ſint, minuſque contractilia: ex eo autem quod trunci pauciores habeant ramos, & rami jam rigidi & calloſi parum ſe opponant pervadenti fluido, efficitur ſecretio liberalior. *Simſon de R. M. p.* 121. Ubi quinquageſimum annum exceſſerint, deſtillationes ex cerebro ſuperveniunt, quæ homines aliqua corporis parte reſolutos reddunt, ubi caput derepente ſoli expoſitum, aut frigore correptum fuerit. *Hippocr. de aër. loc. & aq. n.* 4. Tuſſiculoſa atque frigida ſenilis eſt ætas, inquit *Cæl. Aurelianus Acut. morb. l.* 2. *c.* 13. Unde & βήξ γεροντικὴ, pro tuſſi contumaci & rebelli, apud Græcos in proverbium abiit. Sunt enim ſenes, ob caloris naturalis defectum, ſolutiorem ſtomachum, tranſpirationem imminutam, humorumque corruptionem, βηχικοὶ, πνιγηροὶ ϗ ὑγροὶ, hincque *gravedine frigida & frequenti tuſſi quaſſantur*, ut Catullus loquitur *carm.* 42; unde ſcreatores fiunt, quia tuſſi debent pituitam ex vaſis majoribus eliminare. Ex laxitate ſeu potius atonia iis contingit nimiæ ſalivæ in os affluxus, ut colloquentibus conſpurcent faciem; quemadmodum ex vitio laxitatis nimiæ in glandula lachrymali, aut ob acrimoniam materiæ lachrymoſæ, *oculi lippientes* & lachrymantes in ſenili

ſenili cernuntur ætate. Vid. *Boerh. I. M.* § 838. Hinc etiam *Juvenalis Sat.* X. 199. ſenibus *madidi infantiam naſi* adſcribit. Uti demum omnes ætate gravibus tam interni quam externi ſenſus; ita viſus quoque & auditus admodum debilitantur: & cum nervi membranæque ſenſoriorum in iis rigidiores non ſatis rore imbuti ſunt ſubtiliſſimo nerveo; auditus pariter organon ad motum aëris tremulum percipiendum minus exiſtit idoneum. *Hoffm Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 168. De apoplexia ſenum privatim agit 6 *aph.* 57.

Elegantiſſima ſenectutis deſcriptio, allegorico ſermone, reperitur in S. Literis, *Eccleſiaſt.* XII. 1 *ſeqv.* quæ quidem eruditis commentationibus illuſtrata eſt in *Chriſt. Warlizii Valetudinario Salomonæo Medico-Sacro, Lipſiæ* 1708. 8°. *Wedel Exerc. Cent.* 1. *Dec.* 3. *n.* 3. *Gœlicke Hiſt. Med.* p. 63 *ſq. Jo. Dan. Majoris de Ærumnis gigantum in negotio ſanitatis Diſp. Med. Kiliæ* 1676. 4°. *c.* 1. §. 24 *ſq. Journ. Sav.* 1708. *ſuppl. p.* 236. *an.* 1709. *p.* 95. *Clerc H. M. p.* 85. *Mem. Trev.* 1737. *p* 1856. Aſt nemo ſtyli ænigmatici felicius ſuperavit difficultates, quam quidem *Richardus Mead,* inclutiſſimus Medicus, in *Sacr. Med cap.* 6. Haud ab inſtituto meo alienum exiſtimavi, ſi textum ſacrum cum doctiſſimi viri expoſitione coronidis loco hic exhibuero.

„ Sapientiſſimus Rex enumerationem facien- „ do malorum, ſenes prementium, a mentis „ erroribus incipiens, *Tenebreſcit,* inquit, *ſol* „ *atque lux & luna & ſidera*: h. e. perceptiones „ animi in ſenibus ſunt minus vividæ, rerum- „ que ideæ & imagines confunduntur, ac memo-

„ ria

„ ria deperditur; unde intellectum vim suam „ paulatim amittere necesse est. (Sapientia „ enim & intelligentia *lumen* saepe in sacris li- „ teris vocantur; contro vero *tenebris obduci*, „ & caecutire dicuntur, quibus rerum notitia „ eripitur.) *Redeunt post pluviam nubes:* curae ni- „ mirum & molestiae aliae alias insequuntur, & „ assidue senio confectos premunt; sicut in „ humidis regionibus & tempestatibus obno- „ xiis, etiamsi exhaustae videantur nubes, suc- „ cedunt mox aliae, & pluviae recentes per- „ petuo fere ingruunt. Haec autem incom- „ moda eo fiunt graviora, quo vires animi ad „ ea sustentanda, aut depellenda minus nunc, „ quam olim, idoneae redduntur. Jam a „ mente ad corpus Rex transit. *Domus*, in- „ quit, *custodes trement*, & *nutabunt milites*, & „ *cessabunt imminutae molae*: nervorum scilicet „ resolutio manus ac genua infestat; hinc il- „ lae injuriis propulsandis, & innumeris vitae „ usibus, ad quos natura sunt instructae, in- „ habiles evadunt; haec vero oneri sustinen- „ do imparia agilitatem suam amittunt, flexu- „ que vacillant. Dentes item molares aut „ excidunt, aut corrupti pereunt; ita ut pau- „ ci ad cibos duriores conficiendos amplius „ restent. *Caligabunt spectantes per meatus*; h. „ e. Oculorum acies deficit. *Claudentur fores* „ *extrinsecus*, *cum exili sonitu molae*. Sicut se- „ nes propter appetitus imminutionem labra „ sua rarius, quam olim, aperiunt; ita ob „ dentium ad cibos comminuendos defectum „ sonitu etiam minori id faciunt. nam cum „ ciborum confectio a senius non dentium, „ qui jam perierunt, sed gingivarum fiat ope-

„ ra,

„ ra, ſonitu leniori peragitur. *Surget ad avis* „ *vocem*: h. e. ad primum galli cantum ſenex „ expergiſcitur; appetitus enim imminutio, „ cibique faſtidium, plerumque aufert ſom- „ num. *Caſſæ erunt omnes muſicæ puellæ*: h. e. „ auribus non tantum ſonorum oblectamentum „ fruſtra quæritur; ſed, quod multo eſt mo- „ leſtius, voces etiam alloquentium haud fa- „ cile percipiuntur. *Alta & illiſus in via time-* „ *buntur.* Etenim ut ſenes, in via plana & „ æquali ambulantes, membrorum imbecilli- „ tate inſtabiles agunt greſſus; ita in aſperam „ & fragoſam incidentes, tactûs torpore haud „ tempeſtive ſatis præſentiunt, quin ſi de- „ preſſior ſit titubandi, ſi altior ceſpitandi ac „ pedem offendendi, periculum adeant. Non „ immerito igitur, ut timore iſto perculſi, „ hic repræſentari videntur. *Florebit amygda-* „ *lus*: h. e. ſenes tanquam in perpetua hieme „ conſtituti, verni & æſtivi temporis gratiſſimos „ odores, ex plantis ac floribus emiſſos, haud „ amplius percipiunt. (hieme autem florere „ hanc arborem ex *Plinio* diſcimus, qui de illa „ tractans *l.* 16. *c.* 25. *floret*, inquit, *prima om-* „ *nium amygdala, menſe Januario.*) De canitie „ ſenum hæc a pleriſque explicantur, quam „ per albos amygdali flores denotari volunt: „ iis autem obſtat, 1. quod non ſit credibile, „ prudentiſſimum Scriptorem ſilentio præterire „ voluiſſe ſenſum olfactus, quum quatuor alio- „ rum ſenſuum defectus in præcedentibus depin- „ xerit; 2. quod crines albi pro certo & indubi- „ tato ſenectæ indicio minime cenſeri debeant, „ cum non paucos, qui vel in media ætate, „ viribus corporis nondum affectis, caneſcunt,

„ re-

„ reperire liceat; 3. quod amygdali flores non
„ album, sed purpureum colorem exhibeant.
„ *Oneri erit locusta*, h. e. hernia, tam illa, quæ
„ devoluto in scrotum intestino, aut omen-
„ to fit; quam quæ, distrahente eam partem
„ humore nascitur. In utraque autem tumor
„ exoritur. Cum locusta comparatur infestus
„ hic morbus; deforme enim est illa animal-
„ culum, ex solo fere abdomine constans,
„ &, inprimis cum ovulis suis gravescit, scro-
„ tum, hernia tumefactum, cum parte virili
„ referre quodammodo dici potest. *Peribit*
„ *appetitus*; scilicet ad illa, quæ vigenti con-
„ gruunt ætati: nam, ut dixit Ovidius Amo-
„ rum l. 1. eleg. 9. vs. 4. turpe senilis amor.
„ *Abrumpitur argentea catena*; h. e. spina dorsi,
„ imminuta in dies musculorum & ligamento-
„ rum vi, aliquid de sua stabilitate deperdit;
„ hinc senex erectus stare nequit, & pronum
„ in terram, qua brevi tegendum erit, cor-
„ pus inclinat. Assimilatur autem spina dorsi
„ catenæ argenteæ, quia vertebræ, ex qui-
„ bus constat, quasi annuli sunt, & in poste-
„ riorem partem, incurvato corpore, pro-
„ minent; quin etiam medulla, quæ per has
„ fertur, argentei sive albidi coloris reperi-
„ tur. *Quassatur guttus aureus*: h. e. destilla-
„ tiones humoris ex capite in nares, fauces,
„ & pulmonem senes vexant; quæ profluenti
„ ex quassata ampulla, vel gutto, aquæ assi-
„ milantur: propter dignitatem vero capitis
„ aureus dicitur guttus. *Urna frangitur ad sca-*
„ *tebram*: h. e. fœdum urinæ stillicidium assi-
„ due molestiam creat; vesica enim propter
„ resolutum suum sphincterem, quasi fracta

„ ad fontem urna, urinam ad debitum tempus „ retinere nequit. *Conquaſſatur ad foveam currus*: ſanguinis nempe ipſius curſus interrumpitur; unde ſpiritus difficultas, apoplexia, „ aut lethargus ſenes occupat; & cor, vitæ „ principium & fons, vi ſua defectum jam „ concidit, *& in foveam labitur quaſſatus currus*. „ Ignorabant quidem Veteres ſanguinis circuitum; at vitalem hunc humorem huc illuc „ per corpus aliquo modo moveri, viſcera „ & membra calore ſuo fovere, frigidum „ denique circum præcordia in morte concreſcere, neſcire non poterant". H. J.



APPENDIX

APPENDIX

Continens Corollaria ad ultimos hujus Sectionis Aphorismos, quibus agitur de morbis ætatum.

1. Morbi hi ante pubertatem non fiunt, peripneumonia, pleuritis, podagra, nephritis, varix circa tibiam, fluor sanguineus, cancer non congenitus, vitiligo non connata, defluxio in medullam spinalem, hæmorrhoïs, tenuioris intestini morbus (*chordapsus*) non a natura insitus. Horum morborum nullus ante pubertatem metuendus est. Ab anno autem decimo quarto ad quadragesimum secundum usque, natura omnis generis morborum corporis ferax est. Rursus vero, ab hac ætate ad annum sexagesimum tertium, neque strumæ fiunt, neque vesicæ calculus, nisi antea occupet, neque in spinalem medullam defluxio, neque nephritis, nisi ex alia ætate sequantur, neque hæmorrhoïdes, neque fluor sanguineus, nisi prius adfuerit. Atque hi morbi ad senectutem usque absunt. *Hippocr. Coac. sect.* 3, *n.* 395 *sq.*

2. Ætas autem hic, non ex annorum numero, neque ex liquidorum indole, sed ex solidorum conditione definienda est. Ætatis enim mensura est partium agilitas, aut virium potentia; quæ venit a molli partium elaterio seu systaltica vi, quæ solidis propria est. at sub senectute, quæ tabis genus est, humore defectæ partes durescunt, & a sua flexibilitate de-

ſciſcentes, de elaterio perdunt. *Hecquet. de purg. Med. p.* 278.

3. At tamen quemadmodum corporis noſtri compages certum requirit tempus ut formetur, ut ad exitum ex utero diſponatur & ad perfectionem perducatur; ita etiam ejuſdem in interitum mutatio certo temporis indiget intervallo. Quum enim nulla in rebus corporeis mutatio ſine motu & certa motuum quantitate fiat & abſolvatur; tempus vero nonniſi menſura & duratio motuum ſit: facile ſane pateſcit, notabiles mutationes certis ſeſe exſerere temporibus, non quod tempora & anni id efficiant, ſed quia ad effectum certi & determinati motus deſiderantur qui tempus conſtituunt. Inprimis autem conſtantis obſervationis eſt, ita machinam noſtram ejuſque partes eſſe conſtructas, ut ſeptenarius numerus iis ſit veluti criſimus, cum quo notabilem ſemper & illuſtrem, nonnunquam cum ſanitatis periculo junctam, mutationem ſubeant: ſic ter ſeptima hebdomade fœtus ſeſe movet in utero, ſexies ſeptima paratus eſt ad exitum, ſeptimo menſe infans dentire incipit, ſeptimo ætatis anno infantia clauditur & dentes decidunt, decimo quarto menſtrua puellis veniunt, ſemenque in virilibus teſtibus generari incipit, vigeſimo primo debitam corpus nanciſcitur ſtaturam, & reliqui anni tantum ad robur ejusdem acquirendum & animi perfectionem impetrandam inſerviunt: donec converſo itinere, iterum ad decrementum ruat, & ſeptimo ſeptenario menſium fluxus cum generandi potentia ceſſet, nono vero ſenectus incipiat, vires notabiliter labaſcant, corpus contabeſcat, memoria debilitetur, ſenſuum vigor pereat,

ad

ad capitales chronicos morbos, ex viſcerum obſtructione oriundos, diſpoſitio fiat, & hac denique ſenſim incrementa capiente, ipſa mors ingruat. Quapropter quum decretorii hi, per ſeptem conſurgentes temporum articuli, vitam humanam, quaſi per gradus agant: neutiquam dubitandum eſt, contingere ſub iisdem in partium ſolidarum ſtructura, fluidorum motu omnibuſque corporis noſtri functionibus, notabilem mutationem; licet eadem in quibuſdam nonnunquam præcedente, nonnunquam inſequente anno, eveniat. Accedit, quod firma experientia conſtet, climactericas has ætatis noſtræ periodos, interdum vitæ fatales eſſe, nec ſine grandi periculo decurrere. Videlicet infantes ſeptimus menſis in haud leve diſcrimen adducit ob dentium eruptionem, quæ eos non ſolum graviſſimis doloribus excruciare, ſed etiam ita interdum affligere ſolet, ut pereant; id quod etiam de decimo quarto tenendum, quo prorumpentes canini, longiores & acutiores dentes, letalia non raro concitant ſymptomata; quinimo dimidio primi ſeptenarii, intra tertium nempe & quartum annum, molares ſi exitum affectant, lentis ſæpius febribus tabeſcunt. Septimo anno non ſolum ob carnis gingivalis laxitatem os fœtet, dentes nigri & carioſi evadunt ac tandem excidunt, ſed etiam lumbrici circa hoc tempus uberius gignuntur & gravius corpus infeſtant: decimus vero quartus fœminino ſexui maxime eſt infeſtus, quo, menſibus erumpentibus, lividi coloris fiunt, laſſitudo cum lento calore corpus occupat & ciborum oritur faſtidium. Præterea uti anni, vigeſimus primus ad trigeſimum quintum, juvenibus multum periculi important ex hæ-

moptysi & phthisi; ita quadragesimus nonus tantam fœminarum corporibus inducit mutationem, ut plerumque mensium fluxus penitus subsistat & inde varia hysterica pathemata cum cachexia oboriantur. Ætate ingravescente, sexagesimo tertio nempe anno, sanguinis progressus per viscera abdominis tardus fit & segnis, eaque propter in sanguineis & sensibilioribus metus est apoplexiæ vel asthmatis convulsivi, in aliis cachexiæ, calculi renum, podagræ & colicæ spasmodicæ, quæ sexagesimo nono ætatis anno quam plurimos necant. Decrepita ætas mala maxime patitur circa vesicam, dum stranguria, urinæ stillicidium, mictus cruentus, vesicæ calculus & exulceratio vires atterit & valde consumit, quibus accedit facillima hisce annis ad sphacelum, tam internarum quam externarum partium, dispositio, quam subita tandem mors excipit. *Hoffm. Opusc. T.* 1. *p.* 266 *sq.* Ex annis dictis climactericis seu gradariis præcipue formidari solet ut nocentissimus, sexagesimus tertius; observatum enim aiunt in multa hominum memoria expertumque, in senioribus plerisque omnibus cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique gravioris aut vitæ interitûs, aut animi ægritudinis. Vid. *A. Gel. l.* 15. *c.* 7. *l.* 3. *c.* 10. Sed hæc sunt ethnicorum hominum nugæ & somnia, ab otiosis Pythagoreæ disciplinæ sectatoribus, & superstitiosis numerorum æstimatoribus ad nos derivata: nam sexagesimus quartus, quintus, sextus, & alii deinceps magis æstimandi sunt, quam tertius, climacterici, decretorii & malefici, quia summo diei propinquiores: neque observatur, vel Hippocratem, vel Galenum, vel alium inter

Veteres

Veteres gravem Medicinæ auctorem annorum climactericorum in monumentis suis commeminisse. Quare masculе & christiane Maximilianus II. Imperator cuidam gratulanti, quod climactericum annum excessisset, respondit: *Omnes vitæ suæ annos sibi climactericos esse.* Notati tamen sunt plurimi tertio & sexagesimo extincti; sed videtur eventus hujus esse hæc causa. Etsi probe intelligant, præsertim eruditi, annorum numeros per se nihil agere; tamen tum isti ipsi, tum vulgares vetustorum priscorum Ethnicorum opinione a Majoribus accepta imbuti, dum annum eum attingunt, quem letiferum ac pernicialem nominant, grave sibi quidpiam imminere augurantes, inquieto & perturbato sunt animo; timent, æstuant, tristantur, anguntur; identidem periculum impendens cogitatione versant: &, si vel leviter valetudo offendatur, continuo diem fatalem adesse suspicantur. Cum autem nihil efficacius, vehementiusque corpus immutet, atque in morbos præcipitet, quam animi perturbatio; eo fit, ut eo anno fere plerique ægrotationem aliquam experiantur; minorem, qui levius anima afficiuntur; majorem, qui gravius; a qua ipsos etiam decedere contingit: atque ita, quod dicitur, imaginatio infert casum. Vid. *Plemp. val. tuend. p.* 13 *sqv.* Conf. *T. H. Hæbne Disquisitio medica physica de veris effectibus annorum climactericorum in corpus humanum, illorumque causis*; quæ extat in *Eph. N. C. Vol. 6. App. p.* 149 *sq.* Quid, quod si priores tres septenarios excipias, quorum mutationes satis ordinatæ sunt, certe non nisi in paucissimis deficiunt ut vel maturius, vel serius (nam & ipsi quoque mathematica certitudine haud

gaudent) ſigna mutationum, quibus ætates definiuntur, appareant, quod reliquum vitæ tempus attinet, in numeris annorum nihil eſt poſitum, ſed vires corporeæ ætatem definiunt. *Hebenſtr. Anthrop. for. p.* 245. Hinc bene Ariſtoteles *Polit. l.* 7. *c.* 17. Qui hebdomadibus dividunt ætates, utplurimum non dicunt bene.

4. Memorabile eſt, quod ætates ſuos proferant morbos incipiendo a capite & ſuperioribus partibus, ſucceſſive ad alias inferiores & extremas progrediendo. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 132. Memoratu quoque dignum eſt, diverſas excretionum ſanguinearum ſpecies in diverſis ætatibus contingere. Videlicet pueri & adoleſcentes ſanguinis profluvium e naribus potiſſimum patiuntur: in juvenibus cruor exitum ſuum per pulmonum vaſa magis molitur, unde hæmoptyſis & inde orta phthiſis huic ætati familiariſſima: in viris & qui in conſiſtente ætate ſunt conſtituti, ſanguis per ſedis venas, in decrepita autem ætate per vias urinarias plerumque exitum affectat. *Ibid. T.* 4. *P.* 2. *p.* 3. Hinc generalis morborum, qui in ſingulas cadunt ætates, differentia a parte potiſſimum affecta deſumitur. Nempe in pueris & adoleſcentibus caput, pectus in juvenibus, ſequenti poſthac ætate hypochondria, ac deinceps lumbos, os ſacrum & coxas, pedes denique tentari obſervantur. *Du Verney An mechan.* §. 5. Conf. *Adolph. de equit.* §. 33.

5. Per infantiam fibræ ſunt molles, flexibiles & delicatæ; creſcente ætate magis aridæ, duræque, in decrepita exſiccatæ prorſus minuſque flexiles evadunt: & ob varium hunc fibrarum ſtatum, qui per ætatis, vitæque curſum,

ſum manifeſtatur, ut cuique ætati ſua peculiaris eſt ſanitas; ita ſuæ ſunt moleſtiæ, ſuus morbus. Unde hi in pueros, illi in adultos, alii in ſenes, & decrepitos, ſævire conſueverunt. Pueri tamen, & ſenes cæteris ad morbos ſunt magis proclives: illi propter fibrarum laxitatem nimiam, mollitiemque; hi ob extremam ſiccitatem & ariditatem. *Bagliv. p.* 414. In junioribus humorum copia, & vis, ſolida exſuperat. In ſenibus ſolida vi, & copia, fluida exſuperant. *Boerh. I. M.* §. 473. 474.

6. Experientiæ calculo conſtat, infantes & pueros capitis quidem morbis, & epilepticis maxime convulſionibus, frequentiſſime affligi; ab inſultibus tamen paralyticis, apoplecticis, nec non ab affectibus ſoporoſis, hemiplexia, vertigine, melancholia & inſania, liberos eſſe. Ratio hæc ſubeſſe videtur. Poſtremi hi capitis affectus a nimia ſanguinis & humorum congeſtione, a ſpaſticis partium imi ventris, vel etiam externarum conſtrictionibus producta, ortum trahunt, eo quod inde vaſorum cerebri nimia fit diſtenſio, ſanguinis in iisdem ſtagnatio, infarctus, eorundemque demum ruptura cum ſubſequente humoris effluxu. In infantibus vero & pueris humores magis ſeroſi, quam ipſe ſanguis, redundant, partes ſolidæ flacciores atque remiſſiores, ut ſanguis non tanto impetu ad caput poſſit urgeri. Pari ratione in puerili & infantili ætate conſtituti, a pleuritide, tam vera quam ſpuria, hæmoptyſi, phthiſi, hectica, pulmonum abſceſſibus, vomicis & inde reſultante tuſſi ac tabe purulenta, minus infeſtantur; eo quod omnes hæ pasſiones, & abundantiorem, & tenuiorem ſanguinem, cum intenſiori in vaſa thoracis impulſu re-

requirunt, quæ in teneris ejusmodi non præsto sunt corporibus. Neque etiam infantia & pueritia spasmis præcordiorum & hypochondriacis, hæmorrhoïdibus & inde oriundis incommodis, nephritidi, calculo renum, arthritidi, chiragræ, podagræ, ictero & scorbuto patet. Tum enim corpus magis perspirabile, quam in virili & senili ætate, humores quoque tenuiores expeditius feruntur per viscera abdominalia, quam si spissiores facti sub senio. *Hoffm. de æt. mut.* §. 17.

7. Quum itaque pueriles & infantiles morbi a nimia fibrarum laxitate, & succorum nutrientium abundantia proveniant: ideo recte concluditur, ad arcendos ipsos temperata nervina, roborantia & blande laxantia atque diuretica optima esse præsidia. *Ibid.* §. 29. Nutrimenta parvulis ea maxime conveniunt, quæ acrimonia carent, virtute bene nutriendi instructa sunt, & tenero ventriculo parum negotii facessunt. Ergo præbeantur ipsis ubera matris, vel nutricis bene valentis, & quidem minimum per integrum annum, si nihil impediat. Post ea concedatur lac vaccinum, vel caprinum, variaque parari possunt lacticinia, ut sunt pulticulæ ex lacte; itemque sorbitiones, seu juscula omnis generis. Crescente ætate panis probe coctus, fructus horæi bene maturi, olera, aliaque vegetabilia, conveniunt, ac denique carnes recentes illæque de junioribus animalibus. Aromata, valde salita, saccharata multa, fumo indurata, minus idonea sunt. Pro potu sit aqua simplex bonæ notæ & pura, vel cum hordeo & aniso leniter decocta, vel cerevisia tenuis. Nec esculentis, nec potulentis, unquam obruantur. Vinum ante

ante annum 14 vel 15. vix porrigatur, & tunc adhuc parciſſime. Vino aduſto ſive vini ſpiritu omnino interdicantur. Somnus ſit multus & frequens, præſertim primis in annis. Corpora non coërcenda aut conſtringenda vehementer ſunt thoracibus, calceis vel aliis veſtimentorum generibus, quia æquabilis tunc humorum circulus turbatur. Artus firmentur exercitationibus moderatis. Variis ſenſim exponantur aëris conſtitutionibus. Severioribus meditationibus & ſtudiis non ante decimum annum adſtringantur. Præmatura Venus prohibeatur. Vid. *Laur Heiſteri Diſſ. de cura Principis circa ſanitatem ſubditorum. Helmſt.* 1738. 4°. *p.* 11. Conf. *Galen. de ſanit. tuend. l.* 1. *c.* 7. 8. 11 & 12.

Præcipue caveas, ne duro faſcia gyro
Mollia membra premat, neve ipſo a limite vitæ
Inducat tortam nutrix improvida formam.
Nonne in compoſito quæ ſæpe volumine cingunt
Vincula ſtricta latus pueri, coſtaſque tenellas,
Gibboſum faciunt deformi tubere dorſum,
Elataſque humeris alas ſurgentibus addunt?

Quill. Callip. p. 51.

8. Affectiones, quæ adoleſcentes, juvenes, nec non viros, detinent, ſanguinis calidioris copiæ, intenſiori ſolidorum motui nimiæque humorum ad certas partes congeſtioni ortum debent. Hinc ad declinandum earum inſultum apprime conferunt, tam diætetica, quam pharmaceutica, quæ nimium æſtum & ebullitionem ſanguinis contemperant, ut ſunt aquea diluentia, nitroſa, nec non tempeſtivæ ſangui-

nis

nis missiones, rejectis omnibus calidioribus sudoriferis, exagitantibus, validioribus purgantibus, vehementioribus quoque animi corporisque exagitationibus. *Hoffm. de æt. mut.* §. 29. Mala, quæ virginibus anni post decimum quartum minantur, ob menses non recte procedentes, declinantur abstinentia ab otiosa vita, a cibis acidis, dulcibus, farinaceis & qui lentorem sanguini inferunt, frigido potu & omni refrigeratione. *Hoffm. Opusc. T.* 1. *p.* 299. Ad præservandos a pulmonum morbis Juvenes, pertinent ea, quæ fientem plethoram præpediunt, atque factam imminuunt, sanguinemque denique minus commovent. Victus ne sit lautus ac plenus; corpus debite moveatur, non tamen in excessu. Confert quoque suum aër temperate calidus, quia promovet excretiones. Fiant evacuationes per vias artificiales, maxime sanguinis missione. Evitentur cuncta, quæ humores nimium commovent: animi pathemata, aër nimis calidus, cibi aromatici, potus spirituosus, motus excessivus, purgantia fortiora, nec non emetica.. A potu denique frigido, corpori calenti ingesto, sibi temperent. Vid. *Clos. de Juven. dispos.*

9. Senes nec hæmoptysi, nec phthisi, nec febribus ardentibus, nec synochis, nec malignis facile implicantur. Neque etiam eos torquent familiares illæ juvenibus ac viris, in nostris maxime septentrionalibus oris, stricturæ ac spasmi diaphragmatis & ventriculi cum pathematibus ex vitio hypochondriorum, vel systemate nervorum p. n. affecto. In juvenibus quippe major adest toni intensio, fibræ magis intensæ & ad dolorificas spasticas crispaturas magis procli-

ves;

ves; in ſenibus vero ob rigiditatem fibrarum & fluidi nervei, quod ſenſum & motum diſpenſat, non tantæ, nec tam prompte corrugationes & ſtricturæ in nervorum & fibrarum ſyſtemate oboriri queunt. A vermibus quoque ſenes non experiuntur incommoda, ob ſuccos valde acres, ſalſos & impuros, qui verminoſæ progeniei minus favent, ſed potius adverſantur. Non minus grandævi a peſte aliiſque contagioſis morbis raro tentantur, quia eminens apud ipſos prima in regione acor, & in venis acrimonia ſalſa, ſubtilitati & tenuitati, qua contagium motu inteſtino ſeſe propagare ſolet, multum reſiſtit, ejuſque deleteriam vim reprimit atque infringit. *Hoffm. de æt. mut.* §. 18. Plinius *l.* 7. *c.* 50. quoſdam morbos ait poſt ſexageſimum vitæ ſpatium non accidere; ſenes minime ſentire peſtilentiam.

10. In ſenio qui infeſtant morbi, a nimia fibrarum ſiccitate & rigiditate, tubulorum anguſtia & ſecretionum atque excretionum impeditiori ſucceſſu pendent. Omnia igitur intemperata, tam in victus, quam pharmacorum adminiſtratione evitanda, nimis videlicet calida, frigida, acida, ſalſa, tanto magis exſiccantia, adſtringentia & tonum fibrarum minuentia; contra ſalubritatis laudem ferunt merito omnia temperata, ex medicamentis diaphoretica, laxantia, nutrientia, ſtomachica, roborantia, ex alimentis, quæ facile digeruntur, vim emolliendi, humectandi & temperandi habent. *Ibid.* §. 29. Excretio craſſi circa ſenectutem tutiſſimis juvanda, iis nempe, quæ magis excitent fibras, & ſolvant fæces; ubi crocus, ſal, gummi aromatica, præcipua ſunt

cum

cum melle, & molliori vino. *Boerh. I. M.* §. 1061. Senibus nihil æque infestum ac frigus intensum, frequens acidorum usus & vita nimis sedentaria, quæ, inprimis si concurrant, senili ætati congruos & quasi proprios excludunt morbos, stranguriam, exulcerationem vesicæ, calculum, atrophiam, colicam, scabiem siccam, pruritus, tusses chronicas, raucedines, noctes insomnes & hujus generis plura, ad quæ præcavenda abstinentia ab acidis, frigoris evitatio & commoda corporis exercitatio egregie faciunt. *Hoffm. Opusc. T.* 1. *p.* 299. Senum nemo quietem ex toto postulat, sed nec exercitium vehemens. Ceu enim ventilabro quodam excitari calor eorum desiderat: vehementiori autem motu disjicitur. Consuetudo maximam sibi vindicat partem ad exercitationis speciem deligendam. Senes igitur omnes consuetis laboribus sunt exercendi, sed tamen vehementia eorum remissa. *Galen. de sanit. tuend. l.* 5. *c* 3. Etenim qui assuetus magnis exercitationibus bene valuit, vel perseverando in senecta multum ex vita decurtabit, vel dimissis exercitationibus mille incommoda vitæ subibit, tum etiam morbos, ac mortis manifestum periculum. *Card. San. tuend. l.* 1. *c.* 18. *p.* 65. Senibus in victus ratione conferunt quæcunque calefaciunt & siccant, tum in laboribus, tum in cibis, & ad exteriores corporis partes labores adhibere magis, quam ad interiores convenit. *Hippocr. l.* 1. *de diæta n.* 25.

Nec decet extremam sine motu ducere vitam,
Sed quales annique sinunt & robora, motus
Exercere, paresque sibi tolerare labores.

Nam

Nam velut occultâ vitiata teredine navis
Non audet vastos velis discindere fluctus,
Sic quoque mature magnos cum mollibus ausus
Permutare decet, faciles & viribus æquos
Sumere pro vitæ fragilis ratione labores,
Et laxam vitæ prope litora ducere navem.
Hebenstr. de Hom. p. 264.

Verum id incommodi fert senectus, ut corpori exercendo vires vix sufficiant, cum tamen sanitas id maxime requirit. Fricationes igitur in hac ætate suis manibus, si id fieri potest; sin minus, opera servorum necessariæ sunt; quæ verriculis ex setis confectis optime peraguntur. *Mead Monit. p.* 267. Decrepitis senibus sufficiet sereno aëre & splendente sole ejus jubare se fovere æstivisque caloribus se refocillare. Aut si cornicis annosam senectutem cupiant, regionem aliquam patria sua ardentiore sole calentem petant. *Cheyn. sanit. p.* 225. Conf. 3 *aph.* 18. Venæ sectio ætate affectis magnam promittit utilitatem, quæ præcipue tunc locum habet, si vires suppetunt, si appetitus est integer, & universum corpus quodam vigore instructum est. Sanguinis enim abundantia, in quam hæc ætas ob vitam sedentariam & victum paulo liberaliorem proclivis est, multos jugulare solet, siquidem scorbutum, viscerum infarctus, marasmum, affectus soporosos, & præcipue apoplexiam corpori inducit. *Hoffm. Med. rat. T.* I. *p.* 637. Quum vero attenta observatione constet, senes duplici ex causa tabificæ febri (marasmo) implicari, scilicet, vel ex plethora, sive potius sanguine & crasso, & copioso, abdominis viscera ipsumque

que mesenterium infarciente & obstruente, vel ex cacochymia, si copia seri impuri salsi, ob insufficientem ipsius, maxime per cutem, excretionem, ad binas has causas dirigenda utique cura præservatoria, Quod si itaque senex vitæ quietæ & sedentariæ addictus, appetitu tamen ciborum adhuc valens, omissa, vel plane neglecta sueta alias sanguinis missione, vel emanente etiam spontanea sanguinis excretione, & metus est, ne incurrat in lentum, continuum, debilitantem & tabefacientem calorem; id quam maxime agendum Medico, ut sanguinis plenitudinem tempestiva venæ sectione minuat, diluentes salubres potus largius bibere suadeat, abstinentiam a cibis nimium nutrientibus ac convenientem corporis motum serio injungat. Si vero senum succi impuris & a blanda naturali indole alienis particulis scatent; nihil aliud agendum, quam ut per clementissima laxantia, rhabarbarina, mannata & passulata, sordes, spurcitiem humorum foventes, evocentur & temperati roscidi succi rursus ingenerentur, per usum gelatinarum & lacticina; maximeque asininum lac, quod utique senili ætati, ob demulcentem, aperientem & leniter evacuantem facultatem, est saluberrinum. *Ibid. T.* 4. *P.* 1. *p.* 570. Porro quum fœminino sexui quinquagesimus & subsequentes anni maxime fatales existant, ob cessantem penitus sanguinis per uterum expurgationem, ita ut post hac easdem cachexia, scorbuticus languor, phlogoses, ventriculi & intestinorum spasmi aliique spasmodici affectus infestare soleant: nihil sane ad præservandas morbidas has afflictiones magis exoptatam locat operam, quam

quam ſanguinis miſſio, primarum viarum a ſordibus repurgatio & tranſpiratio non ſufflaminata. *Hoffm. Opuſc. T.* 1 *p.* 298.

11. Quia in ſenibus ultima coctio & excretiones lente procedunt; h. e. parum diſſipant: conſentaneum eſt, naturam ipſorum pauca inſtauratione indigere. Præterea vero, quia languet in ſenectute virtus ſolidorum, quæ requiritur ad vegetam aſſumtorum digeſtionem; hæc ut juvetur, commendata illis eſſe debet diligens maſticatio: per hanc enim inchoatur ciborum digeſtio, non modo quod duri tenaces cibi dentibus comminuantur, ſed quam maxime, quod inter maſticandum ſalivæ intimior cum alimentis fiat permiſtio; & hic eſt fructus primarius, quem & ipſi edentuli reportant a ſolicita maſticatione. Eo adagium reſpicit, quo dicuntur *viro ſeni maxillæ baculus*, quando nimirum cibus conveniens, ἔυχυμος καὶ ἔυπεπτος, ſufficiente copia, decenti tempore, ordine ac modo adhibitus, probe maſticatus aut ſaltem ſaliva perfuſus, cæteris paribus, ſuſtentat ſenile corpus, ut quaſi baculo ſubnixum, ad extremam vitæ metam lento progreſſu pergere valeat. Vid. *Baier Adag. med. p.* 57. Poteſt aliquatenus, noſtra quoque providentia, longior prorogari huic corpuſculo mora, ſi voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere & coërcere. Poteſt frugalitas producere ſenectutem. *Senec. epiſt.* 58. Decrepitis ſenibus apprime obſervandum eſt, ut creſcente ſenio & paulatim labantibus eorum viribus, victum etiam ſenſim parciorem & tenuiorem adhibeant, & viribus eorum coctricibus aliquanto inferiorem; nec expectandum

ſibi putent donec ipſa neceſſitate viriumque imbecillitate cogantur id jam fruſtra nulloque ſuo commodo facere, quod paulo prius factum multum eorum ſanitati erat profuturum. Inſigniter enim iſta in dies creſcens temperantia conducit ad viridem crudamque ſenectam & dolore vacuam aſſequendam. Hujus præcepti neglectui rheuma, catarrhus, ructus, coli dolores, imminuta aut peſſundata memoriæ tenacitas, & hebetatum ſenſuum acumen, reliquaque fere decrepitæ ſenectutis mala maximam partem debentur: quibus, tempeſtive & prudenter diminuto victu, occurri potuit, ſi non omnibus, at ſaltem pleriſqne & gravioribus. *Cheyn. ſanit. p.* 225. Conf. 1 *aph.* 13. 14. Senes de cibo demere, & potioni addere debent. Aliquid tamen conſuetudini dandum eſt, in frigidioribus præſertim regionibus; nam in his ut acrior ciborum appetentia, ita facilior eſt concoctio. *Mead Monit. p.* 268.

Somnus ut eſt ſenibus parcus, ſic ille ſalubris,
Qui venit a paſtu; poſt prandia, turpe, valentes
Indulgere viros ſomno: ſed ſenior ætas
Conſilium ſapiens ſeris accommodat annis.
Hebenſtr. de Hom. p. 276.

12. Senium frigidum & ſiccum quum ſit, per ea, quæ calefaciunt & humectant, corrigitur. Talia ſunt balnea calida aquarum dulcium, & vini potio, præterea ex cibis, quicunque humectare & calfacere natura poſſunt. *Galen. de ſanit. tuend. l.* 5. *c.* 3.

Vina

Vina senes nervos mulcent, mediocriter hausta,
Balnea conveniunt, mollescit fibra senilis
Inter aquas, nec pota minus fontana juvabit,
Quam vini veteris mediocris temperat usus.
Hebenstr. l. c.

Solidis medetur balneum tepidæ; liquidis vero insensibilis transpiratio, & cibus boni succi sobrie sumtus, atque quantum naturæ tenor in senectute relaxatus exposcit. *Bagliv. p.* 478. Ad reficiendos autem & nutriendos senes nihil præstantius lacte muliebri ex mamma sucto. Vel detur lac asininum, dum adhuc calet: quin etiam ex usu sunt ptisana & alica, aceto tamen condiri debent, ut facilius distribuantur. *Galen. meth. med. l.* 7. Vinum senibus commodum est, quod pallidum dicitur, seu quod medio colore est inter flavum & album. Unum illud maximum senibus commodum ex vino accidit, quod omnia eorum membra calefacit; alterum, quod per urinas serum sanguinis expurgat. Quæ ex pallidis aut flavis vinis crassa sunt, quia & sanguinem augent & corpus nutriunt, utilia senibus interdum sunt, utique quo tempore nec serosam humiditatem in venis habent, & ali liberius desiderant. Non vetem nec iis vinis quæ melle condiuntur senes uti, maxime quibus suspicio est calculi in renibus gignendi, aut podagræ alicujus articularisque morbi impetus fieri. At quæ crassa, dulcia, & nigra vina sunt, ea omnia propterea, quod obstruunt viscera, sunt fugienda. *Galen. l.* 5. *de sanit. tuend. c.* 5. Laudandum est in senectute vinum molle, edentulum, juxta *Boerh. I. M.* §. 1058. Insignem vi-

no utilitatem in ſenili ætate adſerere videtur adagium, quo dicitur *Vinum lac ſenum* ; unde non magis lac infantibus, quam vinum ſibi conducere exiſtimant ſenes. Huc ſine dubio reſpiciunt antiquæ fabulæ de Sileno, Bacchi nutritore fidoque comite, nec non de annoſo Neſtore, quem Homerus, in ſenectutis ſolatium & ſuſtentationem, ampliſſimas pateras exhauſiſſe ſcribit. Sed hæc omnia de moderato vini laudabilis uſu accipi debent, non autem de intemperato : ut enim vinum, ſobrie ſumptum, eſt remedium contra ſenectutis acerbitatem, & ad animi cordiſque exhilarationem; ſic ſane immoderate potatum, amaritudinem animi, iram & ruinas multas infert, ac facto in cerebrum impetu creat vertigines, epilepſias, lethargos, apoplexias. Quare non audiendi ſunt, qui ebrietatem ſenibus aliquando ſalutarem eſſe volunt, iiſdemque meri potum ſemper conferre. Vid. *Baier Adag. med. p.* 128. *Senum lac* dicere merum, errare eſt. His quoque doloſus amicus erit, niſi modicum dilutumve ad ſolatium ætatis, non uſum vitæ. Aliàs ut juvenes accendit, ſic ſenes depaſcitur. *Hecquet Qu. An potus ægris interdicendus.* §. 3. Ad refocillandas in grandævis vires, ſpirituoſorum & aquarum ſic dictarum ſtomachicarum cautiſſimus ſit uſus, ne liberali manu & crebrius propinata, ſanguinem, præſertim ſi redundet, exagitent & caput imbecillius reddant; quin, in ſenectute viridi & vino fruentibus, plane ab iiſdem abſtinendum eſt. Interim ſi vires vacillantes remediis ſuſcitare ex uſu ſit, tria, quæ principem locum inter analeptica tenent, ambra ſcilicet, cinnamomum & ſuccinum, & ex his

his lege artis parata, commendari possunt. Hæc formula maxime utilis & accommodata est. Recipe myrrhæ electæ uncias duas, croci unciam dimidiam, corticum citri & aurantii ana duas uncias, cinnamomi acuti unciam unam cum dimidia. Affunde spiritus liliorum convallium dimidiam libram, postea adde vini Hungarici mensuras tres, destilletur lege artis per alembicum, prodiens liquor suavissimi odoris & saporis, julepo rosarum grata dulcedine imbuatur & affusa drachma una essentiæ ambræ, usui servetur. Est certe remedium hoc tam accommodum senum fessæ naturæ, & tam præstans ad imbecillitatem sublevandam, quam vix ullum aliud; firmat quippe ventriculum debilem, caput roborat, & blandum quoque somnum inducit. Poterit autem de eodem nonnunquam cochlear unum vel alterum, vel solum, vel intincto pane mellito Norimbergensi exhiberi. *Hoffm. de Valet. Sen.* §. 39.

13. Increscente senio introductio nutrimenti per apposita externa, halitu, fotu, balneo, clysmate, unguento fiet. Vapores, fotus, inunctiones, balnea, clysmata, ex odoratis suavibus, lenibus, lacte, jure carnium, oleo, animalibus vivis, ariditatis senilis egregia remedia, mortis remoræ, vitæ longæ auxilia sunt. *Boerh. I. M.* §. 1059 & 1063. Senectutis retardatio, aut gradus alicujus juventutis instauratio, non facile fidem reperiat: attamen longe verisimilius est, ab homine, qui naturam arefactionis, & spirituum super solida corporis deprædationes bene norit, quique naturam assimilationis, atque alimentationis, vel perfectioris, vel pravioris, perspexerit, naturam etiam spirituum, & quasi flammæ corporis, alias ad consumen-

dum oppositæ, alias ad reparandum, notarit, posse per diætas, balnea, unctiones, medicinas proprias, accommodata etiam exercitia, & similia, vitam prolongari, aut vigorem juventutis, aliqua ex parte, renovari: quam quod hoc fieri possit per guttas pauculas aut scrupulos alicujus pretiosi liquoris, aut quintessentiæ. *Baco de augm. sc. p.* 227. Spiritus juveniles senili corpori inditi, naturam compendio retrovertere possunt. *Ejusd. Hist. V. et. M. p.* 193. Observatum senes, qui juvenum congressui frequentes se miscuerunt, conversatione non interrupta, longævos evasisse; cum spiritus ipsorum ex tali consortio fuerint recreati. Tales antiqui Rhetores & Sophistæ fuerunt, semper inter auditores & discipulos juvenculos versati, ut Gorgias, Pythagoras, Isocrates, &c. qui ad centesimum annum vixerunt; Grammaticorum quoque plurimi, ut Orbilius, &c. *Ejusd. H. N.* §. 942. Exhalationes animalium juniorum senili corpori applicatorum, in ora venarum cutanearum resorbentium exceptas, ad vitæ vires labascentes sive languentes instaurandas præsidio esse posse, constat ex 1 *Reg.* 1. exemplo Regis Davidis, qui septuagenarius, quum senili frigore torperet, nec pellibus coopertus incalesceret, Medicorum consilio persuasus, spectati decoris puellæ Sunamitæ Abysagh accumbens caste in ejus amplexibus condormivit, ut ejus calore stomachi robur foveretur. Vid. *Lang. l.* 1. *epist.* 12. *Vallej. sacr. Phil. c.* 29. *Kaau Perspir.* §. 501. *Jo. Amman Diss. de Venis in corpore humano bibulis. Lugd. Bat.* 1729. 4°. *p.* 24. Barbarossa ætate extrema, ex consilio Medici Judæi, puerulos continuo stomacho, & iliis applicabat

plicabat ad fomenta: etiam ſenes nonnulli, caniculos (animalia ſcilicet inter calidiſſima) ſtomacho noctu applicare conſueverunt. *Baco Hiſt. V. & M. p.* 161. Galenus (*lib.* 7. *meth. med. c.* 7.) ad imbecillitatem frigidi & ſicci ventriculi, boni habitus puellum commendat una ſic accubantem, ut ſemper abdomen contingat, cavendo ante omnia, ne puellus ille humecta ſit cute, ſeu ſudet; & aliis pingues catellos hunc in uſum præſtare refert. Conf. *Aëtius l.* 2. *c.* 178. *Oribaſ. Collect. p.* 637. & *Galen. de ſimpl. med. facult. l.* 5. *c.* 7. Puerorum, & puellarum caſta citra coitum cubatio, & converſatio utilis ad ſenectutem retardandam; horum enim vapore, & mollitie ipſorum durities alitur, reficiturque ſpiritus. Veneris lætitia, ſed pura abſque peccato, multis prævalet medicinis. *Campan. Medic. p.* 56. Quod puellarum anhelitus ad longævitatem conducat, probare videtur Inſcriptio quædam marmori inſculpta, a Gommaro, Antiquario, Romæ forte detecta. Eſt illa talis: ÆSCULAPIO ET SANITATI L. CLODIUS HERMIPPUS QUI VIXIT ANNOS 115. d. 5. PUELLARUM ANHELITU. QUOD ETIAM POST MORTEM EJUS NON PARUM MIRANTUR PHYSICI. JAM POSTERI SIC VITAM DUCITE. Equidem pro *puellarum* alii legunt *puerorum.* Sed utriuſque lectionis hîc eſt uſus idem, ubi de ſpirituum languentium ſuſcitabulis, & ſanguinis torpidioris ad expeditiorem curſum ſtimulis agitur ex corpore animalium ſanorum, juniorum, exhalantibus. Aſt vero hæc prolata ſenſu medico accipi velim, nec ut torqueantur in alienum, perverſum, ſenſum; puris enim omnia pura.

Ludere cum bellis non est puerile puellis:
Abscedant Juvenes, res decet illa Senes.

Plura de hac anhelitus parthenici virtute analeptico-gerocomica, ab effluviis seu vaporibus emissis derivanda, legesis in Commentario ad allatam Inscriptionem, quem evulgavit *Jo. Henr. Cohausen* hoc titulo: *Hermippus redivivus, sive Exercitatio physico-medica curiosa de methodo rara ad* 115 *annos prorogandæ senectutis per anhelitum puellarum*, &c. *Francof. ad Mœn.* 1742. 8°. Parcior cibus, isque concoctu facilis, frequens corporis, præsertim sub sereno & temperato cœlo & maxime per equitationem, lecticam aut currum motio, & moderatior vini generosi aut medicamenti balsamici usus cum sufficiente, sed opportuno potu, hæc sunt, quæ & vires & valetudinem senum tuentur, adeo ut his præsidiis adjuti ad extremam senectutem pervenire possint. *Hoffm. Med. rat. T.* 2. *p.* 344. Interimunt senes coïtus, corporis actualis frigiditas, potio (vini) plus justo, cœnare ut juvenes, plus debito irasci & exerceri. *Sanct. Stat. Med. sect.* 1. *aph.* 84. Coronidis loco apponere liceat marasmi in sene curati exemplum, quod extat in *Act. Hafn. vol.* 1. *obs.* 37. Vir 74 ætatis annum agens, marasmo senili oppressus, & conclamatus omnibus videbatur. Prostratus appetitus, alvus obstructa, tussis molesta, orthopnoea, pulsus nonnunquam intermittens, habitus corporis siccus & contabescens, lentusque calor, lenes item tremores, singultus frequens cum deglutiendi difficultate, & remora quadam in dextro latere circa hepatis regionem obstante; omnia difficilia pro ætatis ratio-

ne,

ne. Erat tamen vir natura robuſtus, & pulſus intermittens etiam aliàs in eo obſervatus fuerat. Huic clyſteribus alvus ſoluta, cordialibus natura ſublevata, emulſionibus deglutitionis viæ deterſæ & humectatum corpus, juſculis conſummatis vires conſervatæ. Hæc verno tempore acta ſunt. Solſtitio æſtivo natura eluctata emerſit, alvus ſua ſponte ſoluta, ciborum appetitus reverſus, calor lentus extinctus, deglutitio integra, omnia ſana, ſtupentibus Medicis. Denique cuticulam exuit, quaſi reſumta juventute.

14. Satis ſuperque patuit, quod hæc, vel illa vitæ periodus, a pathematibus quibuſdam, reliquis ſolemnibus, ſecundum ſuetum naturæ ordinem, immunis ſit. Fieri tamen poteſt, ut regula patiatur exceptionem, ac ſenes puerorum, vel juvenum & virorum, hi viciſſim ſenum morbis obnoxii ſint, tum maxime, quando eminens error in diæta & vitæ ratione admiſſus fuerit, vel hæreditaria diſpoſitio, & alia quædam externa valida cauſa acceſſerit. Propullulant ſic morbi incongrui, a quibus homines magis periclitantur quam ab aliis, qui ætati ipſorum congruunt; juxta 2 *aph.* 34. Porro autem, ſicut ætatis mutatio magna pollet potentia ad inducendam corpori morboſam diſpoſitionem; ita eundem annorum vitæ decurſum hanc iterum tollere, per ipſam conſtat experientiam, adeo, ut id, quod pueris, adoleſcentibus & juvenibus moleſtum fuit, ingruente ſenio, ceſſet atque exſpiret. Teſtatur id Hippocrates 2 *aph.* 20. Quinimo adverſus ipſos etiam morbos mutata ætas præſidio eſt, eosdemque felicius abigit, quam ulla medici-

na; uti docemur in 2 *aph.* 45. & 3 *aph.* 28. Conf. *Hoffm. de æt. mut.*

[Haud vitio mihi verſum iri præſtolor, quod Corollaria hæc aliorum, non meis, verbis protuli. Intelligentes norunt, quod parvo conſtet labore, ab aliis propoſita, mutatis ediſſerere vocabulis, atque inde pro propriis exhibere cogitatis. At non is ego ſum, qui magnorum ſenſa virorum, mea potius, quam ipſorummet, oratione exprimenda eſſe arbitrer.]

FINIS SECTIONIS TERTIÆ.



HIPPO-

HIPPOCRATIS

APHORISMORUM

SECTIO QUARTA.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM SECTIO QUARTA.

Aphor. I.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν· ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Uterum gerentibus medicamenta purgantia ſunt exhibenda, ſi humor impetu fertur ad excretionem, (ſeu turget) quarto menſe, & ad ſeptimum uſque; his tamen minus. In minoribus autem, & grandioribus (fœtibus) ſubtimide ſe gerere oportet.

Supponitur gravida laborare morbo, in quo catharticum dandum. Declaratur itaque, quo tempore hoc concedi queat, & quando non. Ut autem purgatio inſtitui queat, requiritur ut materia turgeat; h. e. ad expulſionem ſine magno conatu parata ſit neceſſe eſt, ne irritatione ſcilicet promoveatur abortus: nam ſolent Veteres fortioribus uti purgantibus. *Piſo meth. med. p.* 102 *ſq.* Quid ſit *materia turgens*, ſat fuſe explicatum eſt ad 1 *aph.* 22. Plethora, gravidis quam maxime fami-

miliaris, utplurimum cacochymiam progenerare solet; idcirco Medicum, cui & matris & infantis salus commissa est, curam adhibere oportet, ut perniciosa hæc succorum depravatio decenti auxilio a corpore arceatur. Fortiora purgantia gravidis maxime infesta sunt, quia validiori spasmo intestinorum membranas & nervosas corporis partes contorquendo uterum ad elidendum fœtum sollicitant, vel etiam ventriculi tonum ac robur destruunt. Commoda vero sunt leniora evacuantia balsamica & rhabarbarina, quæ clementer evacuant, simulque ventriculum & intestina cum universo genere nervoso roborant. *Hoffm. Med. rat. T.* 1. *p.* 644. Conf. *Forest. Obs. Med. l.* 2. *obs.* 28. *schol.*

Particula *his vero minus* obscuram reddit lectionem. Legatur *minus vero quæ sunt præter has:* ut sit sensus, eas, quæ utero gerunt, inter quartum & septimum mensem, si usus requirat, purgandas esse, quin & si parum a quarto deficiant, vel septimum nonnihil excedant, has quoque purgatione medicari, sed minus quam prædictas conveniat, quæ scilicet tempus ab Hippocrate definitum in partu portando peragunt. at vero si grandior sit recessus, & distantia ab illis, quæ quarto jam mense, vel septimo uterum gestant, has nullatenus tentari pharmacis oportere; ita ut Hippocrates manifestissime distinguat, quibusnam in utero habentibus medicamenta dare conveniat, & quænam tentandæ non sint. Nam primo illarum meminit, quæ mensibus intermediis conceptum ferunt, quas purgare nihil vereri monet. Deinde illarum, quæ modicum quid ab illis relinquuntur, quas tanto minus purgare convenit, quanto a quadrimestribus illis

atque

atque septimestribus recesserint. Postremo quæ magno intervallo ab illis absunt, ut scilicet eas quæ nuper conceperunt, aut omnino mox non multo post sunt pariturae, nullo pacto attingendas esse admonet, ne fœtum præcipitemus. *Lodov. de re med. fol.* 87. Nimirum junior fœtus, ob levem placentæ adhæsionem, a motu per purgans excitato facile excutitur; senior vero, ob suum motum jam vehementem catharticorum irritationes non fert, sed partum tunc suum accelerat. *Lister.* Si quid enim puero præter consuetudinem contingat, idque si parvulus adhuc fuerit, moritur. & si ejusmodi ederit aut biberit mulier, ex quo tenello adhuc puerulo, ventrem ei exturbari necesse sit. Fluentis enim alvi molestiam uteri sentiunt. *Hippocr. lib.* 1. *de morb. mul. n.* 42.

Indicatio urgens secundum aphorismum est, *si turget.* Turgescentia refertur vel ad copiam majorem humorum, vel ad impetum versus aliquam partem. At nullam in his invenio indicationem in gravidis, quæ alvi ductionem suadeat, præter contentorum in intestinis abundantiam. Si enim sanguinis sit abundantia retentis menstruis, levi purgante dato, quo magis determinatur sanguis turgens ad uteri vasa, extrudetur fœtus depulsa placenta ab adhærente utero. Gravidæ autem morbo acuto laboranti cum aucta circulatione, si ille impetus per purgans determinetur magis ad alvum, facile fiet abortus. His autem in morbis, tam ex turgescentia quam impetu majore, conduceret sanguinis missio, quæ, minuendo copiam & orgasmum humorum, præveniret abortum. Si ergo liceret per φαρμακεύειν intelligere sanguinis missionem, apposita esset medicatio gravidarum,

darum, si materia turgeat; sed si notare debeat alvi ductionem, nemini suaderem in gravidis hanc regulam practicam imitari. Purgationi itaque substituemus sanguinis missionem; quæ medicatio in juniore & seniore fœtu est omittenda. Primis mensibus, ex menstruo sanguine retento non tanta timenda est turgescentia, quæ urgeret sanguinis missionem; progressu autem temporis crescente embryone in fœtum grandiorem, quibusdam gravidis, quibus menses solent esse copiosiores, generatur sanguinis tanta turgescentia, cum increscens fœtus omnem sanguinis copiam insumere nequeat, ut inter quartum & septimum gestationis mensem abortus fiat, quia vasa uterina, tanta copia sanguinis turgescentia, detrudunt adhærentem placentam. Grandior autem factus fœtus & pluris nutrimenti capax, facile potest id, quod fœmina naturaliter abundans in suo corpore conficit, in incrementum sui auferre, ut inde nulla tunc remaneat indicatio minuendi sanguinis copiam per sanguinis missionem. *Gorter.*

APHOR. 2.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος, ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα, χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

In medicamentorum purgantium usu, qualia etiam sponte prodeuntia utilia sunt, talia e corpore educere convenit; quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere.

Est

Est hic aphorismus corollarium eorum quæ dicuntur 1 *aph.* 2. Solet natura, suopte agens impulsu, sibique recte consulens, per loca apta atque accommoda humores expellere supervacaneos & noxios, atque ab utili materia separatos. In quo Medicum imitari naturam oportet, ut, qualia illa sua sponte evacuaret, ipse quoque educat, non videlicet innoxia & vitii expertia, pro pravis: aut utraque, sine delectu pariter: in quo non parum momenti situm est, ad artem tuto recteque exercendam. *Berger Therm. Carol. p.* 114. Conf. 1 *aph.* 21.

APHOR. 3.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς.

Si, quæ purgari decet, purgentur, confert, & facile ferunt; contraria vero, difficulter.

Repetita hic sunt, quæ habentur supra 1 *aph.* 2. 23. & 25.



APHOR. 4.

Φαρμακεύειν μὲν θέρεος μᾶλλον τὰς ἄνω· χειμῶνος δὲ τὰς κάτω.

Æstate quidem superiores ventres potius medicamentis repurgato, hyeme vero inferiores.

Æstivis caloribus magis convenire vomitoria quam purgantia alvum, hæc vero hieme potius quam æstate in usum ducenda esse, declaratur. Regionem purgationi convenientem plurimum attendisse Hippocratem non modo ex hoc, & sequentibus aphorismis constat: sed ex tota ipsius doctrinâ, cum raro admodum purgationis mentionem faciat, quin sursum ne, an deorsum purgandum sit, exacte distinguat, contra recentiores Medicos, qui absque distinctione omnem purgationem deorsum faciunt. Ratio autem distinctionis a pluribus desumitur, sed a morbo potissimum, unde vulgaris extat sententia inferius *aph.* 18. registrata. *Dolores supra septum transversum, qui purgatione opus habent, sursum versus purgatione indigere significant: qui vero infra, deorsum.* Et hæc indicatio tantum potest, ut alias omnes præcedat. Verum quotiescunque via purgationis ab affecta parte non indicatur, alia succedunt, ex quibus hujusmodi distinctio petenda est, v. g. anni tempus, de quo in præsenti aphorismo agitur, qui purgationem æstate

per

per ſuperiora, hieme per inferiora faciendam præcipit. *Martian. p.* 444. Æſtate humores a viis purgationum abalienati ſunt, ad habitum corporis pulſi: maxime autem draſtica purgantia eo tempore exulare debent, qualia Veteribus frequentata erant, quæ vehementer irritando, turbaſque in humoribus excitando, febres ſuſcitarent. Emetica magis conferunt æſtate, quia tunc, coctione exiſtente debiliore, humores plerumque ventriculum occupant crudi; qui ergo compendioſiori via, ſub hac tempeſtate, per vomitum educi poſſunt. Præterea vero peccat in corporibus tempore æſtivo ſiccitas; vomitus autem *humectant, propter repletionem & carnis ex labore colliquationem*, juxta *Hippocr. l.* 2. *de diæta n.* 36. Hiemali anni conſtitutioni purgantia quidem magis conveniunt quam vomitoria; quia tunc, cohibita per frigus aëris tranſpiratione, humores magis introrſum vergunt ad inteſtina. Id autem non ita perpetuum eſſe, ut inviolabiliter obſervandum ſit, nos admonet aphoriſmus per particulam *μᾶλλον potius*, cum aliquando multa occurrant, quæ contrario modo procedere nos cogunt. Nam ex præcepto 1 *aph.* 2. & 4 *aph.* 2. ducere ex corpore oportet qualia etiam ſponte prodeuntia commoda ſunt. Quare, ſive æſtas ſive hiems fuerit, ſemper ac ventriculus humoribus gravatur, vomitu exonerandus eſt; ſicut etiam, quandocunque excrementitiis onerata ſunt humoribus inteſtina, per alvum iidem evocandi ſunt. Ventres in morbis medicamento purgante ſubducere convenit, inferiores quidem ubi materiam concoctam & conſiſtentem videris (cujus rei ſignum eſt, ſi neque anxietate, neque capitis gravitate dive-

 xati

xati ægri fuerint) aut ubi calores mitissimi fuerint, aut ubi finita accessione desierint: superiores vero in ipsis accessionibus. tunc namque etiam per se humores in sublime efferuntur, cum anxietate & capitis gravitate, aut incontinenti corporis jactatione ægri conflictantur. *Hippocr. 5 Epidem. n.* 25. Quin & *lib. de sal. diæt. n.* 5. ita præcipitur: sex hibernis mensibus vomitus ciendus, quod tempus hoc æstivo plus pituitæ gignat, & morbi circum caput & regionem eam, quæ est supra septum transversum, excitantur. At ubi æstas viguerit, infusis utendum (h. e. clysmatis sit usus). Quem locum *Celsus l.* 1. *c.* 3. *p* 29. ita interpretatus est. Vomitus utilior est hieme, quam æstate, nam tum & pituitæ plus, & capitis gravitas major subest. *Tozzi.*

APHOR. 5.

Ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub canis ortum, & ante canis ortum, molestæ sunt per medicamenta purgationes.

Indicatur tempus æstatis illud, quo maximus solet vigere in aëre calor; qui non favet purgationibus instituendis per pharmaca drastica, quia hac anni tempestate jam fere nimium in motum redacti sunt humores corporis nostri, qui igitur a purgante vehementer irritante

irritante majores adhuc in motus cierentur, addendo, ut eſt in proverbio, oleum flammæ. Eſſe vero hîc loci intelligendas purgationes fortes, ſanguinem nimis exagitantes, patet ex *Hippocr. lib. de purg. n.* 5. ubi purgantibus clyſteres ſubſtituit, tanquam auxilia minoris periculi, cum ita ſcribit: *tempore æſtatis, a canis ortu, per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, ſed infuſis per clyſterem uti.* Qualia, eccoprotica nempe, diluentia, humectantia, tantum abeſt ut noceant in magno calore, ut potius grato ſint refrigerio humoribus a calore rarefactis, imo egregie conferant illis per uberiorem & plus debito factam perſpirationem in inflammatoriam diatheſin proclivibus, ab diſſipatis nempe liquidiſſimis.

APHOR. 6.

Τοὺς ἰσχνοὺς, καὶ εὐημέας, ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Graciles, & facili vomitione utentes, medicamento per ſuperiora purgare oportet, reformidantes hyemem.

Gracilibus & imbecillum ſtomachum habentibus inutilem vomitum, utilem vero plenis & biliosis omnibus, ſi vel nimium ſe repleverunt, vel parum concoxerunt, edicit *Celſus l.* 1. *c.* 3. *p.* 29. Hippocrates *lib. de ſal. diæt. n.* 7. Obeſi, inquit, ac minime tenues, je-

juni vomant a curſu, aut celeri deambulatione circa meridiem. Graciliores autem & imbecilliores a cibis vomitum cieant. Vides ergo, non eſſe univerſaliter verum aut ſine reſtrictione aliqua intelligendum hunc aphoriſmum; ſed id tantum doceri hîc, quod gracilibus poſſit judicari conferens vomitus, ſi fuerint 1. facile vomentes, 2. ſi euitetur hiems. An Celſus cum Hippocrate conciliabitur, dicendo illum de gracilibus loqui qui ex morbo extenuati ſunt, hunc vero de iis qui non obeſi ſed natura graciles ſunt? nam de tabeſcentibus ſeu gracilibus ad tabem proclivibus loquitur ſequens *aph.* 8. Juxta *Hoffm. med. rat. T.* 1. *p.* 620. omnis vomitus ac purgatio gracilibus & imbecillis mirum quantum infeſta eſt. Etenim hujusmodi evacuationes, ſubducendo bilem, auferunt unum ex primariis inſtrumentis officinæ chylopoieticæ, unde coctionis primæ nato vitio, non corrigendo in ſecunda, humores boni non fiunt, vireſque magis decreſcunt.

Quoniam hieme corpora facilius ferunt alimenta, æſtate autem difficilius (1 *aph.* 18.), frequentior generatur vomitorii indicatio æſtate, quod cacochyliam collectam exonerat e ventriculo. Atque hieme homines ſæpius laborant prohibita perſpiratione, quod perſpirabile retentum non eſt verſus ventriculum alliciendum, ſed ad ſolitum organum reducendum. æſtate autem cum largior fiat difflatio, frequentior vero cacochyliæ collectio, ſæpius bona vomendi indicatio urget; ut inde ſæpius æſtate quam hieme profuerit vomitus. *Gorter.*

APHOR.

Aphor. 7.

Τοὺς δὲ δυσημέας, καὶ μέσως εὐσάρκους, κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

At difficili vomitione utentes, & modice carnoſos, per inferiora, æſtatem reformidantes.

Ut in præced. aphoriſmo dictum eſt, quod facile vomentibus, gracilibus, vomitus conferant, ſi modo hiemem devitent: ita hic de difficulter vomentibus, mediocriter carnoſis, aſſeritur, quod purgantia per alvum iis conveniant, ſi modo vitent æſtatem. Æſtate imbecillæ ſunt vires; & purgantibus ſana corpora cito exſolvuntur, juxta 2 *aph.* 36. ergo vitanda ſunt æſtate, quo tempore magis prodeſſe ſolent emetica, juxta præcedentem *aph.* 4, ut quæ vires non adeo exſolvunt. Ubi tamen, præter nimiam carnis & pinguedinis copiam, nullus eſt præterea malus affectus in corpore, neque malorum humorum acervus aliquis, non purgatione aliqua inſigni eſt opus, propter rationem jam allatam, quod ſana habentes corpora non ſint purgandi, niſi interdum ſolita excrementa intercepta non fluerent. *Trincav. Conſil. lib.* 3. *conſ.* 101.

APHOR. 8.

Τὰς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω φαρμακείας.

Tabescentes vero, reformidantes per superiora purgationes.

Cum docuisset aphorismus præcedens sextus graciles per superiora esse purgandos, videbatur etiam tabidos idem facere debere, quoniam hi graciles maxime esse consueverunt. Monemur igitur hîc, ut hos excipiamus. *Cardan. p.* 328. Verum enim vero nihil apertius est in Hippocratis doctrina, quam tabe laborantes deorsum non esse purgandos; *libro* enim 2. *de morb. n.* 46. tabis ex pulmonis affectu curationem pertractans, non solum expresse infernam purgationem prohibet per illa verba *medicamentum autem deorsum purgans ne exhibeto*, sed veratrum album præscribens, ita temperatum dari jubet, ut ne inferiorem alvum cieat. Imo radicem dracontii, & veratri delingendam probat, sed non ex melle, *sic enim* (inquit) *minime alvum movebit.* Eandem sententiam secutus est in curatione alterius tabis, quæ ab aphthis pulmonis ortum ducit, libro eodem n. 48. Ait ibi: *Curare oportet, ut epoto lenticulæ decocto vomat. Quod si tempestivum tibi videatur, veratrum per se, si quidem per hominis vires liceat, propinato, sin minus, dimidium potionis ad lenticulæ decoctum admisceto, ita ut quinta aut sexta potione desinas. Ventrem autem inferiorem medicamento purgante*

gante ne agitato, nisi febres vehementes (hoc est putridæ, ut nos loquimur) *prehenderint*. Cum igitur Hippocrates pro tabis curatione solis vomitibus ad purgationem utatur, & infernas purgationes adeo caveat; non est rationabile in præsenti aphorismo totum oppositum statuere, & ideo asserendum est, hoc nomine, φθινώδεας, intelligere Hippocratem non tabe laborantes; sed ad eam naturali constitutione dispositos, in his enim superiores purgationes sunt suspectæ, ob periculum, ne aliquod vas in thorace rumpatur: quod in hujusmodi naturis angustum est, & debile. At laborantibus tabe purgationes infernæ duplici ratione incommodæ sunt, primo quia sputum inde supprimitur, quo nocentius in hujusmodi affectibus excogitari non potest; secundo quia (ut ad 2 *aph*. 35. annotatum est) alvi fluorem inducere plerumque solent, qui tabidos tandem ad interitum perducit. Quare his minus incommoda erit superna purgatio, a cujus violentia etiamsi pulmo commoveatur, quia tamen hujusmodi commotionibus assuetus est, propter tussim, quæ tabidos fere omnes vehementer exagitat, ideo non admodum lædere apta est; ægrotantique maximo adjumento esse potest, non solum, quia materiam antecedentem educit, sed etiam quia conjunctæ excretionem, quæ fit per tussim, non mediocriter adjuvat. Nec in his vasis ruptio præ vomitus violentia timeri potest, quia venæ, ab extenuatione in his supra modum inanitæ, non adeo rumpuntur, quemadmodum iis, qui in tabem nondum inciderunt. *Martian. p.* 444.

APHOR. 9.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς, ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τἀναντία προστιθείς.

Atra bile abundantes, largius per inferiora, ſimili ratione adhibita contraria purgandi via.

Ab atra bile atrabilarii ſeu melancholici vocantur, qui habent humores denſos, tenaces, admodum permiſtos, nec facile ſeparabiles, aut mutabiles, in vaſis ſtrictis, robuſtis. Vid. *Boerh. I. M.* §. 896. Hos uberius purgari deorſum debere ait aphoriſmus. Veteres quidem purgantibus illos tractabant fortioribus, elleboro inprimis tam albo, quam nigro; ob mitiorum forte inopiam catharticorum. Habebant fortiorum illorum purgantium præparationes tutiſſimas, & compertas, de quibus hodie non conſtat. Præterea etiam corpora ante exhibitionem draſticorum evacuantium magna cum diligentia curabant, ut eſſent ſufficienter humectata, congruenter præcepto, quod extat 2 *aph.* 9. Quum vero notiſſimum ſit, non modo draſtica purgantia, ſed & ipſa venena arſenicalia ſine ulla ſanitatis noxa dari poſſe, ſi corpora prius bene humectantur, & alimentis demulcentibus, nutrientibus, oleoſis & lacticiniis præparantur vel ſi poſt ea ejusmodi adſumuntur; facile poterit intelligi, nec Veteres in adhibendis remediis purgantibus

bus ullo modo deliquiſſe, ſed ea valde cicurata & ad meliorem mitioremque indolem redacta uſurpaſſe. Hodie tamen periti Medici draſticis illis purgantibus ſubſtituunt leniora & mitiora alvum ducentia, in quorum ſelectu ſunt manna, caſſia, rhabarbarum, agaricus, folia ſennæ, polypodium, cremor tartari, tartarus vitriolatus, ſalia aquarum mineralium neutra ſub variis formis uſurpata: præferrique hæc merentur omnibus aliis, etiam acrioribus, propter ſecurum, placidum minuſque tumultuarium operandi modum, idque eo magis, ſi in decocto vel infuſo ſumta non ſimul & ſemel ſed iteratis vicibus & per epicraſin operantur. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 211 *ſeq.* & *Boerh. aph.* 1101. 1103. 1114.

Cur additur *ſimili ratione contraria via?* Reſpicitur ad præcedentem *aph.* 4. ubi dictum, quod cathartica magis conveniant hieme quam æſtate; quaſi diceretur: parcius aut uberius purgabis melancholicos pro diverſis anni temporibus. *Hecquet.* Alii innui volunt, quod reſpiciendum ſit ad habitum corporis, quaſi diceretur: videndum quo natura vergat, ita ut graciles per ſuperiora & levius, craſſi per inferiora & uberius ſeu plenius purgandi ſint; juxta *aph.* 6. 7. huj. ſect.

Amplius de atra bile Veterum dicendi occaſio eſt in ſequente *aph.* 22.



APHOR.

APHOR. 10.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.

In valde acutis, ſi turgeat materia, medicamento purgante eodem die utendum: ſiquidem in his cunctari malum.

Explicatio hujus aphoriſmi ex notatis ad 1 *aph.* 22. petenda eſt. Tantummodo hic addo, quod *valde acuti* morbi dicantur, qui intra ſeptimum diem finiuntur. In his, quando turget materia, expurgatio non debet differri, quia eſt periculum in mora, ne humor in motu exiſtens in partem aliquam decumbat, in qua magnopere lædat. *Valleſ.* Hinc etiam Areteus *de cur. acut. l.* 1. *c.* 1. ubi de phrenitide agit: Multo ante judicationes in acutis morbis evacuandum eſt, aut purgandum, aut aliis irritationibus utendum.

Monet aphoriſmus maturato opus eſſe; quando tanquam vas plenum, quod undiquaque diffluit, ventriculus omni immunditiarum genere regurgitat (hoc enim *turgere* ſignificat). Si differs, poſt paucas horas, qui totus quaſi ſub manu collectus erat, faciliſque tolli, turgentem in ventriculo ac primis viis humorem brevi reſorptum iri videas, non ſine magno, eoque irreparabili ægrotantis damno. Tunc denuo

denuo furere humores, æſtuare, ac deliria febriſque recrudeſcere non ante decimum, quartum, aut viceſimum primum, aut forſan ulterius, ſi non præripiat intempeſta mors, deſitura. *Momentum* illud *temporis*, quod quinque aut ſex horas occupat, raro ad duodecim excurrit, ab Hippocrate deſignatum credas. Raro enim, & in principiis tantum morborum, nec in omnibus morbis, atque perraro plus, quam ſemel, in eodem morbo reperias. Conamen laborantis naturæ, ac quaſi pondere deviĉtæ, merito dixeris: at ſemper irritum, niſi ſuppetias feras *emetico*, vel *cathartico*, *ſatis larga doſi propinato*. Sic ipſi opitulaberis utiliter, ſtimulum addes, ἀνῶ & κάτω materiæ morbificæ maximam partem deturbabis, nec reverti ſines in ſanguinem. At operam da, ut ſit *ſatis magna doſis*. Noli tunc, timidus explorator, partitis doſibus, leviuſcule fibras ſtomachi vellicando, oleum & operam perdere. Sed operi te adcingas fortiter. Sic morbum graviſſimum non curabis quidem, aſt minus gravem reddes; de letali ſanabilem; & forſan paroxyſmum imminentem, ſi non avertes prorſus, procraſtinabis, benignioremque facies: quin & novis ſimilibus, & proſperis *turgentiis*, inſequentibus diebus locum dabis, criſes parabis, felicioreſque reddes. Contra, quæ malorum ilias, ſi, vel minima interpoſita mora, *ſerius*, quam par eſt, aut *lentius æquo parciuſve*, propinaveris *catharticum*? Tunc detumuit *turgentia*, nec ſupereſt, niſi ut memineris, *coĉta medicamento purgante educes, ac movebis, non cruda, neque per initia*, 1 *aph.* 22. Cathartici enim hauſti fermenteſcentes reliquiæ cum recrudeſcente paroxyſmo coincidunt; ſiſtitur omnis evacuatio; abre-

ptæque

ptæque cum fordibus una, & quisquiliis in fanguinis vorticem, purgantes particulæ, tanto vividius furunt, quanto minus exferuerunt & amiferunt in ventriculo fuarum virium. Inde deliria, fpafmi, convulfiones, quæ, ut ab helleboro fumto, letales utplurimum. Quid, fi non tantum concurrant defmentis *cathartici* ceffantes reliquiæ cum febris exacerbatione, fed &, aut *ftibii*, aut *Kermes mineralis*, quarta, aut tertia, aut fecunda pars grani, *triborio* quoque, aut alternis, aut fingulis horis, propinetur, ut apud quofdam moris eft? Tunc fibræ nerveæ, membranaceæ, tendineæ, mufculares, jam a rarefcente per paroxyfmum fanguine ultra modum tentæ, vellicantur incaffum, nihil contenti humoris tunc temporis neque emiffuræ, neque expreffuræ. Adeo per conftrictionem vaforum ftrangulantur contenti liquores! Inde inflammationis auctio, fpafmi, dilacerationes & convulfiones nervorum, dolorifica inteftinorum, vifcerum, & mufculorum abdominis, arte nulla demulcendorum leniendorumve, tentio, gangræna, fphacelus, mors, quæ mali diritati, nedum *intempeftivæ propinationi*, folet imputari. Cave igitur, ftatim, atque illucefcit, non dies, fed hora ferenior, five interdiu, five noctu, ne ftulte nunquam revocandum præterlabi finas. Vigila! Horam enim nec fcis, nec fcire fas eft. In *peracutis* interdum primo, raro fecundo die, ut in apoplexia, & quibufdam febribus fumme malignis, quæ malam digeftionem mentiuntur; certis peripneumoniis, & febribus intermittentibus nonnullis, quæ febres malignas continuas per quatuor aut quinque dies fpecie referunt; eryfipelatibus phlegmonodibus, in quibus corpus

pus totum, aut membra integra, ante tertium diem in pus & ſphacelum omnia colliqueſcunt; morbis, a plethora, catarrhiſcilicet, aut catarrhi ſpeciebus, epilepſiam, aut apoplexiam, in primo & ſubitaneo inſultu, per mentitæ paralyſeos cum ſpaſmis alternationes, æmulantibus, & plurimis aliis morbis, quos expertus facile recognoſces. In *acutis* quandoque tertio, raro poſt quintum, ut in peripneumoniis vulgaribus, pleuritidibus, febribus malignis, variolis. Hujuſmodi per *turgentiam* quaſi anticipatæ criſi, ne certam tibi lubeat exſpectare horam. Hanc aucupare, ſi potes: totis viribus celeriter adjuva. Modo enim non dabitur tempus amplius. Sæpe vix intra quatuor, aut quinque horas, in principiis morborum, felix illud *turgentiæ* tempus reperitur: ad octo, aut decem, non ſæpe excurrit. Væ ægroto, ſi per id temporis feriareris otioſus! Vid. *Wilh. Joſ. de l'Epine Quæſtio Medica, An in morbis acutis, ubi materia turget, majore potius & unica, quam minore, eodemque ſæpius in die iterata doſi, propinanda cathartica? Pariſ.* 1743.



APHOR.

APHOR. II.

Ὁκόσοισι στρόφοι, καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, μὴ λυόμενον, μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ' ἄλλως, ἐς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

Quibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor adeſt, qui neque medicamento purgante, neque alia ratione ſolvitur, in ſiccum hydropem confirmatur.

Legitur hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 2. *n.* 279. in hunc modum: *Supra umbilicum labor, ac lumborum dolor, qui remediis non cedit, in hydropem ſiccum deſinit*; & *ſect.* 3. *n.* 286: *Ubi hydrops ſiccus de ſe ſignificationem præbet, tormina ad tenue inteſtinum incumbentia, malum denunciant.* Apud Celſum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 59. hydropis illius, qui dicitur leucophlegmatia ſeu aqua inter cutem, nota eſſe dicitur, *ubi circa umbilicum inteſtina torquentur* (στρόφον *Græci nominant*) *coxæque dolores manent, qui neque tempore, neque remediis ſolvuntur.*

Hæc ſententia eo ſcripta eſt, ut intelligamus pharmaciæ irritam purgationem in falſo credita purgandi neceſſitate. Ut enim pharmaciæ locus eſſe videtur (juxta 4 *aph.* 20.) in alvi torminibus quæ ſurſum moventur, habentque τὴν ἄνω εἴλησιν, i. e. *revolutionem ſurſum*, ut borborygmi κάτω: ita catharticum fruſtra exhibetur

tur ad ea tormina quorum perennis generatio eſt ab hectica intemperie tenuium inteſtinorum, quam nulla purgatio ad ſymmetriam poteſt reducere. Tormina iſta ſeu ſævi dolores, qui abradendo & exaſperando in tenuibus inteſtinis excitantur, faciuntque τὴν ἄνω εἴλησιν, nominantur οἱ στρόφοι, quia proxime abſunt a volvulo, cujus prænuncii eſſe ſolent, atque in eum degenerant, ſi tanta fiat morbificæ cauſæ acceſſio ut chylum & ſtercus remeare faciat, aut certe permeare prohibeat. Naſcuntur autem tormina tum a forti morſu inteſtinorum, tum a flatulento ſpiritu exitum non habente: ſicut in colo, colica ipſa. Hic autem nos torminum cauſam agnoſcimus ſpiritum flatulentum, ut inde hydropis ſicci, de quo hic agitur, generatio conſequatur. *Partium umbilico circumjacentium labores* neceſſario & interclusi flatus, & acrioris morſus confectarii eſſe ſolent; atque ii cernuntur in doloris acerbitate, & impedimento proprii cujuſque muneris in diſtribuendo, & ſecernendo chylum a fæce. Partes autem circumjacentes ſunt inteſtina tenuia. *Lumborum dolor adeſt* per ſympathiam vicinitatis & ſocietatis, perque ipſam propagationem cauſæ dolorificæ: quoniam totum meſenterium originem ducit a nervis & ligamentis lumborum. Καταχρηστικῶς *hydrops* dicitur in præſente aphoriſmo, tumor abdominis ab inflatione, quam fecit perennis generatio flatulenti ſpiritus interclusi. Nam vere is demum abdominis tumor hydropis naturam oſtendit, quem facit humoris aquoſi ſuppreſſio. *Duret. in Coac. p.* 174. Cum meſenterium parte anteriore inteſtinis alligetur, poſteriore vero lumbis; facile videre eſt, dolores ad umbilicum & lumbos ſpectantes, ex meſenterio prodire.

Adde, quod dolorum contumacia caufam denotet, in profundo corporis & partium fubftantia conclufam, quæ nullo modo deturbari valeat. Si enim in ventriculi & inteftinorum cavitatibus contineretur, facilius excludi poffet. *River. p.* 328.

Communiter Medici per *hydropem ficcum*, qui etiam *tympanites* vocatur, intelligunt tumorem abdominis vehementer intenti, quod percusfum tympani in modum refonat, a caufa elaftica, vapore nempe conclufo, qui halitus eft vifceris alicujus corrupti vitio genitus & efflatus; nonnunquam autem fine putrefactione aura quædam elaftica in abdomine genita, neque exitum inveniens, vi fua membranas circumveftientes antrorfum pellit & tumefacit, eaque non in cavo ventre, fed in ipfis inteftinis concluditur; quæ ita diftendit, ut vim fuam refiliendi prorfus amittant, in immenfum fere aucta illorum cavitate. Vid. *Mead Monit. p.* 124 *fq.* Appellari etiam folet tympanites, itemque hydrops ficcus, ubi abdomen valde tenfum & inflatum ad palmæ percuffum inftar tympani edit fonum; fymptoma nempe anafarcæ & afcitis, denotans, ut fere plerumque in afcite evenit, peffimum & incurabilem ftatum, qui vel a flatibus intra inteftina coërcitis, vel a vapore, ex aqua in abdomine extravafata exhalato oriundus abdominis mufculos ita a tono fuo dejicit, ut penitus elanguefcant. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 425. Conf. *Aretæus de cauf. diut. l.* 2. *c.* 1. Secundum Cælium Aurelianum *morb. chron. l.* 3. *c.* 8. *p.* 471. tympanitem fequitur rotunda atque extans inflatio, fecundum ventrem, cum tenfione plurima, & ad percuffum palmæ refona, velut tympani, unde etiam nomen accepit: item ructa-

ructationes, & aliquando inteſtinorum tormina, quæ excluſo vento per podicem digeruntur, atque gravedinis detrahunt quicquam. Celſus *l.* 3. *c.* 21. *p.* 160. Τυμπανίτην vocari ait ſpeciem hydropis illam, quando ventre vehementer intento, creber intus, ex motu ſpiritus, ſonus eſt. Et apud *Boerh. aph.* 1226. τυμπανίτης dicitur hydropis ſpecies, quando abdomen vapore rarefacto turget, ab aqua, pure, ichore, aëre, clauſis hic, fotis, putrefactiſve.

Aërei quandoque tument abdomine flatus,
Tympana dant nomen morbo, nec nomen abhorret.
Scilicet ut tenſo reſonant cava tympana velo,
Contentaque tremunt, ſi quis percuſſit, ab aura,
Sic aqua ventre latens, vitales cocta per ignes,
Turget, & ad pulſum reſonans interſtrepit aër.
Hebenſtr. de Hom. p. 207 ſq.

Hippocrates non alicubi nomen hydropis cuiquam morbo tribuit, quin aquæ congregatio in aliqua cavitate præſupponatur. Vid ejus *lib. de flat. n.* 18. & *de vict. acut. n.* 62. quibus in locis docet hydropem flatibus minime expertem eſſe, eo quod aqua aëre plena ſit eoque valde intumeſcat. Conf. *Martian. p.* 410 *ſq.* Alius eſt hydrops ſiccus, cujus cauſa in præſenti aphoriſmo aperitur, ſpaſtica videlicet in doloribus vulgo dictis colicis fibrarum diatheſis, deſcriptus a *Baglivo p.* 586: „ Invadit magnus „ & crudelis hic ſolidorum morbus homines „ præ cæteris ſiccos, aridos, aduſtos, iracun- „ dos, alvo ſicca laborantes, nimium exerci- „ tatos, & intempeſtive; poſt abuſum rerum „ calidarum, ſalitarum, acrium, volatilium, „ poſt ardentem aliquam febrim, nimias vigi-

 lias,

„ lias, nimiam Veneris exercitationem, alia-
„ que id generis, quæ corpus ordinario exſic-
„ cant. Incipit morbus a doloribus circa lum-
„ bos, & umbilicum; pedes frequenter non
„ intumeſcunt, niſi paucis ante mortem die-
„ bus, vel hebdomadis, cum tympanitidi
„ aſcites ſupervenit. Creſcentibus in dies do-
„ loribus, nec remittente morbo, creſcit
„ ſenſim arcus & intenſio elaſtica potentiſſima
„ fibrarum abdominis, ſub ſpecie tumoris
„ ventris flatulenti; non quod flatus ſit cauſa
„ morbi, ut Antiqui crediderunt, ſed fibra
„ intenta, criſpataque & portentoſe oſcillans,
„ quæ, cum tangitur, reſonat, ut intenta
„ vel reſiccata tympani pellis. Calidis reme-
„ diis purgantibus, ſudoriferis, quæque agunt
„ exſiccando, malum exacerbatur vehemen-
„ tiſſime, & vires acquirit eundo: contra re-
„ mediis humidis, anodynis, demulcentibus,
„ balneatione, ſero, & lacte, potione aqua-
„ rum copioſa miteſcit & ſæpe ſanatur, ac
„ cedit. Si vero ſpreta remediorum vi, do-
„ lores, & fibrarum intenſiones quotidie cre-
„ ſcant, ſuperveniunt vigiliæ, inappetentia,
„ febricula, alvi ſiccitas, ſitis, &c. Tandem
„ dolorum diuturnitate, ſolidorumque longa
„ criſpatura, ſenſim quoque criſpatur, con-
„ trahitur, exſiccaturque vaſorum ſyſtema,
„ potiſſimum per abdominis longitudinem,
„ & hinc ruptis, vel apertis lymphaticis, lym-
„ phaque depluente in abdominis cavitatem,
„ ſicco hydropi ante mortem ſupervenit aſci-
„ tes lethalis. In hujuſmodi caſibus malum
„ incipit a ſolido, progreſſione vero ejuſdem
„ tracto in conſenſum liquido, mutatoque
„ æquilibrio motuum inter ipſa, peccat etiam

„ &

„ & liquidum. In curatione tamen respicien-
„ dum semper erit ad solida, quæ sane post
„ mortem in mesenterio, & vicinis locis ari-
„ da, tabida, sicca, & emuncta inveniuntur".
Conf. *Hecquet med. nat. T.* 2. *p.* 301 *sq. Martianus* quoque *l. c.* scribit se in duobus ægrotantibus hoc hydrope sicco laborantibus observasse, quod in ascitem, non in tympanitem seu flatuosum ventris tumorem, inciderint, cum symptomatibus tamen siccitatis ab Hippocrate recensitis in *Coac. sect.* 3. *n.* 323 *sq* ubi hæc leguntur: *Quos ex aliqua ægritudine hydrops circumvenit, iis alvi resiccatæ caprinis stercoribus similia dejiciunt, cum mucosa eliquatione, neque laudabili urina. Præcordiorum autem distentiones, ventris dolores ac tumores, & circa laterum inanitates ac spinæ musculos dolores incidunt. Febres quoque, sitis, & tusses siccæ comitantur, & ad motiones spirandi molestia, & crurum gravitas. Cibos etiam aversantur, paucisque sumtis, explentur.* Vid. etiam *Bagliv. p.* 81 *sq.*

Post hæc vero non ignorare oportet, quod Hoffmannus hydropem siccum præsentis aphorismi tympanitem vocet, affectumque esse flatulentum statuat, cujus quidem causam proximam non sine ratione a Baglivo, Willisio, aliisque Recentioribus reponi arbitratur in spastica tunicarum intestinalium strictura, utpote qua diutius in hærente pori & meatus intestinorum, per quos vapores transpirant, angustentur & obstruantur, ut postea intus retenti vi sua elastica propter admixtum aërem expansiva tam violentam intestinorum distensionem efficiant. Distinguit vero doctissimus Vir hunc affectum ab illo tympanite, qui sæpe ceu symptoma, præsertim asciti admiscetur, morbumque ait esse plane peculiarem, qui sine

 ulla

ulla aquæ extravasatione in abdomine contingat. Juxta Ipsum, morbus hic hisce phænomenis & signis se manifestat. Plerumque post dolorem & tensionem circa regionem lumbarem sinistram, alvique constipationem venter vehementer distenditur, flatus ac ructus per superiora violenter per vices extruduntur, pulsus est inæqualis & appetitus dejectus, sed sitis increscit, circa præcordia & umbilicum tensivus dolor, rodens & punctorius cum æstu quodam observatur. Sæpe etiam urinæ adest cum compressione stillicidium. Tumor etiam, si æger supinus jacet, nunquam subsidet atque in neutrum latus æger potest decumbere. Sexui fœminino citra hydropem quam maxime est familiaris, præsertim post puerperium, quando lochiorum fluxus non ritè successit, vel ipse ab admisso frigore, animique affectu, cohibitus omnino fuit. Idem contingit, quando non rite deligato & compresso post partum abdomine error in diæta fuerit commissus, nec prima regio tempore puerperii a sordibus sufficienter expurgata. Tum enim non raro mulieres durum & inflatum abdomen cum magna molestia, spirandi difficultate & anxietate, alvique pertinaci adstrictione satis diu gerere solent. Eadem symptomata post partum laboriosum, si secundinæ non ex toto secesserunt, sed pars quædam remansit, aut si ab earum imprudenti extractione utero inducta fuit læsio, sæpius observata sunt. Quandoque etiam post abortum, si imprudens accedit medicatio, ejusmodi tympaniticæ affectiones eveniunt; quarum causa & origo in perverso & turbato per uterum, & dein per intestinorum tractum sanguinis circuitu ponenda est. Quodsi enim ob vitium utero inhærens naturalis sanguinis

cursus,

cursus, vel ejus critica excretio non rite & libere succedit, ob subsequentem stagnationem per consensum etiam liber sanguinis per viscera abdominis, speciatim vero per intestina transitus impeditur, ubi portio vel sanguinis vel seri subsistens eorum fibras teneriores & sensibiliores distorquet, constringit, easque duriores & tensiores reddit, ut dein libera vaporum in intestinis contentorum perspiratio minus recte fieri possit. Quod vero si incidit, flatuum proventus magis productum & effectus, quam causa tympanitis esse solet. Ejusmodi tumores abdominis distensivos in infantibus & pueris, præsertim si vermibus laborant, item post variolarum vel morbillorum morbum frequentius observare licet: cui malo nisi in tempore accommodata succurritur medicina, partes superiores marcescunt & hectico superveniente calore ægri intereunt. Maxime vero propter addephagiam (*voracitatem*), ubi ventriculus & ejus tonus imbecillior existit, pueri & infantes in grandes ejusmodi tumores incidunt, quorum variæ existunt causæ. Dum videlicet variolas & morbillos, vel etiam continuam febrem, ob vires valde suppressas, liquidumque spirituosum nimis exhaustum, ingens motus peristaltici subsequitur imbecillitas, & ob insignem sanguinis & humorum a morbo contractam dyscrasiam tunicæ intestinorum & peritonæi a sero acri spastica vellicantur strictura, quæ flatuum exitum prohibet, perfacile evenit, ut hic morbus producatur. Quandoque glandularum mesaraicarum & vasorum lacteorum est infarctus, qui succum chylosum non transmittens sordes in primis viis accumulat, quæ ex parte in flatus resolvuntur,

ex parte vero per alvum exturbantur. At vero non tantum hystericæ, & qui ætate sunt pueri vel infantes ob vermium colluviem & exantlatos difficiles morbos, tympaniticæ huic passioni sunt obnoxii, sed & ii potissimum in eandem incurrunt, qui ad hydropem asciten inclinant; cujus quidem rei hæc videtur præcipua causa, quod in ejusmodi corporibus, ubi viscera abdominis, præsertim hepar, minus rite suo funguntur munere, succus quoque biliosus nec in quantitate, nec in temperie recte sit constitutus, ideoque suis, quas in digestionis negotio exserere debet, viribus privatus. Nam bilis genuina atque naturalis est medicina præservatrix. Non enim solum propter principium, quo pollet, alcalino-sulphureum & saponiforme, quo intimiorem alimentorum solutionem & digestionem promovet, insigniter prodest, verum etiam propter amaritiem temperate sulphuream atque balsamicam, blande stimulando & intestinorum tunicas roborando, motum peristalticum sartum tectumque servat: quo perverso & vitiato tota motuum vitalium œconomía, una cum salutaribus excretionibus, ut fere videmus in hypochondriacis, turbatur atque pervertitur. Vid. *Hoffm. l. c. p.* 485 *sq.* Habemus ita tympanitem seu abdominis flatuosum tumorem accomodatum Hippocratis hydropi sicco, qui juxta Baglivum & Martianum flatibus caret.

Meretur aliquanto curatius expendi dirus affectus. Ex dictis patet, intricati scrutinii esse morbum, qui auctoribus vocatur Tympanites, totus scil. abdominis tumor renitens, ad sensum levis, constanter sursum & umbilicum versus prominens, pressus mox se attollens,

ructu,

ructu, borborygmis, & contumaci utplurimum ventris adſtrictione ſtipatus, a flatibus oriundus. Conſtat vero ex obſervationibus, morbi triplicem eſſe ſpeciem, a ſede, quam occupant flatus: ita ut ſit Tympanites alius inteſtinalis, alius abdominalis, alius ex utroque coaleſcens; dum nempe flatus morbum promoventes ac foventes fere ſemper in ventriculo & inteſtinis coërciti latent; quandoque in abdominis cavo deliteſcunt; aut in utroque loco ſimul hoſpitantur. His denique Tympanitis genus addi poteſt, ab emphyſemate tunicarum inteſtinalium aut omenti, meſenterii,hepatis, peritonæi, integumentorum abdominis &c. pronatum. Præterea tympanites aliàs primarius eſt & idiopathicus, ſeu abſque ullo alio prægreſſo morbo, a propria cauſa ſuſcitatus, & tunc utplurimum febre caret; aliàs vero ſecundarius & ſymptomaticus, ſeu aliis affectibus ſuperveniens, qui febrem plerumqne adjunctam habet. Tandem morbus nunc ſolus eſt & ſimplex, nunc aſciti, ilio, aſthmati, vel alteri cuicunque morbo nuptus, ſeu complicatus; nunc dolore, tenſione, torminibus ſemper ſtipatus; nunc iisdem, certis temporibus, orbatus; nunc ſatis mitis, nunc vehementer ſæviens; varians demum in infinitum, cauſarum & ſymptomatum ratione. Spurius dicitur tympanites, in quo inteſtina flatu omnino diſtenduntur, nec aliud continent præter ingentem vermium copiam. Mentitur etiam tympanitem, & ipſius notham aliam ſpeciem conſtituere videtur, maxima, dura ac renitens ventris intumeſcentia, quæ ſine aſcitis ſigno puerilem perſæpe comitatur atrophiam, & in qua ventriculum & inteſtina flatibus partim turgere, haud dubium eſt.

Tympanites raro primarius eſt morbus, ſed fere ſemper ſecundarius, maximeque obſcuri ſunt ejus natales. Si colicus dolor, tormina, borborygmi, identidem inſurgant; ſi ſat frequens ſit furſum ac deorſum flatuum expulſio, momentaneum inferens levamen, & ad hanc promovendam fere continui edantur niſus; ſi tanta ſit ventris adſtrictio, quæ iteratis clyſteribus, & catharticis potibus vix ſubmoveri patiatur; ſi contingens hæc alvi expurgatio duntaxat leviter ſublevet ægrotantem; ſi prægreſſi fuerint affectus in alimentario tubo ſedem obtinentes, ut colica flatulenta, ructus, inappetentia, alvi conſtipatio, meteoriſmus, flatulentia &c. tympanitem inteſtinalem eſſe conjicere licet. Si portentoſa fuerit ventris intumeſcentia, tumeant extrema & tympaniti junctus ſit aſcites, illum potius abdominalem quam inteſtinalem eſſe ſuſpicandum. In tympanite abdominali multo magis ſenſibilis & evidens eſt percuſſi abdominis ſonitus, quam in inteſtinali, præſertim ſi ſincero tantum nec ſeroſi aut alterius liquidi miſcela fracto & fœdato flatu extuberet peritonæi cavum. Hæc tamen ſigna ſeorſim ſumta, valde, collecta ſimul, minus æquivoca & incerta ſunt. Si tamen deſcripta inteſtinalis ſymptomata primum exſurgant, diuque ſatis ſæviant, deinde vero alia abdominali magis propria accedant, hunc alteri adjunctum fuiſſe, conjicere, non aſſerere, fas eſt. Inæqualiter tumens abdomen, morbum ab interno viſcerum emphyſemate foveri denotat. Si tandem æquabilis ubique, fere in poſtica æque ac in antica parte ſenſibilis, & ultra abdominis peripheriam protenſa fuerit turgeſcentia, digiti preſſu, emphyſematis inſtar, fremens ac ſtrepens;

pens;jam ſpurius adeſt tympanites in adipoſa cuti ſubjecta membrana ſedem habens. Diſtinguitur Tympanites ab Aſcite per ſequentia. In tympanite potiſſimum intumeſcere incipiunt mediæ ac ſuperiores ventris partes, in aſcite inferiores & laterales: in tympanite levitas adeſt, in aſcite gravitas: in tympanite, alba, tenſa, & elaſtica ventris cutis, preſſa renititur, prompteque reſilit; in aſcite, pallida ac quandoque fere vireſcens, laxa & flaccida, prementi digito facilius obſequitur, lentiuſque reſtituitur: in tympanite auditur percutiendo ſonus, in aſcite non: in tympanite nullum fluctuantis aquæ percipitur murmur; in aſcite vero, dum convertit ſe æger, ſentitur: in tympanite, ex vario decubitu non mutatur forma ventris, in aſcite mutatur, niſi ad extremum perductus ſit tumor: pedum & crurum inflatio, nec non faciei pravus color aſciti magis quam tympaniti junguntur: tympanitici pulſus crebrior & durior, aſcitici vero rarior & languidior eſt. Signa, quibus ſimplex ſeu a flatibus ſolis oriundus tympanites dignoſcitur a tympanite qui aſciti junctus, hæc ſunt: In hoc gravior, in illo levior eſt abdominis tumor; in hoc, ex corporis motu, quædam ventris fluctuatio, in altero vero nulla deprehenditur; in hoc plerumque minus ſenſibilem, in illo evidentem edit ſonum percuſſus venter; in hoc pedum tumor œdematoſus ſemper adeſt, qui in altero utplurimum deficit: in hoc preſſus venter lente attollitur, & aliquantum temporis impreſſionem ſæpe ſervat, in illo prompte reſtituitur, nullo unquam manente admoti digiti veſtigio. Qui tandem complicata hac tympanitis ſpecie correpti ſunt, difficilius ſpirant, majoremque

ex

ex decubitu molestiam persentiunt, quam simplici tympanite affecti, qui frequentius borborygmis & torminibus molestantur. Tympanites primarius, recens, simplex, a causis levioribus ortus, debellari potest; symptomaticus vero, ad summum provectus, complicatus, & a causis validioribus concitatus medelam non suscipit. Intestinalis abdominali minus periculosus est; in priori enim datur adhuc erumpendi via, in altero vero vix ulla patet. Qui ab emphysemate interno exordia ducit, curatu difficilis, abdominali tamen minus periculosus est. Qui ab externo seu integumentorum flatuoso tumore pendet, omnium facillime curatur. Modo citius, modo tardius interimit tympanites. Qui febrem continuam comitem habet, celerius in mortem definit, quam qui febre caret. *In hydropicis siccis urinæ stillicidia mala: malæ etiam urinæ, quæ exigua habent sedimenta. Hipp. Coac. sect.* 3. *n.* 279 *sq.*

In curatione tympanitis intestinalis recentis, maxime conveniunt, quæ aëri coërcendo ac frenando, ipsiusque rarescentiæ cohibendæ apta, qualia sunt inprimis aquea lenia, diluentia & refrigerantia oleosæ acidæque familiæ: vitanda cathartica, validiora præsertim, mere aromatica, acria, stomachica, tum & carminativa potentius discutientia. Ad alimentarii ductûs partium tonum ab aëris elatere fractum ac pene subversum usurpanda tonica, subadstringentia, leviterque stimulantia, quibus jungenda anodyna. Dilutæ prius ac emollitæ in primis viis hærentes sordes expellendæ sunt benignioribus catharticis, lenium oleorum & quandoque narcoticorum accessu mitigatis, tandemque clysmatum usu, qui persæpe purgan-

gantium exhibitioni anteponendus est; & si adsit plethora, vel velociori impetu raptus sanguis aut febris adsit, sanguis mitti debet: ac denique interceptum chyli iter, visceraque obstructa requirunt lenia aperientia ac resolventia, sed præcipue diluentia. Potus sit lac asininum, lac aquis thermalibus sulphureis permixtum. Alvus semper servetur laxa clysterum usu adhibitis lenioribus catharticis, manna, syrupo florum persicorum, syrupo cichorii composito cum rheo, aliisque. Aqua cerasorum composita Batei tanquam efficacissimum in curando tympanite remedium prædicatum est. Externe ventri applicari potest fomentum ex urina puerorum cum lapide prunellæ cocta paratum, & adhiberi semicupium ex tepente aqua, cui plantæ emollientes & carminativæ leviter incoxerint. In diuturno & continuato affectu semicupii usus non convenit. Compressio autem abdominis atque deligatio tum in recenti, tum in adulto morbo prodest. Ad reprimendum contranitentem aëra, aqua nivalis, aut alia quæcunque gelida ac propemodum in glaciem concreta, tympanitico ventri applicatur, ad ferventem in abdomine æstum cohibendum. Per submersionem in aqua frigida maris morbus hic quoque curatur, & potu aquæ glacialis; sed interim non negligendus est medicamentorum internorum usus, nec clysterum infusio, ac deligatio & compressio abdominis, postquam sic frigore constrictus fuit & densatus venter. Attamen hæc per frigus auxilia nonnisi maxima cum prudentia, misso prius sanguine, primarum viarum sordibus eliminatis, ac mitigatis aliquantulum, quapiam alia ratione, flatibus, usurpare fas est. In morbo valde pro-

provecto, doloris experte, viribus exsolutis; in quo prædominatur laxitas, tonica, roborantia remedia in usum vocanda sunt, evitatis tamen acrioribus. Laudatur tunc decoctum albi græci cum hordeo in vino albo factum, cujus colatura cum cinnamomo aromatisatur, & edulcoratur cum saccharo. Si cætera non conferant auxilia, urina pueri impubis exhibenda suadetur, unàque turgido ventri admovenda. Si acidum in primis viis luxuriat, danda sunt absorbentia & alcalica remedia, nec non pulvis corticis Peruviani. In omni tympanite *fotum ad tympanitem* commendat Fullerus *pharm. p.* 136. ad quem recipit nitri unc. duas, salis ammon. unc. unam, & spiritus vini tenuioris, multo phlegmate imbuti libras duas; quibus mistis pannum laneum tepide intinctum, super totum abdomen applicat, & subinde mutat, denuo intingendo: idque fieri vult bis in die per horæ semissem, ac dein applicari cataplasma ex fimo vaccino, & pulvere stercoris canini. In altera tympanitis specie, quæ est Tympanites abdominalis, si collecto tantum flatu turget abdomen, sæpe medicamenta desiderato destituuntur effectu, quia abdominalibus claustris incluso aëri nullus patet exitus. Juvabit alvum mollire frequenti clysmatum lenientium ac carminantium injectu, tum prudenti catharticorum usu, ut decrescat abdominis turgescentia, item urinarias patefacere vias, ut flatus vasculis absorbentibus excepti, & humorum fluento abrepti per diuresin e corpore eliminari possint. Paracentesis abdominalis non suadenda esse videtur, quia operationis feliciter peractæ non occurrit exemplum. In emphysemate, spurium quoddam tympanitis genus

genus inferente, remedia requiruntur, quæ in intestinali & abdominali laudata sunt. Quando tympaniti comes junctus est ascites, raro quidem intestinalis, fere semper abdominalis, præter dicta conferunt diuretica & cathartica paulo vehementiora, quam in tympanite simplici, inter alia spiritus terebinthinæ ad guttas quindecim aut viginti, cum pari essentiæ carminativæ Wedelii dosi, aquæ chamæmeli simplicis aut compositæ aliquot unciis affusus, hic maxime prodesse potest; nec non spiritus salis coagulatus Batei. Frequens clysmatum laxantium, & catharticorum injectio, in hoc composito morbo, maximum levamen afferre potis est. Punctio ventris ad educendam aquam celebrari potest. Vid. *Combaluſ. Pneumat.*

Aphor. 12.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

Quibus alvi intestinorum lævitate infestantur, eos hyberno tempore per superiora medicamento purgare, malum.

Intestinorum lævitas seu lienteria dicitur egestio per inferiora alimentorum, quæ ventriculo ingesta, non mutatorum, ob inertiam humorum ad coquendum ineptorum, & laxitatem ventriculi atque intestinorum, qua inprimis fit, ut quicquid assumtum est imperfectum protinus reddant dum retinere non possunt. Sub

Sub autumno contingere solent lienteriæ a primarum viarum tono debilitato per calorem æstivum, sero interim impuro per constitutionem autumnalem, propter transpirationem impeditam, accumulato & in membranas intestinorum irrumpente ac ea ad excretionem crebrius irritante. Vid. 3 *aph.* 22. Curando huic affectui non conveniunt, juxta præsentem aphorismum, emetica tempore hyberno, quia in genere hoc anni tempore difficilius operantur, ex præced. *aph* 4. Ergo potius deorsum expurgatio instituenda per cathartica stimulandi, irritandi, virtute prædita, ut intestinis vigor reddatur deperditus? Secundum *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 354. Quod si minus purgatio per superiora locum habeat, fiat levis evacuatio per inferiora; blandior nempe, & quæ præter vim abstersivo-laxativam simul nonnihil adstringit, & stomachum roborat: uti sunt aloëtica, rhabarbarum, panacea stomachi, myrobalani, &c. Celsus *l.* 4. *c.* 16. *p.* 227. *Necessarius*, ait, *huic morbo est vomitus, ut Hippocrati visum est, etiam albo Veratro, si cætera parum proficient, evocatus.* Locus est apud Hippocratem *lib.* 2. *Epidem. sect.* 2. *n.* 52. ubi in Demæneta observatum fuisse dicitur, quod ad perfectam curationem veratri potione opus habuerit; quo in loco Cornarius & Fœsius perperam transtulerunt verba illa ἰήθη ἐλλεβόρῳ πόσει, *curata est veratri potione*, hæc ad Lyciam referentes, quæ ad Demænetam referenda erant, hoc pacto: *curatus est veratri potione*, ita ut Lycia sit alterius narrationis principium; quomodo enim dicere potuisset sanatam esse Lyciam veratri potione, quam in fine obiisse narrat? Vid. *Martian. p.* 306. & Conf. infra 6 *aph.* 1.

APHOR.

APHOR. 13.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

Qui veratro ſumpto non facile per ſuperiora purgantur, iis ante potionem corpora copioſiore cibo, & quiete præhumectato.

Legitur hic aphoriſmus in *lib. de Veratri uſu*, ita: *Qui non facile per ſuperiora purgantur, iis corpora copioſiore cibo & quiete ante potionem humectanda ſunt.* Apud Celſum *l.* 2. *c.* 13: *Quisquis daturus erit, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius ſit.*

De elleboro albo ſermo eſt, ad cujus facilitandam operationem præmiſſa humectantia conferunt, nec non copioſius alimentum cum quiete, ut cicuretur vis major medicamenti validi & fibræ humectatæ minus lædantur a ſpaſticis contractionibus ad actum vomendi requiſitis. Repletio per cibos & quies, ſeu ſomnus, humectando quoque proſunt. Humectat vero cibus tum per ſe, ſi liquidus ſit, humores diluendo, tum per accidens ſanguinem augendo. Quies vero ſaltem per accidens, humida non diſſipando. *Eph. N. C. D.* 2. *a.* 8. *p.* 185. Subinde ante vomitum & medicamenti potionem fomentum admovere opor-

tet. *Hippocr. de intern. affect. n.* 47. Idem *l.* 6. *epid. sect.* 5. *n.* 45: Veratrum epotum si celerius purgare voles, lavare aut cibum sumere oportet.

APHOR. 14.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους, καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Ubi quis veratrum potione sumpserit, corporum quidem motiones magis quam somnum, & quietem inducito. Nam vel navigatio turbari motione corpora indicat.

Extat iisdem fere verbis hic aphorismus in *lib. de Verat. usu.*

In præcedenti aphorismo dictum, quid factu opus sit ante ellebori usum, ut facilius procedat ejus operatio. Jam traditur, quid ab epoto vomitorio faciendum, ut nempe uberius procedat atque celerius evacuatio. Corpus moveri debet, motu enim magis quam quiete & somno excitatur ad vomendum, declarante id navigatione, ut quæ turbet corpus. *Hecquet.* Somno & quiete omnes sistuntur evacuationes, præter sudores.

APHOR.

APHOR. 15.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα· ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει καὶ μὴ κίνει.

Ubi veratrum magis ducere voles, corpus moveto: ubi vero ſiſtere, ſomnum conciliato, neque moveto.

Quod actio vomitorii promoveatur per motionem corporis, jam vidimus in præced. *aph.* 14. Hic ſimul docemur, quî ſiſti debeat operatio medicamenti. Somnus ceſſare facit ortos a medicamine tumultus. Quare *ſomnum facito*, datis narcoticis. Decocto hordei tepido cum ſaccharo, ac deinde præſcriptis ſyrupis de acetoſ. citri, de limonibus, ac cydoniorum, cum rob de ribes, mulierem deſperate ex ellebori albi abuſu decumbentem curavit *Foreſtus Obſ. med. l.* 30. *obſ.* 9. Plures, qui cum cibis, loco aromatum, forte fortuna, elleborum album pulveriſatum acceperant, & metu ſuffocationis angebantur, Scholzius enemate, ex brodio carnis, injecto, atque exhibita theriaca Andromachi, integre reſtituit. Vid. *Stentzel de Ven. l.* 2. §. 27.

APHOR. 16.

Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι· σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Veratrum iis, qui sano sunt corpore, periculosum: convulsionem enim inducit.

In *lib. de verat. usu* hic aphorismus legitur ita: *Veratrum carnes sanas habentibus periculum creat*; & in *epistola Democriti ad Hippocratem*: *Veratrum sanis exhibitum, menti tenebras offundit.* Celsus *l.* 2. *c.* 13. *p.* 87. in hunc modum expressit: *Illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum, quod potui datur, non semper ægris prodesse, semper sanis nocere.*

Quod hic de Veratro dicitur, valet de aliis etiam drasticis purgantibus. Vid. supra 2 *aph.* 36. Non mirum vero videbitur elleborum album convulsiones inducere: est quippe ex vehementissimis irritantibus; & cum non sint in sanas habentibus carnes quæ expurganda venirent, spasmi etiam oriuntur ab inanitione. Adde, quod per sanas carnes nihil aliud quam fibræ frequenti exercitio obduratæ atque elasticæ redditæ intelligantur, quales ab acribus facilius, magisque afficiuntur, quam quæ ex defectu exercitii flaccidæ sunt. Vid. *Stentzel de Ven. l.* 1. §. 17. Continuatio hujus aphorismi est infra 5 *aph.* 1.

APHOR.

APHOR. 17.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι, ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Si cui sine febre cibi fastidium, & oris ventriculi morsus, & tenebricosa vertigo contigerit, & os amarescens fuerit, hæc necessariam esse per superiora purgationem indicant.

Desumta est hæc sententia ex *lib. de Veratri usu*. Celsus *l.* 1. *c.* 3. *p.* 29. eam ita expressit: *Sive plus est, quam quod concoqui possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet: sive jam corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere. Itaque, ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum sunt, ad vomitum protinus confugiendum est. Idem prodest ei, cui pectus æstuat, & frequens saliva, vel nausea est; aut sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est.*

Ipsa natura nobis præire videtur, dum tales a spontaneo vomitu levantur. Particula ab Hippocrate apposita, *sine febre*, non excludit febricitantes omnes ab hujusmodi purgatione, quando memorata adsunt sumptomata; sed significat febre carentibus supernam purgationem eo casu semper convenire, cum nihil concurrere possit, quod eam prohibeat, quod in febribus non contingit. Prædicta enim ac-

cidentia duplicem caufam habere poffunt, vel copiam humoris biliofi, ventris fuperiores partes petentis, vel inflammationem aliquam, ventriculi partes occupantem, & ficuti in primo cafu vomitus femper convenit, tum ratione materiæ, quæ furfum facile movetur, tum propter locum, in quo refidet, ita inflammatione ventris partes tenente nihil magis lædere poteft, quam vomitus: per quem partem affectam plurimum laborare contingit, quia vero talis inflammatio non poteft adeffe fine febre, ideo ut hunc cafum excluderet dixit: *non febrienti.* Si quis tamen cum dictis accidentibus abfque inflammatione febricitaret, tuto per fuperiora purgari poffet, quare, ut propofitionem univerfaliter veram conftitueret, conditionem appofuit, *nifi febris adfit. Martian. p.* 445.

Sub initiis febrium nullum eft remedium æque falutare, ac vomitorium; fæpenumero & neceffarium eft, fi quando, quod plerumque fit, vel naufea, vel ventriculi gravitas, vel etiam capitis dolor invaferit. Hac quippe evacuandi ratione non modo primæ purgantur viæ, crudæque materiæ redundantia compefcitur; fed cum vifcera mufculique corporis vehementiore motu agitentur, ipfæque medicamenti particulæ in fanguinem fefe infinuent, ita demum refolvuntur humores, ut liberior fit intra vafa tenuia circuitus, &, fi quid fuperfluum fit, per cuticulares meatus diffluat. Quæ vomitorii actio interior nusquam fe manifeftius prodit, quam in celebri illa radice ipecacoanha. *Freind de Febrib. p.* 19. In febribus intermittentibus utilia funt vomitoria, quia convulfione corporis in vomitu, etiam minima vafa moventur, & ab eo quo funt obftructa,

fæpe

ſæpe liberentur: præcipue ſi ea fuerit vomitorii vis, ut in ſudorem agatur ægrotans. *Linn. de febr. interm.* In quartana, edicente *Alexandro Trall. l.* 12. *c.* 8. *p.* 765. vomitus omnibus utiliſſimus eſt, præſertim iis qui humores craſſos in ore ventriculi continent. nam craſſitiem extenuat, & ut concoquatur, celeriuſque discutiatur, efficit. Optimum autem tempus ad vomitum eſt, acceſſione incipiente: quoniam etiam tunc humores, cum materiæ moventur, & illi in ſtomachum confluunt, illumque rodunt, nauſeam excitant. Et Idem paucis interjectis, Ego, inquit, novi me hoc modo inveteratas quartanas diſcuſſiſſe, ut nonnullæ ipſarum ſuperata jam deteriore parte conquieverint. H. J. In febribus petechialibus & ipſa peſte, ad præcavendum majus malum, in principio juvat exhibere vomitorium, ſubjuncto huic laxante, in iis certe, quorum primæ viæ craſſo & viſcido humore obſeſſæ ſunt, tam ut ipſum halituoſæ indolis contagio ſuſceptum & ſalivâ ventriculo communicatum miaſma proxima via ejiciatur, prius quam reliquis partibus ſe inſinuare poſſit; quam ut fomes graviorumque malorum & ſymptomatum pertimeſcendorum fundamentum præſcindatur. *Schulz de ventr. & inteſt. rat.* §. 23. Conf. *Hoffm. med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 299.

Dici non poteſt, quantum emetica medecina, ſuccuſſionibus ſuis, ſpiritus per veneni violentiam oppreſſos & quaſi attonitos excitet, humores ad coagulum & ſtaſin pronos diſſolvat, & ad ſudorem, ſtatim poſt tale purgans quam fieri poteſt citiſſime urgendum, diſponat. Aſt formatis jam a natura per bubones & carbunculos criſibus & abſceſſibus, prohiben-

tur emetica. Vid. *Eph. N. C. Cent. 6. p.* 254 *sq.* Unde intelligimus, cur febris tertiana petechialis epidemia, a præcipitantibus datis exacerbescens, a venæ sectione lethalis, per vomitoria in principio exhibita, fuerit sanata, petechiarum eruptione simul præpedita. Vid. *ibid. D.* 3. *a.* 1. *o.* 19. In febre morbillosa, si suspicio est primam corporis regionem copiosis & crudis succis redundare, expedit in primo insultu leni emetico eandem deplere. *Hoffm. l. c. p.* 189. In febre variolosa primo invasionis die locum habent vomitoria, quando turgere primam regionem vitiosorum succorum colluvie adsunt indicia, ex ægri potissimum voracitate incongruorum liquidorum & solidorum, nausea, oris amaritie & ructibus, desumenda. Quin & infantibus lactentibus, unius anni, vel ante eruptionem variolarum, vel in suppuratione, quum ob difficultatem & angustiam spirandi suffocationis metus est, cum præsentaneo levamine profuisse observatum est lene emeticum, ex sexta vel quarta parte grani tartari emetici, soluti in aqua Veronicæ, addito pauxillo syrupi violarum. *Ibid. p.* 155. 157. In variolis, ante pustularum eruptionem, vomitus primum eliciendus est, si forte pituita aut bilis in ventriculo coierit, aut cibis intempestive nuper ingestis oneratus sit. *Mead oper. p.* 320. In peste autem cum multo acutior sæviat febris quam in morbo alio quocunque, & ad phlogosin promta sit ventriculi & intestinorum dispositio, non adeo secura est, quam in variolis, vomitio. Commendanda sunt ex emeticis quæ mitiora, inter quæ nullum ipecacoanha præstantius, sed summa cura invigilandum, ne aut intestina aut stomachus inflam-

matione

matione correpta sint, dum in usum illa revocantur. Si enim res contigerit, mors ab eorum usu certa superest expectanda. Aliàs semper initio utilissima sunt. *Ibid. p.* 287, Non rarum nec insolens quoque est, post tertianam, anxium circa præcordia dolorem, cum insigni virium languore, ciborum fastidio, oris siccitate, & animi leviuscula defectione, lentoque calore interdum observari; quæ cuncta mala a bile acri & vitiosa, copiosius in duodeno, si virtus ejus motrix peristaltica sub morbo valde fracta fuerit, coacervata diutiusque stagnante produci, exinde demum intelleximus, dum leni emetico, v. g. uno vel altero grano tartari emetici, cum suff. quant. aquæ dato, effusa magna saburra, conquievisse protinus hæc omnia mala vidimus. *Hoffm. med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 234. Hinc etiam in febre ardente, Hippocrates *de affection. n.* 14. Quod si, inquit, febris prehenderit & dimiserit, corporis autem gravitas detinuerit, hunc quidem quamdiu febris tenuerit, sorbitionibus ac potionibus curato; cum vero minime detinuerit, etiam cibos exhibeto, & quam citissime medicamentum purgans exhibeto, sive sursum, sive deorsum tibi eo opus esse videatur. Si vero febris quidem non detineat, os tamen amarum habeat, corporis gravitas adsit, cibumque minime admittat, medicamentum exhibeto.

Vocabulum καρδιωγμὸς secundum Galeni interpretationem vertitur *cordis dolor*, seu *morsus cordis*, i. e. oris ventriculi, nam hoc quoque Veteres cor appellabant: ille autem dolor in cavo ventriculi oritur a corrupto & vitioso humore, quem cacochyliam vocant; qui ventriculum inordinate commovendo, per consensum tur-

bat visum, unde *tenebricosa vertigo*. Inter præcipua autem non solum signa, sed etiam exhibentia naturam contentorum ventriculi, est *oris amaritudo*. Ille enim sapor amarus in ore notat cacochyliam amaritudinem habere, qualis sapor observatur in bile corrupta & pinguedine putrefacta. Et quoniam pingue hoc naturâ levius supernatat, facile, si ructus educuntur, unà assurgit & ita os suo amarore inficit; vel forsan inverso œsophagi motu in fastidiosis & nauseosis, quædam ejus portio truditur versus os. Constat ergo, in ventriculo contineri humorem alienum, pinguedinosum & corruptum, ventriculum pronum esse ad faciendum motum inversum pro vomitu; unde summo jure dicit auctor, hæc signa indicare purgationem per superiora. Nam si maneat diutius, ejus humoris augebitur corruptio, absorptus humor inficeret totum corpus, pulsus per intestina multa tormina inferret, & forsan subsisteret hic illicve in tam longa via. *Gorter.* Conf. *Boerh. morb. nerv. p.* 598. Qualis sit morbus vertigo, vidimus ad 3 *aph.* 17. ubi (uti etiam *aph.* 23 & 31.) ἴλιγγος vocatur, a verbo εἴλειν, *versare*, circumagere, quemadmodum vertigo Latinis derivatur a *vertere*. In præsente aphorismo σκοτόδινος, *tenebricosa vertigo*, compositum nomen est ex σκότος *caligo* sive tenebræ, & δῖνος vel δεῖνος, quæ vox, teste Erotiano in Expos. vocum Hippocratic., saltationis genus significat, in qua saltaturus uno tantum pede terræ insistens in gyrum se vertebat, qui lusus ab inexercitato peractus efficiebat vertiginem. Δεῖνος vocatur etiam vas figulinum, quod tornando præparatur. Itaque σκοτόδινος vocabatur a Veteribus vertigo cum tenebricosa caligine superac-

accedente: ſcilicet in majori hujus morbi gradu apparet duplex objectum, tunc varii videntur colores, & dein tenebræ. *Boerh. l. c. p.* 577.

APHOR. 18.

Τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσιος δέονται, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι, σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Dolores ſupra ſeptum tranverſum purgatione indigentes, medicamentum, quod per ſuperiora purget, neceſſarium eſſe indicant. At qui ſepto tranſverſo ſunt inferiores, per inferiora.

Hunc aphoriſmum in *lib. de veratri uſu* plenius ita legimus: *Per ſuperiora purgatio accommoda eſt omnibus ſupra ſeptum transverſum doloribus. Per inferiora vero, ubi citra febrem tormina detinent, lumborum dolor, genuum gravitas, menſes ægre prodeunt, & dolores ſunt in partibus ſepto transverſo inferioribus.*

Elucidatur in his aphoriſmus præcedens, monemurque, quod quo vergunt humores educendi ſint, per convenientes locos, juxta 1 *aph.* 21. Congruum enim eſt, ut vomitu educantur, ſi evacuandi fuerint, qui faciunt humores dolorem ſeu moleſtiam ſupra diaphragma, h. e. in ore ventriculi; contrà, qui infra moleſtant, per anum expurgentur: e. g. in obſtructionibus hypochondriorum, adver-

ſus

ſus quas eccoprotica ſaponacea, ſine vi reſolventia, inprimis conducunt. Vid. *Boerh. aph.* 1101. Plura ſub *aph.* XX.

APHOR. 19.

Ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι καθαιρόμενοι, οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui ſumpta potione medica dum purgantur, non ſitiunt, ii purgandi finem non faciunt, donec ſitiverint.

Et hæc ſententia extat in *lib. de veratri uſu.* Sitis a catharſi ſuperſtes inductam indicat ſiccitatem, ab exhauſtis humidis. Itaque qui, dum purgantur, nondum ſitiunt, non ceſſant purgari prius quam humores lymphatici educti fuerint, quos draſtica purgantia (qualia Hippocratis ævo familiaria erant) exprimere pergunt quam diu adſunt. Non tamen ſemper ſuperveniens ſitis completam purgationem factam eſſe indicat: nam interdum ſitiunt a cathartico ægrotantes, nec tamen bene ſunt purgati. Nec etiam ſequitur ſemper, quod purgatio ceſſet ſuperveniente ſiti; quia acria cathartica, etiam poſtquam ſitim excitarunt, evacuatis multis humoribus, pergunt agere diſſolvendo ſanguinem. *Tozzi.* Non ita intelligendum eſt Hippocratis effatum, ac ſi prius non deſiſtendum ſit a purgatione, quam ubi

ſitis

ſitis fuerit inſecuta. Hoc enim modo acerbam cladem humano generi advecturus eſſet hic aphoriſmus, qui illud tantum vult, quod ſitis, purgationi ſuperveniens, ſignum eſſe posſit ſufficientiſſimæ evacuationis, poſſitque tunc Medicus evacuando acquieſcere, ne nimium agendo naturæ fiat inimicus. *Heucher p.* 200.

Ergo quæ prodeunt, non copia æſtimanda ſunt, &c. 1 *aph.* 23. Siti autem a purgantibus exortæ non detrahendum quidem, attamen nec indulgendum largiori potu, præcipue vini. *Wedel.*

Aphor. 20.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γένηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Si dolor inteſtina torquens, & genuum gravitas, & lumborum dolor citra febrem adfuerint, medicamento quod per inferiora purgat opus eſſe ſignificant.

Hic aphoriſmus ex *lib. de Veratri uſu* excerptus, continuatio eſt præcedentis 18. Per inferiora faciendam purgationem quæ indicent hic docetur, ſi nempe vergant humores deorſum, ut eo verſus ducantur. Tantum vero abeſt, ut ſemper in febribus nociva reputanda ſit catharſis, ut potius, in principio præcipue, ad materiam putridam, bilioſam, in primis viis ſtabulantem ejiciendam, magnopere

pere conducat. Imo in quolibet morbo acuto purgatio necessaria quodammodo est: certum est enim, quantum plenitudini tollendæ præstat venæ sectio, tantum cacochymiæ purgationem conferre. Verum, quia non omnium acutorum morborum eadem est conditio; quandoquidem in hoc plenitudo prævalet, cacochymia in illo; ideo evenit, ut aliquando venæ sectio principale remedium sit, aliquando purgatio. In morbis illis, quos recenset Hippocrates *de vict. acut. n.* 36. quia plenitudo prævalere cacochymiæ ut plurimum solet; ideo a venæ sectione, ut remedio principali, inchoandum præcipit. Vena autem secta ad purgationem deveniendum erit, si morbus adhuc perseveret magnus: quia signum erit, tantum cacochymiæ adhuc subesse, quæ morbum foveat; pro qua tollenda purgatio necessaria est, hæcque post venæ sectionem felicior redditur, quia remissa per sanguinis evacuationem venarum, & carnium tensione, viisque patentioribus effectis, humores promptius medicamento cedunt. Admonet autem, ut circa eam caute procedamus, ne vires ex prægressa sanguinis evacuatione confractæ, ex subsequenti purgatione penitus destruantur; nam eo casu purgationi supplere clysteribus tentabimus, qui etiam sufficere poterunt, si cacochymia magna non aderit, quod morbi remissio a venæ sectione indicabit. Cur vero in propositis *l. c.* morbis venæ sectio præcedere purgationem debeat, rationem assignat: *quia solvi nequeunt, si quis eas primum medicamento purgante aggressus fuerit. -- Quicunque autem statim per initia morborum inflammationes medicamento purgante solvere tentant, ii de contenta quidem atque inflammata parte*

parte nihil detrahunt, cum nihil cedat quæ adhuc cruda est affectio, quæ vero morbo resistunt & sana sunt contabefaciunt. At debili reddito corpore morbus superior evadit, qui ubi corpus superarit, curationem non admittit. Vid. *Martian. p.* 385 *sq.*


Etsi vero catharticorum ope materiam quandam febrilem a sanguine segregari excernique haud credibile sit, tamen eorum virtus ex eo tantum, quod intestinis adferunt, levamento minime æstimanda est. Alias enim, easque eximias utilitates præstant. Primo enim, corruptis humoribus ejectis, alimentum, quod ingeritur, purum & integrum ad sanguinem defertur: deinde, intestinis depletione subsidentibus, viscera atque ingentia sanguinis vasa quæ abdomine continentur, minus coarctata, liberius circulationi spatium præbent: postremo, jecoris, pancreatis, & aliarum glandularum exitus referantur. Unde diaphragma & pulmones respiratione faciliori gaudent, in caput haud ita violenter propellitur sanguis, per universum corpus turbatus circulationis cursus in ordinem revertitur; alvique fluxus & promoventur critici, & arcentur symptomatici. Huc accedit, quod sudorificorum usus longe tutior sit & efficacior post venæ sectionem & purgationem, inanitis laxatisque vasis, & patefactis eorum osculis. Ex quo facilius per cutis poros desiderata promovetur evacuatio, & ab eo cavetur, quod maxime metuendum est, ne, dum in ciendo sudore toti sumus, remedia huc spectantia inflammationes internas & obstructiones augeant. Igitur ubi morbus alvo, ut fieri solet, diu adstrictæ supervenit, ubi post vomitionem nausea cum ructu graveolenti etiamnum inhæret, ubi pituita stomacho mo-

molesta est, ubi os amarescit, ubi abdomen aucta viscerum mole aut flatibus distenditur, ubi intestina cum ventris siccitate vel etiam fluore torquentur, ubi corpus pravis succis abundat, quid obstat quo minus lenia, quorum copia nobis suppetit, præsertim in initiis febrium, purgantia imperemus? Certe Hippocrates, licet haud alia ei cognita fuerint quam calida & vehementia cathartica, tamen & hæc etiam aliquando in febribus necessario adhibenda esse perspexit. Is enim ita præcipit 2 *aph.* 29. *Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move: vigescentibus vero, quiescere melius est.* Et 1 *aph.* 24. *In acutis affectionibus, raro, & in principiis, purgante utendum: atque hoc, diligenti prius adhibita cautione, faciendum.* Et 4 *aph.* 10. *Purgandum in valde acutis, si turgeat materia, eadem die: morari enim in talibus, malum est.* Notare autem convenit, quod catharsin præcedere debeat venæ sectio, ad præcavendum tumultum & febris intensionem ab assumto cathartico. Docuit enim experientia *Sydenhamum p. m.* 677. catharsin, modo post eductum sanguinem tentetur, quibuslibet aliis remediis felicius certiusque febrem perdomare; tum quatenus fœdam illam humorum illuviem e corpore exigat, a quibus ut a causa antecedente febris accendebatur: vel si non antea peccabant ii, jam saltem concalefacti, & a febris ardore quasi cocti & constipati, ad ejusdem moram diuturniorem multum faciunt; tum etiam quatenus anodyno viam sternit, quod tutius longe certiusque officio suo fungitur, quam si humores peccantes, qui paregorici vires aliter potuissent infringere, purgatione non fuerint eliminati. Vid. *Wigani præf. ad Freind Oper. p.* 33 *sq.* Hip-

Hippocrates *de vict. acut. n.* 44. hanc quasi perpetuam purgandi regulam in acutis febribus ponit, quando scilicet urina ad crassitiem devenerit: & sane id, uti optimum in variolis signum est, ita & hoc morbi tempore purgationem commode institui posse significat. *Freind Epist. de Purg. p.* 106. In principio certe variolarum, ante pustularum eruptionem, ventrem purgare convenit. At leni tantum medicamento uti oportet; cujusmodi est infusio sennæ, adjecta manna; aut, in pueris præsertim, manna sola. Neque enim turbæ in corpore sunt ciendæ. *Mead Oper. p.* 320. Quin & variolis in suppurationis tempore constitutis, leniora alvum moventia non tam proficua quam etiam necessaria sunt, dum modo adsunt symptomata quæ alvum ducendam inindicant, ut flatus, anxietas & spirandi angustia. Quod vero alvus justo tempore, per congrua remedia ducta, exanthemata ad interiora non revocet, ut quidam metuunt, convulsionesque producendo mortem inferat, satis testantur diarrhœæ, quæ aliquando per totum morbi decursum accidunt. Et hic alvi fluxus, nisi sit torminosus, tantum abest, ut noceat, mortemque inferat, ut potius variolis inprimis malignis egregie conducat. *Schulz. de ventr. & intest. rat.* §. 22. Ast febris putrida, seu secunda, variolarum confluentium, quæ pustulis exarescentibus, aut (si nulla sit suppuratio) tumore inflammatæ cutis subsidente, plerumque supervenit, ex corrupta materia, aut in pus nondum versa, aut ex pustulis in sanguinem rejecta, hæc, inquam, febris nulla alia medicina tutius depellitur, quam purgante. At lenioribus tantum

catharticis & hic opus eſt, qualia ante eruptionem puſtularum adhibenda eſſe dictum eſt. Vid. *Mead l. c. p.* 325. 404.

Genuum gravitas hic intelligi debet, non quæ fit ex copia, nulla enim mentio fit tumoris, qui ſemper jungitur copiæ; ſed quæ eſt ex virium defectu, ob cacochyliam. Dum enim primæ viæ crudo ſcatent, reliquum corpus utili & præparato chylo privatum redditur laſſum & debilitatum; ſed inprimis muſculi, qui movent genua. Quia vero nervi ad meſenterium tendentes & ad hos muſculos, ex eadem fere veniunt origine, hinc eſt, ut meſenterii & inteſtinorum nervi, cacochyliâ in ſua actione oppreſſi, reliquos ad femora tendentes magis quam alios in conſenſum trahant. Jam patet, cur genuum gravitas ex cacochylia tolli poſſit purgante medicamento. Eadem cauſa, cacochylia nempe meſenterii & inteſtinorum, ſuo pondere tendens meſenterium lumbis annexum, facit *lumborum dolorem*, plerumque gravativum; qui interdum unico purgante levatur, vel ſervata alvo laxiore perfecte curatur. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 21.

Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτε ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετȣ̃, κάκιστα· καὶ, ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον. ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον, καὶ, ὁκόσῳ ἂν χρώματα πλείω ᾖ, ȣ̓ πονηρόν.

Nigræ dejectiones, qualis ſanguis niger, ſponte procedentes, & cum febre, & citra febrem, peſſimæ: eoque pejores quo plures earum colores deteriores fuerint. A medicamento autem, melius, quoque plures colores fuerint, non malum.

Hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 6. *n.* 22 *ſq.* ita legitur: *Alvi excrementum nigrum cruentum, malum, cum febre, atque aliàs. Vitioſum quoque varium abunde coloratum, eoque deterius, quo colore formidandum magis, præterquam in medicamenti potione. tunc namque periculo vacat, ſi copia non exuperat.* Celſus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 76. h. m. habet: *Alvus nigra, ſanguini atro ſimilis, repentina, ſive cum febre, ſive etiam ſine hac eſt, pernicioſa eſt.* ἀπ' αὐτομάτȣ apud Hippocratem *ſpontaneum* notat, non vero *repentinum*, ut male reddidit Celſus.

Nigræ illæ dejectiones ſimiles ſanguini nigro proficiſcuntur ab atra bile, & peſſimæ ſunt,

ut signa scilicet, quia a pessimis causis nascuntur, si sine febre procedant; nam in febribus excretiones tales decretione fieri possunt cum magno bono ægrotantis, coctione nempe prægressa. *Valles.* Usus est Hippocrates hac voce ὑποχωρήματα, ut cæteras nigri sanguinis excretiones excluderet, cujusmodi sunt, quæ per hæmorrhoïdas, sæpe salubriter contingunt; apposuitque notam illam, *sanguini atro similia*, qualis nempe vena secta extrahitur; ut exciperet dejectiones humoris melancholici, qui, cum nataraliter multo sero diluatur, excretiones facit non crassas, qualis est sanguis niger, sed tenues, & aquosas. has enim salubriter excerni testatur Hippocrates *Coac. sect. 6. n.* 94. ubi hæc habet: *tenues nigrorum dejectiones horrorem inducentes in talibus meliores*, &c. Quæ igitur sanguini atro sunt similes, omnes malæ sunt, quia necesse est causam habere, vel præcedentem exustionem, vel proprii seri consumptionem, vel denique calidi innati extinctionem: quæ singula casum letalem constituunt; nam causa per evacuationem humoris non tollitur. Circa ea, quæ subjungit Hippocrates, *& quo plures fuerint deteriores colores, tanto magis malum est*, adnotare oportet, non comparari dejectiones nigras cum variegatis, quasi dicat nigras esse pessimas, sed variegatas adhuc pejores, ut aphorismi verba primo aspectu significare videntur. Malitia enim æquales censentur *lib. Prænot. n.* 10. ubi scriptum est, *varia his quidem sunt diuturniora, nibilo tamen minus exitialia.* Nec est rationabile, gravius se hare eum, qui modo nigra, modo viridia, aut flava excernat, quam qui perpetuo nigra; quia, si hæc ab intensiori & fortiori causa procedunt,

dunt, satius est eam aliquando remitti, & excrementa colorem nigro mitiorem contrahere, quam continuo in sua vehementia persistentem perpetuo nigra producere. Quare docet tantummodo, quæ sint in utroque genere pessimæ, quasi dicat, inter simplices dejectiones omnium pessimæ sunt nigræ, inter varias autem illæ sunt deteriores, quæ pluribus coloribus intensioribus diversificantur. Quam quidem sententiam clarius expressam legimus in *Coac. sect. 6. n.* 42. hunc in modum: *Egestio alvi nigra, velut sanguis, & cum febre, & sine febre, mala est. Malæ item omnes variæ abunde coloratæ.* Quare si aphorismus ex coaca corrigeretur, sententia longe clarior & rationabilior redderetur. Subjungit vero post hæc: *cum medicamento vero, meliores, & quanto plures fuerint colores, non malum;* quæ etiamsi de variegatis prolata videantur, in nigris tamen etiam verificatur, in ambobus enim par ratio viget; quia, cum hujusmodi excretiones sponte excernuntur ab ipsis, naturam stimulari necesse est, quod majorem a naturali statu recessum in iis indicat, quam ubi in corpore quiescentes medicamento eos educente indigent; imo his a medicamento evacuatis, illud commodi accedit, quia, humor peccans e corpore educitur, quam utilitatem respiciens Hippocrates non dixit, *a medicamento minus malum*, sed *melius*. Quod vero sequitur, *& quanto plures fuerint colores, non malum*, difficultatem facit, quia a medicamento varia educi, semper malum esse videtur, id enim aut superpurgationis est effectus, aut plures humores noxios in corpore abundare significat. Recte tamen hoc dictum est, his enim significare vult Hippocrates varietatem in ex-

cretionibus a medicamento eductis, non esse malam, quemadmodum ea, quæ sponte procedit, propter eandem rationem, quam de nigris, & sinceris nuper adduximus. Et quamvis varios succos in corpore peccare non sit bonum; minus malum tamen est, plures, & inter se diversos peccare, quam unum tantum, & illum pessimum; quotiescunque enim quod in corpore est præter naturam, unius est naturæ, & facultatis, facilius cæteros humores ad propriam naturam trahens corrumpet, quam ubi plures, & inter se contrarii dominantur, nam contrarietas, quæ inter hos versatur, dum unum alteri resistit, est causa, ut cæterorum humorum corruptio difficilius contingat. Quod si rem hanc ex causis humores ipsos producentibus perpendamus, sive hæ sint errores in cibis & potibus, sive in anni temporum permutationibus (hæ enim potissimæ causæ ab Hippocrate censentur, cur humores præter naturam in corpore generentur); sicuti magis lædit mala victus ratio, quando uniformis pravitatis est, quam ubi in eduliis malis fit mutatio, & in anni temporibus gravior est excessus, qui diutius perseverat, quam ubi inter contrarios fit permutatio, ita pejus erit in corpore, unum tantummodo humorem pravum generari, quam plures, variosque, & inter se diversos. Concludamus ergo: atram bilem sponte excerni per alvum, pessimum signum esse, minus malum, si a medicamento; similiter: dejectiones variegatas sponte ferri, malum esse, & eo pejus, quo plures erunt colores, minime malum, si a medicamento id fiat, & quo plures erunt colores, eo meliores; idque & in febribus, & sine febribus perpetuo

tuo verum esse, adnotavit. Vid. *Martian* p. 445. 616.

Hoffmannus (*Med. rat. T.* 3. *p.* 321.) aphorismum hunc intelligendum esse censet de ejusmodi dejectione, quando excrementa instar picis nigra, a cruore admixto, cum summo virium lapsu & mirifico fœtore dijiciuntur, ac de morbo sic dicto nigro documentum ferunt, præsertim si vomitus simul sanguineus accedit; eo quod sanguis post diuturnam in vasis mesaraicis stagnationem, demum in ileum tenuissima membrana obductum perrumpit, & ad crassa intestina descendens, cum fæcibus quasi confermentatus, nigrorem & fœtorem ipsis conciliat.

APHOR. 22.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων, ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω, ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Per quorumvis morborum initia, bilem atram supra, vel infra prodire, letale.

Reperitur hæc sententia in *Coac. Sect.* 1. *n.* 100. & apud *Celsum l.* 2. *c.* 6. *p.* 55.

Existimarunt Veteres melancholicum quendam succum, nigricantis coloris, cujus sedes sit in liene, in multis chronicis morbis peccare; hunc dixerunt ***bilem atram retorridam***: & quando lienosi, & qui dolore atque tumore hypochondrii sinistri laborabant, per alvum dijiciebant

L l 4 talem

talem atri coloris saburram, sibi persuadebant, esse hunc atrabilarium & melancholicum humorem. Et quoniam periculum talem excretionem post se trahere experientia addocebat, ob id funestas tales excretiones judicabant. At vero Veterum atra bilis, ubicunque de ea mentionem faciunt, neutiquam bilis est talem colorem & naturam suscipiens, sed potius ipse sanguis crassus, fæculentus, sive ex mora & stagnatione diuturna, intra substantiam lienis vel vasa mesenterii; sive ex miscela acidi in ventriculo hærentis, atrum talismodi piceumque colorem induat. Primo enim sæpius incredibilem quantitatem per plures dies nigricantis talismodi materiæ effundi sive per os sive per alvum pro certo habendum, qualem vero quantitatem neque bilis in cystide fellea, neque humor, pro illorum hypothesi in liene stabulans nequaquam constituit. Deinceps, ipse Hippocrates aliis locis non obscure innuit, per bilem atram sanguinem crassum & fæculentum intelligendum esse. Vid. *l.* 2. *de morb. n.* 71. ubi de morbo nigro tractatur, & 4 *aph.* 23. Etenim, observatur quandoque, bilem in vesicula hepatica contentam tingi colore aterrimo: sed tale quid rarissimum est. Sanguis vero ille fæculentus, corruptus, partim per vasa ventriculi & quidem brevia, partim per mesaraica & intestinalia nimis distenta & tandem disrupta in sinum ventriculi & intestinorum præter naturam effunditur, & per has vias postea irritatione facta ejicitur. *Frid. Hoffmanni Diss de morbo nigro Hippocratis. Halæ* 1701. 4°. §. 2 *sq.*

In verbis simus faciles, modo in re conveniamus; & dicamus *humorem atrabilarium* seu

succum

ſuccum melancholicum nihil eſſe aliud quam ſanguinem, a diſſipatis mobilioribus, craſſum, atrum, pinguem, tenacem, terreſtrem, immobilem, qui in vaſis hypochondriacis hærens accumulatuſque conſtituit morbum hypochondriacum: *bilem atram* autem vocemus materiem eandem, quæ jam fixata, compactaque, ibidem diu morata, mole aggeſta, acris facta, vaſa extendit, rodit, corrumpit, vel & aſſiduo putrefacti vapore venis recepto omnes functiones, inprimis cerebri, perturbat: quæ dein appellatur *bilis atra turgens* ſive *commota*, quando, a cauſa quacunque, validius mota, acrior, mobilis, & jam agens reddita, vaſa ſua rumpit, corrumpit, putrefaciendo reſolvit, & in vomicas putrefactas mutat. Vid. *Boerh. aph.* 1092 *ſq.* Humor atrabilarius, quin & atra bilis, multorum rebellium morborum exiſtit cauſa; & commota atra bilis multa funeſta mala producit. Si igitur hæc ruptis vaſis excernitur in principio morborum, letalis eſſe obſervata eſt, quia ſymptomatica eſt, non decretoria: nam ubi poſt coctionem ſupervenerit atræ bilis per ſuperiora & inferiora rejectio, ſæpe attulit curationem, juxta *Boerh. aph.* 1110. Vid. 7. *aph.* 5.

Excretionum quæ in vitio ſunt, quæcunque dominatu morbi ſuſcipiuntur & fiunt, nulla eſt omnino tam mortifera, quam bilis atræ. Eſt enim bilis atra peſſimum excrementum, quod feritate indomabili cæteris omnibus antecellit, triaque illa ſecum habet conjuncta, quæ vim naturæ adferunt, quæque illius præſidia maxime labefactant, τὸ δριμὺ, καὶ τὸ διαβρωτικὸν, καὶ τὸ ὀξῶδες, i. e. *acre*, *erodens*, *acidum*. Quæ cauſa eſt, cur dyſenteria inde nata ſit inſanabi-

 lis,

lis, 4 *aph.* 24; quemadmodum & cancer exulceratus. Atque inter bilem atram & melancholicum humorem tantum intereſt, quantum inter ferrum candens, & igne intactum. Quæ cum ita ſint, plane efficitur, atram bilem quæ febrium initiis diu paulatim exit, & maligna cacochymia, & tempore morbi, & excernendi modo, denunciare & facere mortiferum malum. Ac primum qualitate ipſa, quæ omnium peſſima eſt, malitiam arguit partium unde manat, nec non humoris utriuſque unde gignitur, bilioſi & melancholici, peruſtionem, aut corruptionem. Temporis vero diſtinctione noxia eſt. Etenim per morborum initia excretio nulla ſuſcipitur imperio naturæ: ſed hujuſmodi omnia ſymptomata ſunt contra naturam affectionum. Quo tempore natura morbificis cauſis opprimitur, eſtque humorum cruditas, ut ineunte morbo; tum certe non potis eſt ſalutariter quicquam excerni. Quod autem attinet ad ipſum excretionis modum; palam eſt fieri per ἀτονίαν, i. e. *laxitatem*, qualis eſſe ſolet dyſenteria diuturna cruenta, non autem quæ cito prorumpit & liberaliter: quæ quia non eſt multorum dierum, propterea nec mortifera, nec averſionem cibi parit. Sed hujus humoris effera vis non minus incommodat partibus per quas repit. *Duret. in Coac. p.* 37.



APHOR. 23.

Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πῶς λεπτυνομένοις, χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἐπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium quemvis modum extenuatis, bilis atra, aut veluti ſanguis niger ſubierit, ii poſtridie moriuntur.

Infelix prognoſis, quæ certam mortem tam proxime antecedit, ſed adeo firma, ut prædicentem nunquam decipiat: nam commota bilis atra perruptis vaſis effuſa, in extenuatis, exhauſtis jam & confectis corporibus, accelerat ab inanitione collapſum vaſorum. Vid. *Martian. p.* 446. Conf. notata ad præced. *aph.* 22.

APHOR. 24.

Δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Inteſtinorum difficultas, ſi ab atra bile ortum duxerit, letalis.

Celſus

Celſus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 74. *Tormina*, inquit, *ab atra bile orſa mortifera ſunt.*

Si atræ bilis excretio a principio cujuſcunque morbi, omnino mortifera eſt, juxta 4 *aph.* 22, eo quod hinc per coctionem mitificata eſſe non poteſt; quanto magis letale erit, atram bilem excerni, quæ non ſolum non ſit mitigata pepaſmo, ſed tantam habet acrimoniam, ut inteſtina in tranſitu ulcerare poſſit? *Martian. p.* 446. Extat hiſtoria in *Hippocratis l.* 5. *epidem. n.* 10. de Oneſidemi ancilla, quam hic morbus tertia die jugulavit. Aliud autem eſt, ſi talis dyſenteria ſequatur permutatione morbi melancholici; de quo eſt 7 *aph.* 5.

Veram dyſenteriæ ideam exhibet frequens alvi egeſtio cum ventris dolore vel torminibus. Adeſſe debet alvi egeſtio copioſior & frequentior, atque aliquamdiu continuata, ſine medicamenti exhibitione concitata, deponens alvus excrementa varia, non vero chyloſa: ſi enim copioſe fiat, ſed ſtatim deſinit, amittit dyſenteriæ nomen; aut ſi excitetur ab aſſumto purgante, vocatur hypercatharſis; ſi alvus deponit chyloſum, potius ille morbus refertur ad lienteriam. Præter dejectionem illam adeſſe debet ventris dolor ſeu tormen, unde a Celſo vocatur *Tormina*, ſine quo dicitur diarrhœa, & ſola tormina ſine dejectione pertinent ad colicam vel iliacam paſſionem. Si ad dejectiones has & ventris tormina accedat vomitus frequens, vocatur cholera, præprimis ſi bilioſa ejiciuntur. Dum loco excrementorum liquidorum emittitur ſanguis, vocatur *dyſenteria cruenta*; ſi vero continuo emittuntur flatus ſine excrementis, dicitur *dyſenteria ſicca. Gorter.*

APHOR.

APHOR. 25.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθὸν, μέλαν ὑποχωρέον.

Sanguis, ſupra quidem, qualiſcunque fuerit emiſſus, malum: infra autem, ſi niger dejiciatur, bonum.

Hic non de atræ bilis, ſed ſanguinis excretionibus, per os, & per alvum, ſermo eſt. Surſum exiens ſanguis qualiſcunque, malum dicitur, quia ſignificat rupturam vaſorum in thorace, vel ventriculo, ſive a corroſione, ſive ab impetu. Excipe tamen caſum, quando mulier vomit ſanguinem, nam malum hoc ſolvitur menſtruis erumpentibus, 5 *aph.* 32. Si etiam evomatur ſanguis ſine febre, bonum, juxta 7 *aph.* 37. Poſſunt etiam dari fluxus critici, adeoque vel plane naturales, vel minus mali, qui cum dantur, non ſunt ii, qui in aphoriſmo proponuntur. *Bellin. de urin. &c. p.* 673. *Profluvium ejus* (nempe ſanguinis) *uni fit e naribus homini; aliis nare altera, aliis utraque; quibuſdam per inferna; multis per ora ſtato tempore, ut nuper Macrino Viſco viro Prætorio, & omnibus annis Voluſio Saturnino Urbis Præfecto, qui nonageſimum etiam exceſſit annum.* Plin. *l.* 11. *c.* 38. Sanguis niger deorſum ſecedens, bonum, quia venit ex hæmorrhoïdalibus vaſis; nam atrabilariis & nephriticis ſuccedentes hæmorrhoïdes bono ſunt, 6 *aph.* 11. Sed ſanguis ſplendidus

didus alvo per secessum rejectus, malo est; & quibus præcordia inflammatione tentantur, & pus colligunt, iis sub mortem nigra dejiciuntur. Vid. *Coac. sect. 6. n.* 14. & *sect. 2. n.* 254.

APHOR. 26.

Ην ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ οἷον σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

Intestinorum difficultate vexato, si veluti carunculæ dijiciantur, letale.

Carunculæ quæ dejiciuntur, ulcus designare solent. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 3. *p.* 540. Sed nota, letale dici apud Hippocratem, quod plerumque mortem adfert, & natura sua, non necessario, nec semper. *Cardan.* Dysenterici, qui carunculas ex intestinis excernunt, id non faciunt nisi in tertio dysenteriæ gradu, cum nempe abraso prius muco intestinorum, hinc tunica nervosa & glandulosa eorundem, postremo ad carnosam & musculosam illorum tunicam pervadit ulcus: idque nonnisi post immanes cruciatus & intolerabilia tormina accidit, cum scilicet dysenteria ad letalem statum perducta est. Cyrillus in *Etm. Oper. T.* 1. *p.* 242.



APHOR. 27.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγέει πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι, τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus per febres ſanguinis copia undecunque profluxerit, iis, cum reficiuntur, alvi humectantur.

Legitur ſententia hæc in *Coac. ſect.* 1. *n.* 227. Indigitatur ſanguinis effuſio ex critica febris ſolutione. Si autem multus excretus fuerit ſanguis, ex debilitato tunc ventriculi & inteſtinorum tono oritur alvus humida ex aſſumtis, quæ coqui nequeunt. Talibus ergo largum dare victum non conveniet. In *lib.* 1. *Prædict. n.* 19. præſens aphoriſmus ſub univerſaliori ſententia continetur in h. m. *Quibus ſanguinis eruptiones multæ fuerint, his procedente tempore alvus male afficitur, niſi urinæ concoctæ fuerint:* ex quibus docemur cauſam, propter quam alvus humectatur in illis, in mala ventris affectione conſiſtere, unde nec ventriculi concoctio perfecta, nec exacta alimenti diſtributio perficitur, unde alvi excrementa humidiora redduntur. Factam autem viſcerum debilitationem indicabit urina tenuis, & aquoſa, quæ ſi concocta appareat, fortaſſe, alvos humectari, non erit neceſſe. Naturale enim robur viſcerum naturali facultati inſervientium

tale esse potest, ut ex longa etiam sanguinis fluxione nihil incommodi eis evenire permittat. Quare præsentem aphorismum fortasse veriorem constituisset illius auctor, si hunc in modum eum conflasset: *Quibus in febribus sanguinis multitudo eruperit undequaque, his in refectionibus alvi plerumque humectantur, & urina tenuis apparet. Martian. p.* 446. Cur in *Coac. sect.* 3. *n.* 53. dicitur, *circa initia contingentes magnas hæmorrhagias in refectione humectare alvos?* Quoniam morborum acutorum initia fere sunt crebra metaptosibus & orgasmis, quod annotavit Galenus. Ergo quæ ob orgasmo & præpropera metaptosi, morborum initiis cietur hæmorrhagia, haud facile modum servabit, aut retinebit moderationem quantitatis: quemadmodum illa quæ jure & loco, duce natura, critica lege suscipitur atque perficitur. At tam immoderata, tamque effrenis hæmorrhagia in refectione præhumidas reddit alvos, facitque ut liquidis excrementis ferantur, h. e. labefactentur. *Duret. in Coac. p.* 198.

APHOR. 28.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος ἐπιγινομένης, παύεται· καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων ἐπιγινομένων, παύεται.

Quibus biliosæ sunt dejectiones, hæ oborta surditate cessant: & quibus adest surditas, his, exortis biliosis dejectionibus, finitur.

De

Desumta sine dubio hæc sententia est ex *Coac. sect. 6. n. 77. 78.* & *ibid. sect. 2. n. 66.* hæc leguntur: *in febribus enata surditas, alvum remoratur & sistit.*

Supponitur surditatem aliquando contingere a bile flava in meatum auditorium delata: desinet ergo illa surditas, si iterum deorsum revellatur bilis, cujus rei argumentum sunt biliosæ dejectiones. Contrà, dejectiones tales cessabunt, si bilis flava sursum ad meatum auditorum translata fuerit. *Holler. Duret. in Coac. p.* 101. Bilis admodum exigua in cerebro naturaliter generatur, quia frigidissimum est membrum, & quæ ibi generatur, per aures naturæ instituto expurgatur, cujus rei illud certissimum argumentum est, quia aurium sordes perpetuo in sanis amarescunt. Cum igitur aures sint biliosi excrementi receptaculum, rationi consonum est eas a bile potius, quam a pituita, obsurdescere; quo stante non est mirum si biliosæ dejectiones surditatem tollant, materia morbifica deorsum fluente; e contra vero surditas superveniens diarrhœam biliosam sedat, non quidem eo quod bilis, quæ per alvum fertur, tota ad meatus auditorios feratur, sed quia surditas est signum, bilem ad supernas partes ferri, unde revulsione quadam ab infernis ad superna factâ, biliosæ dejectiones cessant. *Martian p.* 447. Nunquam non salutaris observatur alvus in aurium vitiis liquida, dum exinde motus sanguinis a capite ad infernas partes egregie derivatur. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 168. Nihil plus adversus surditatem, quam biliosa alvus prodest. *Cels. l.* 2. *c.* 8. *p.* 70. Validum inferiorum partium dolorem surditas allevat, & sanguis ex naribus stillans. *Hippocr. l.* 2.

l. 2. *Epidem. sect.* 5. *n.* 9. En consensum aurium cum intestinis! Facile autem concipitur omnem surditatem depravato organo auditus natam tolli non posse alvi fluxu, sive sit biliosus vel alius, neque illam, quæ provenit a causa in meatu auditorio vel tympano hærente: quare ea est concipienda surditas, quæ oboritur in febribus, quod morbi generalis materia feratur ad aures seu nervum acusticum, uti fieri solet, si morbus acutus metastasin moliatur per parotides, in morbis acutis inflammatoriis, purulentis, & erysipelatosis. Verum surditas talis in inflammatoriis prævenitur hæmorrhagiâ, in purulentis per sedimentum urinæ copiosius & purulentum, verum in erysipelatosis, qui dicuntur etiam biliosi, admodum conducit materiem illam biliosam evacuari per alvum, quæ evacuatio si non contingit, surditas illa in morbis biliosis præsagit delirium. Biliosa autem egestio ea est, quæ habet colorem flavum, estque tenuis, acris & calida, qualis materia accusatur in morbis biliosis & erysipelatosis, hæc mobilis admodum frequentissimam metastasin facit, quare si feratur ad intestina, non amplius infestare potest caput & aures, quando bona censetur. Conducit in dicta surditate ducere alvum per purgantia refrigerantia acescentia. *Gorter.*

Surditas superveniens biliosis dejectionibus, permutatio est unius affectus in alium: neque dicendam puto revulsionem, tum quia revulsio species est evacuationis, quæ in eo casu non datur, tum quia illi deest præcipua lex bonæ revulsionis, nempe quod fiat ad loca ignobiliora: quapropter, cum bona revulsio non sit, neque revulsionem appellabo. Hæc

transmu-

transmutatio aliquando potest esse utilis, aut saltem non prava, frequentius tamen solet esse perniciosa. Quod ut intelligatis, advertite non aliter fieri posse, ut sistatur alvi fluor absque perfecta sanitate, nisi in crisi imperfecta. Si igitur evacuatio critica, cum desiit, erat jam prope finem, & parum restabat, quod evacuari oporteret, potuit surditas fieri ex pauca materia vaporosa in aurium meatus sese insinuante, atque si non bonum, at certe non pravum signum, non prava causa erit. Si vero evacuationis adhuc multum restabat, non magis bonum erit alvi fluxum cessare, quam urinas decolores apparere: utrumque enim raptum materiæ ad caput indicat: quod si cessat alvi fluxus, & apparet surditas, quæ auctore Hippocrate *lib.* 1. *prædict. n.* 4. mentis alienationem portendit, & a Galeno inter signa male affecti cerebri constituitur, jam adest major ratio, cur amplius de phrenitide suspicemur: quod & confirmat idem Hippocrates *lib. de judicat. n.* 11. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, his, non soluta febre, insanire necesse est*: imo & in febribus acutis, ac turbulentis, *l.* 1. *prædict. n.* 4. Et in febribus cum debilitate 4 *aph.* 49. mortale signum est, indicat enim, ut Galenus vult, emortuam facultatem. Secunda aphorismi nostri pars, in qua Hippocrates biliosis dejectionibus surditatem curari ait, continet alium sanationis modum optimum & securum: talis est evacuatio facta per laudatissimam revulsionem a superioribus ad inferiora, a membro nobili ad minus nobile, & ex humore tali, qualis evacuari debet. Hoc tertium multi non admittunt, quippe nolunt, surditatem a biliosa materia fieri: neque enim habet crassitiem,

quæ meatus obſtruere poſſit: unde bilioſas dejectiones intelligunt non ſinceras, ſed pituitoſo humore permiſtas. Tamen cum hic de ſurditate facile ſolubili ſermo ſit, hæc a materia ſubtili fiet, ſi a ſubtili fieri poſſit: quod autem poſſit fieri a ſubtili, omnes prorſus fatentur, qui a flatibus, & ab ſpiritibus tum congeniti aëris ſurditatem induci ſcribunt: & hoc admodum frequens eſt in ſurditatibus, quæ fiunt per febres: nam & vaporum, & humorum tenuium ante criſin ad caput motum dejectiones bilioſæ ſupervenientes retrahunt. At non ita tenuis eſt flava bilis quæ non poſſit aurem obturare: obturat & aqua in meatus auditorios ingreſſa, quæ bile longe eſt tenuior: unde etiam a ſeroſitate, præter multorum opinionem, ſurditatem fieri poſſe exiſtimo. Advertendum tamen eſt, ſolutionem ſurditatis per alvi fluxum in malignis febribus eſſe infidam, magis enim turgentiam quandam materiæ, quam bonam criſin, quæ in hac febre non eſſe ſolet, ſignificat. Unde narrat Braſſavolus anno 1528. funeſto illo quidem univerſæ Italiæ ob peſtilentiam graſſantem, obſervaſſe ſe hanc tranſmutationem bis, & ter eadem die in uno ægroto: ceſſabant enim bilioſæ dejectiones, & ſurditas superveniebat, rurſus evaneſcebat ſurditas ſupervenientibus dejectionibus. Contingit etiam, ut idem Braſſavolus ſe vidiſſe teſtatur, ut propter multitudinem materiæ, ſit ſurditas ſimul, & alvi dejectio perſeveret. *Caſtrenſ. Med. Conſult. p.* 101.

APHOR.

APHOR. 29.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἰῖσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

In febribus si rigores contingant sexto die, difficilem habent judicationem.

Extat hic aphorismus in *Coac. sect.* 1. *n.* 23. & apud Celsum *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. legitur ita: *Malum morbi testimonium, a sexto die cœpisse inhorrescere.*

Rigor sexto morbi die fiens non est decretorius, saltem male decretorius seu symptomaticus: sub illo coctio incipit, sub hoc morbus prævalet. Sextus autem dies non est decretorius, juxta superius dicta ad 2 *aph.* 24. Intellige autem febrem non intermittentem, de quali loquitur *aphorismus* 46. hujus sectionis, siquidem per *l.* 7. *Epidem. n.* 40. acutos morbos præcipue quintus dies & septimus & nonus judicant. Neque tamen præsens aphorismus ad febrem ardentem extenditur, nam in hac, quocunque die, solutionem a rigore contingere, videtur suadere 4 *aph.* 58. Vel dicendum potius est, difficultatem judicii, quem rigor sextæ diei præmonstrat, non excludere febris solutionem, ita ut fieri possit, ut febris ardens a rigore sextæ diei tollatur, uti citato aphorismo decretum videri potest, recidiva tamen vigore sextæ diei contingat, quæ hac voce, δύσκριτα, comprehenditur. Vid. *Martian. p.* 447. Hic opportunum est notare, quod *rigor*

in febribus continuis appelletur ille frigoris ſenſus cum concuſſione corporis, qui ex medulla ſpinali venit, & certis temporibus, diebus maxime imparibus, dimidio quarti, ſeptimo, undecimo & decimo quarto accidit. Eſt autem hic rigor nonniſi affectio generis nervoſi univerſi corporis ſpaſmodica, qua ſanguis & humores, ab exteriori corporis peripheria, verſus interiora, cor, cerebrum & vaſa majora, cum quadam vehementia pelluntur, eaque propter extrema refrigeſcunt, interiora vero ſanguine nimis replentur & diſtenduntur, unde pulſus contractus eſt, pectus angitur, facieſque cum vaſis capitis turgeſcit. Quod ſi igitur poſt hunc rigorem, ſucci intus acti æquali reniſu & auctiori cordis & arteriarum ſyſtole ad cordis ſuperficiem repelluntur, ſæpius tota morbi & cauſæ morbificæ vis, uno impetu, per largum univerſi corporis ſudorem, aut narium ſtillicidium frangitur penituſque eliditur. Sic procedens rigor ſalutaris eſt, *criticus* ob id recte vocatus, poſt quem arteriarum ictus æquabiles fiunt & molles, circulus ſanguinis debitus & vires cum ſomno redeunt. Sed ubi cordis & vaſorum ſyſtaltica vis non tam valida eſt, ut appulſum ſanguinem iterum extus agere poſſit, *ſymptomaticus* eſt rigor & malus. Tum enim nec corpus incaleſcit rurſus, nec pulſus æqualis fit, nec ſanguis per nares, nec ſudor calidus univerſalis per poros, ſed particularis & frigidus circa caput & collum, effertur, nec corpus cum animo reficitur, nec ſomnus redit. Sanguis potius intus in minimis vaſis impactus ſubſiſtit, ac in cerebro phrenitidem & convulſiones, circa cor & pulmones, ſummam præcordiorum anxietatem,

tem, ſpirationem anhelosam, difficilem, viriumque ad animi uſque deliquium dejectionem, facit, ut poſtea nono plerumque die mors excipiat. Quandoque etiam extra criticos dies accidunt ejuſmodi rigores, ſed hi pariter ſunt ſymptomatici malumque præſagiunt eventum. Hi itaque naturæ motus, mortem, vel ſalutem, adducentes, probe a medente attendendi. In hoc enim præcipuum ad prognoſin & tempeſtivum remediorum uſum verſatur momentum, quod optime tenuit primus artis parens *Hippocrates*, quod ſerio inculcarunt optimi & fidiſſimi hujus interpretes, *Mercurialis* atque *Duretus*, ſed ex noſtris norunt pauciſſimi. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 353. Hippocrates ſolemnes hos naturæ motus a circumferentia ad centrum & a centro rurſus ad circumferentiam jam olim ſuo tempore dilucide ſatis deſcripſit *lib. de flat.* n. 10. & 11. in h. m. *Dum ingeſta ventri diu immorantur, & alvus obturatur, per univerſum corpus permeant flatus ſanguineque plenas corporis partes maxime petentes eas frigefaciunt, frigefactis autem his locis, unde fontes & radices ſanguinis prodeunt, per univerſum corpus horror conſequitur, ſanguis vero horrore concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos. Hi enim ſunt ejus ſaltus. Decedente igitur ab extremis partibus ſanguine, viſcera contremiſcunt & carnes. Sunt autem quædam corporis partes ſanguine plenæ, quædam vero exſangues. Exſangues itaque propter frigus non tremunt, ſed parumper commoventur, ac palpitant, quum calor ex eis defecerit. Sanguine autem abundantes propter ſanguinis multitudinem & tremunt & inflammationes ſuſcitant. Nequit enim fieri, ut ſanguinis multitudo conquieſcat.* Et in fine *n.* 13. ſcribit: *Hoc ergo modo febres fiunt.*

Quid? quod in gravioribus doloribus & pathematibus spasmodicis, quæ hyponchondriacis sic dictis perquam familiaria sunt, ejusmodi motus, quæ ab extra intro, & ab intra foras tendit, adeoque febrilis animadvertitur. Neque enim ullus atrocior dolor occurrit, ubi non extremorum refrigeratio cum horripilationis sensu & pororum cutis constrictio junctæ sint; postea vero intensior cordis motus cum calore superveniens extremorum spasmum solvendo dolorum finem facit. Et quum terroris eadem sit indoles, ut constringendo extrema sanguinem intro pellat, hinc etiam fit, ut tandem in sudorem & calorem universi corporis terminetur. *Hoffm. ibid. T.* 2. *p.* 73.

Enim vero est ita comparata natura humana, ut quodcunque sibi molestum amoliri nitatur excitato motu spasmodico. Vid. *Cheyn. sanit. p.* 156 *sq.* Hinc est, quod horrores sint signa coactæ retentionis ejus, quod natura expellere & secerni avet: nam eveniunt 1. urinâ diutius retentâ; 2. quando fæces alvinas, ad exitum paratas, non licet deponere; 3. genitura ad exitum stimulante, in juvene amatore, amasiæ adsidente; 4. partus & menstruationis tempore; 5. in puerperis secundo vel tertio die a partu, lacte ad mammas delato & exitum quærente; 6. transpiratione impedita, cum quis ex calido loco in frigus processerit, porique tum aperti, aëre frigido ingrediente, adstringuntur, quod, si pori minus fuerint aperti, non accidit; 7. ab ira, a poris tum contractis, & perspiratione impedita. *Linn. de febr. interm.* Imo a sola mentis imaginatione provocari subinde videmus ejusmodi motus spasmodicos, horrores, visa v. g. vel audita re quapiam ingrata,

grata, quam averſamur. Sed redeo ad rigorem febrilem, & Hippocraticam de eo doctrinam. *Ubi ſanguis refrigeratur, totum corpus refrigerari neceſſe eſt, idque cum evenit, rigor* (ῥῖγος) *appellatur, & ſi quidem vehemens rigor extiterit, vehementior etiam eſt tremor* (τρόμος). *Sanguine enim in ſe coëunte & condenſato, dum venæ contrahuntur, corpus contrahunt & tremorem excitant. Quod ſi minus in ſe coëat ſanguis, hoc modo rigor appellatur; horror* (φρίκη) *autem dicitur quod eſt debiliſſimum* (debiliſſimus rigor). *At vero quod poſt rigorem neceſſario major aut minor febris prehendit, ſic ſe res habet. Cum ſanguis per vim quandam incaluerit, rurſuſque in ſuam naturam abierit, quod pituitæ & bilis ſanguini permixtum eſt, ſimul incaleſcit, ſanguiſque ſe ipſo multo calidior evadit. His igitur percalefactis, poſt rigorem, ad ſanguinis caliditatem, febrem ſupervenire neceſſe eſt.* lib. 1. de morb. n. 22. *Circa oſſeas corporis partes homo maxime riget, & capilli erecti ſtant, cuticula concreſcente & ſicciore quàm antea reddita, deficiente nimirum iſthic aquoſo humore & circum oſſa convoluto. Hinc ſane ſolus locus ubi antea erat, humorem facere nequit, unde rigor oritur.* lib. 4. de morb. n. 26. *Rigores quidem mulieribus a lumbis incboant magis, & per dorſum deinceps ad caput feruntur. Quin & viris poſteriore magis quam anteriore corporis parte. Horremus ſiquidem exterioribus magis quam interioribus corporis partibus, veluti cubitis, femoribus. Sed & cutis raritas id indicat, cujus indicium eſt pilus. Si vero aliunde rigent, forteque ex ulceribus, ex vaſis rigor inchoat.* lib. 6. Epidem. ſect. 3. n. 30 ſqv. & lib. 2. ſect. 3. n. 111. 112. *Qui rigores ex dorſo proficiſcuntur, graviores ſunt & moleſtiores.* Coac. ſect. 1. n. 18. Mercurialis ex Galeno docet, *horrorem* ſive *horripilationem* eſſe, cum in

corpore percipitur levis quædam, & inæqualis refrigeratio, in lacertis punctio cum pigritia quadam, & veluti membrorum fractione; *frigus* dici, quando præter dictum motum percipitur in membris sensibile frigus; *rigorem* esse, quando propter frigus, & horrorem membra concutiuntur valde, & quassantur. Differentiam inter rigorem & tremorem ponit hanc: in tremore non totum corpus tremit, sed una pars duntaxat, aut plures; at in rigore omne corpus concutitur: præterea in tremore concurrit facultas voluntaria; rigor est motus coactus: tum, rigor fit subito, tremor paulatim. Dolores dorsi, seu rigores ex dorso in febribus esse molestiores censet ob viciniam spinalis medullæ, qua rigore affecta postmodum cerebro malum facile communicatur. Vid. *Mercur. Med. Pract. l.* 5. *c.* 8. *p.* 529. *Ejusd. Præl. in l.* 2. *epid. Hipp. p.* 189. 203. Quæ alia docet hic auctor de parte a qua rigor incipiat, ea videbimus infra ad 5 *aph.* 69.

Ad *exhorrescentiam* in paroxysmis *febrium intermittentium* quod attinet, ego, inquit Sydenhamus, illam exinde oriundam arbitror, quod materia febrilis, quæ nondum turgescens a massa sanguinea utcunque assimilata fuerat, jam tandem non solum inutilis verum & inimica naturæ facta, illam exagitat quodammodo atque lacessit: ex quo fit, ut naturali quodam sensu irritata & quasi fugam molita, *rigorem* in corpore excitet atque *horrorem*, aversationis suæ testem & indicem. Eodem plane modo, quo potiones purgantes a delicatulis assumtæ, aut etiam toxica incaute deglutita, horrores statim inferre solent, aliaque id genus symptomata. Natura itaque hoc pacto irritata

quo

quo facilius hunc hostem a suis cervicibus depellat, fermentationem aggreditur, solennem nempe machinam, qua in febribus & quibusdam aliis acutis morbis uti consuevit, cum sanguinis molem ab inimicis intestinis liberare conetur: hujus enim effervescentiæ beneficio disjunctæ peccantis illius materiæ partes, quæ sanguini æquabiliter admixtæ fuerant, aggregari quodammodo incipiunt, atque adeo leviori opera subigi possunt, ut ad despumationem opportunæ evadant. - - Ubi autem febrilis materia nondum tota emigravit, sed quemadmodum apum embrya statis temporibus sensim succrescunt, ita latens hæc materia pro typorum ratione denuo caput effert, ac novum negotium naturæ facessit, idem stadium decurrens, quod modo ostendimus. *Sydenh. p.* 93 *sq.* Atque sic paroxysmi intermittentium febrium initium sumunt cum rigoribus. Jam itaque tres rigoris habemus species in febribus; de quibus Duretus hæc docet: Rigor tribus modis dicitur. Aut enim est *periodicus*, ut qui in febribus tertianis ἐπισημασίας argumentum dat: *Criticus*, ut qui septimo die accidit in febribus ardentibus, quem sequitur sudor, vel hæmorrhagia: *symptomaticus*, qui fit motu morbi, ut qui accidit sexto die, sæpe fit motu morbi, & malus est; vel dum suppuratum fit in parte aliqua, cujus meminit non longe ab initio Coacarum prænotionum (*sect.* 1. *n.* 24. 36.) Hippocrates. Vid. *Duret. Vict. acut. p.* 41. *Periodicus* rigor, proprius intermittentium febrium, colligitur ex 4 *aph.* 63. & *l.* 2. *Epidem. sect.* 2. *n.* 82. Celsus *l.* 3. *c.* 3. *p.* 116. hanc rigoris speciem vocat *horrorem, ubi totum corpus intremit.*

mit. vid. etiam *ibid. c.* 12. *p.* 141. *Criticus* seu *decretorius* rigor jam memoratus eſt ex 4 *aph.* 58. Eſt autem decretorius rigor duplex: unus perfectus, qui decretorio die contingit, & cum ſignis coctionis, & abſolute hominem liberat a morbo: alter imperfectus, qui omnino non liberat, quia aut ſine coctionis ſignis eſt, aut in die non decretorio, de quo ſcriptus eſt 4 *aph.* 29. *Symptomaticus* rigor colligitur ex 4 *aph.* 46. ex *Prognoſt. n.* 16. quo ait ſignum ſuppurationis eſſe eo ipſo die, quo rigor incipit. Sed ex hoc aphor. & prognoſt. duplex rigor ſymptomaticus colligendus eſt: unus in febre ſimplici, de quo intelligi debet aphoriſmus; alter in febre cum inflammatione conjuncta, de quo prognoſticon, & *de morbis intern. n.* 1. in principio. Sed notatu dignum eſt, omnem rigorem fieri a materia calida, vel per ſe, ut in rigore decretorio, & periodico febris tertianæ: vel per putredinem, ut in rigore periodico febris quartanæ, & in rigore ſymptomatico a materia purulenta. Diſtinguuntur autem inter ſe, quod periodicus & criticus rigor incipit a lumbis per 5 *aph.* 69. ſymptomaticus autem incipit a parte inflammata. *Jo. Martini Prælectiones in librum Hippocratis de morbis internis. Pariſ.* 1637. 4°. *p.* 14 *ſq.* Qui auctor h. l. præter memoratas tres rigoris ſpecies in homine febre laborante conſideratas, quartam ponit, vocatque *rigorem plethoricum*, qui fit in homine, qui ſeſe multis craſſis & frigidis cibis oppleverit: eſtque cæteris rigoris ſpeciebus mitior: & hunc attigit Hippocrates ad hiſtoriam quintam *lib.* 1. *Epidem. ſect.* 3. Conf. 7 *aph.* 7. Conſtat jam, 1. rigorem in morbis interdum bonum eſſe, (criticum);

ticum); interdum malum (ſymptomaticum), qui tamen non ſemper eſt lethalis: 2. rigorem omnem in genere ſpectatum, eſſe aut cum febre, aut ſine febre; de quo poſteriore, ſine febre, poſſunt etiam videri quæ annotata ſunt ad 5 *aph.* 17.

Aphor. 30.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἢν λάβῃ, δύσκριτα.

Quibus acceſſiones fiunt, quanamcunque hora febris dimiſerit, ſi poſtero die, eadem, qua antea hora prehenderit, judicatio difficilis eſſe ſolet.

Celſus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. ita reddit: *Malæ febres, quæ quotidie tempore eodem revertantur.*

In febribus quotidie obſervatur, & maxime in tertianis, acceſſiones eadem penitus hora accedere, quæ tamen facile judicantur, & ſi aliqua earum paulo ſit longior ſolito, non tamen difficile judicium habere affirmari poteſt; & certe ſi febres tali ordine procedunt, difficile judicium habere non poſſunt, quod inconſtantium morborum proprium eſſe videtur: plurimum enim inter ſe conveniunt ἀκατάστατος, καὶ δύσκριτος, h. e. inſtabilis, & difficilis judicii, quemadmodum eorum contraria, εὐσταθὴς, καὶ εὐκρινὴς, eaque ſimul copulavit Hippocrates

3 *aph.*

3 *aph.* 8. *In constantibus temporibus* (inquit) *si tempestive tempestiva reddantur, morbi constantes, & judicatu faciles fiunt, in inconstantibus autem inconstantes, & qui difficile judicium habent.* Quare Hippocratis sententia temere ad omnes febres transfertur, quæ accessiones habent: cum de iis tantummodo intelligat, quæ quotidie invadunt, quod verba contextus palam faciunt; inquit enim, *si die sequenti corripiat*, quod febrium quotidianarum est proprium (quotidianas appello ad morem Hippocratis eas omnes, quæ quotidie invadunt), de his enim aphorismus verificatur. Febres enim hac, vel illa hora exacerbationes facere, a natura humoris contingit, qui in febre prædominium habet; nam cum quilibet humor habeat peculiare diei tempus, quo movetur, qui majus prædominium in materia febrili habuerit, is horam præstabit in qua exacerbatio contingat. Quum ergo febris quotidie invadit, & eadem hora, quatenus singulo die accedit, humoris biliosi copiam indicat, si Hippocrati credimus, qui *lib. de Nat. hum. n.* 27. 28. testatur, quotidianam febrem a copiosiori bile dependere, quam tertianam. Quatenus vero eadem hora repetit, indicat materiam, quæ priorem accessionem facit, a materia sequentis, nec loco differre, nec natura, quod causæ firmitudinem & robur significat. Stante igitur materiæ morbificæ copia, eaque forti, impossibile est, ut a natura cito superari possit. Unde necesse est, morbum aut male judicari, aut longo tempore, & per multas recidivas, quæ difficultatem judicii constituunt; quod quidem non evenit, quando febris diversis horis exacerbatur, quod ob materiæ diversitatem, diversos-

que

que febris focos contingit, quæ causæ debilitatem constituunt, & quæ naturæ facile cedit. Quæ vero longiori periodo accedunt, quia bilis copia non adeo viget, paroxysmorum constantia non erit difficilis: quia a naturæ robore, & materiæ obedientia evenire id potest. *Martian. p.* 447. Ergo febres quotidianæ rebelles & solutu difficiles, vel diuturniores saltem, judicantur, si redierint paroxysmi semper eadem hora, idque quacunque hora dimittant: notatur enim impotens in solidis oscillandi virtus & impar materiæ morbosæ subigendæ. *Hecquet* & *Vallef.*

APHOR. 31.

Τοῖσι κοπώδεσιν ἐν πυρέτοῖσιν, ἐς ἄρθρα, καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα, αἱ ἀποστάσιες γίγνονται.

Quibus per febres lassitudinis sensus inest, iis ad articulos, potissimumque circa maxillas abscessus oriuntur.

Excerptus est aphorismus ex *lib. de humor. n.* 3. ubi hæc leguntur: *In febribus ad articulos & circa maxillas præcipue abscessus contingunt, in vicinia dolorum cujusque, ad superiorem partem magis, & in totum. Si tardus fuerit morbus & deorsum feratur, infra etiam abscessus contingent. Maxime autem pedes calidi, infra futurum abscessum, frigidi vero supra denunciant.* Celsus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 65. ita habet: *Si lassitudinis sensus*

ſenſus in febre eſt, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abſcedit.

Signa declarantur futurorum abſceſſuum, juxta nempe locum laſſitudinis ſeu doloris, qui eſt a decubitu humorum: ita ut, ſi dolor in toto fuerit, i. e. in omni corporis parte, ad articulos magis decumbant, ſin autem ad ſupernam partem, magis ad maxillas: in lentis autem febribus magis ad infernas partes, quoniam materia craſſa eſt, & ſimiliter ſi dolor deſcendat, indicante pedum caliditate, contra, ſi ii frigidi fuerint. *Cardan.* Si ergo in morbis acutis (de quibus hic aphoriſmus intelligendus) laſſitudo ſentitur, notatur a ſtaſi ſanguinis ibi locorum facta futurum abſceſſum, quia articuli & maxime maxillæ, præ cæteris partibus glandulofæ, favent humoris collectioni, & jugi motu ſuo invitant ſanguinis appulſum. *Hecquet. Liſter.* Conf. 4 *aph.* 44. Quando autem, qui expectatur abſceſſus, a natura prævertatur, docet *aph.* 74. hujus ſectionis. In regionibus borealibus frequentius loco abſceſſuum aliorum arthritides vagæ ſcorbuticæ fiunt, neque tamen abſceſſus articulorum nulli obſervantur. *Wedel.*



APHOR.

APHOR. 32.

Ὁκόσοισι δὲ ἀνιςαμένοισιν ἐκ τῶν νέσων ἔι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποςάσιες γίγνονται.

Iis vero qui ex morbis convalescunt, si pars aliqua laboraverit, illic abscessus fiunt.

Est haec sententia continuatio praecedentis aphorismi, desumta ex *lib. de humor. n.* 3. ubi ita scribitur: *Iis qui ex morbis convalescunt, si statim in manibus & pedibus dolores contingunt, in his abscessus oriuntur.*

Judicato morbo, particulae coctionibus destinatae, saepe adeo infirmae remanent, innatusque calor adeo debilis, ut, nisi convalescentes, quos immodica appetentia plerumque tenet, magna custodia regantur, varias congerant cruditates, quae, temporis progressu, recidivae materiam praestant, quae tamen, si interim ad partes ignobiliores detrudatur, in illis abscessus faciunt, quae hominem a recidiva praecavent. Differuntque hujusmodi abscessus ab illis, qui in morbis ante judicationem contingunt, materiae efficientis ratione, quae in his eadem est, quae morbum effecit; illorum vero, de quibus hic mentio est, sunt cruditates in ipsa refectione congestae, idque ex ipsomet Hippocrate colligitur, qui inferius *aph.* 45. de iisdem abscessibus loquens, *Quibus tubercula*, inquit, *ad articulos, vel dolores post longas febres*

 fiunt,

fiunt, hi pluribus cibis utuntur. Hippocrates ergo, ut hos abſceſſus ab illis diſtingueret, dixit: *qui ex morbis convaleſcunt.* In hoc igitur aphoriſmo docemur, non ſolum futuros abſceſſus prædicere in convaleſcentibus, ſed etiam in qua corporis parte futuri ſint. Si enim, ſoluto jam morbo, pars aliqua dolere, aut laſſitudinis ſenſum habere contingat, in ea abſceſſum futurum prædicemus. *Martian. p.* 448. Loci alterius noxios humores loca quædam excipiunt, aut ob dolorem aut gravitatem, aut aliud quippiam, aut quod cum aliis communitatem habeant, liberant. *Hippocr. l. 6. epid. ſect.* 3. *n.* 68. Qui ſaniorem medendi rationem ſequuntur, eos non latet, paroxyſmos morborum, præſertim ſpaſmodicorum vehementiores, ſubſequi magnam atoniam ac debilitatem corporis, & illius inprimis partis, in qua cauſa morbi inhærens vehementiam ſuam exercuit, quæ relicta debilitas, non modo facillime paroxyſmos priores impetu longe fortiori revocat, ſed &, ob ſanguinis circulum ibidem factum impeditiorem & vigorem deperditum, humores noxii eo decumbere conſueſcunt, ibique ſtagnationem ſubeuntes, chronicis diuturnis & maxime lentis morbis ampliſſimam ſubminiſtrant occaſionem. Quare hoc tenendum eſt præceptum: ut morbo, vel paroxyſmo finito, artifex roborantibus utatur, quo recidiva, vel novus morbus arceatur. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 437. Qui autem fiunt abſceſſus per decubitus, partim univerſalibus diſpellentibus, partim particularibus ſubigendi ſunt. *Wedel.*

APHOR.

APHOR. 33.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed & ſi pars quæpiam ante morbum laboraverit, in eam ſe morbus obfirmat.

Et hæc ſententia continuatio eſt præcedentis, in *lib. de humor. n.* 3. his concepta verbis: *Quin etiam ſi quæ pars ante morbum laborarit, ibi morbi ſedes erit.*

Quæ pars etiam ante morbum doluit, debilitata fuit: diſpoſita eo indicatur, quod in eam ſit futurus decubitus humoris, abſceſſus. Pars debilis fit & dicitur, quando ejuſdem elater, fibræ nerveæ, circulus ſanguinis inminuitur, & pori dilatantur ac infirmantur magis. *Wedel.* Conf. inferius *aph.* 39. Ubi ſemel in corpore morbus exortus fuerit, ad id quod morboſum eſt vertitur, niſi quis recte tractet, ut, etiamſi bene tractetur, periculo non careat. *Hippocr. de loc. in hom. n.* 36.



APHOR. 34.

Ἢν ὑπὸ πυρετῶ ἐχομένῳ, οἰδήματ۞ μὴ ἐόντ۞ ἐν τῇ φάρυγγι, πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίγνηται, θανάσιμον.

Si febre vexato, nullo exiſtente in faucibus tumore, repentina accidat ſtrangulatio, letale.

In *Coac. ſect.* 2. *n.* 221. legitur hic aphoriſmus ita: *In febribus derepente ſtrangulari, & deglutire non poſſe, citra tumorem, malum eſt.* Celſus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. *Neque is,* inquit, *ſervari poteſt, qui ſine ullo tumore febricitans, ſubito ſtrangulatur, aut devorare ſalivam ſuam non poteſt.*

Angina nullo evidente tumore ſe manifeſtans, ſignificat, malum partium interiora occupare, quæ reſpirationi immediate famulantur, laryngis puta. Febris præſentia partium dictarum inflammationem arguit. *Hecquet.* Conſiſtit hæc anginæ ſpecies in interioribus nerveis & muſculoſis faucium tunicis, & ob id neque in collo exterius, neque in ore, quantum viſui patet, tumor & inflammatio conſpicitur, ſed ardor internus, febris acuta, in graviori caſu non modo ſpirandi, ſed & degluttiendi difficultas, multumque periculi ſubeſt. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 390. Inprimis maximum ſuffocationis eſt periculum, quando muſculus, qui vocatur thyroarythenoideus, rimæ occluſioni dicatus, affectus. *ibid. p.* 394.

In fine morborum diuturnorum, maxime poſt ingentes & ſæpe repetitas evacuationes, contingit. Aliquando etiam oritur ſubito ſine ſignis manifeſtis prægreſſis ullius morbi; vix capit medelam; & fere ſemper, poſt mortem, ſuppuratum pulmonem demonſtrat. Vid. *Boerh. aph.* 785. 786. Dicitur *Catarrhus ſuffocativus.* Homo nihil mali ſentiens in mediis negotiis moritur; latuit quippe ſuppuratio ingens ſine ullo ſigno, introrſum ſe aperiens. Conf. notata ad 5 *aph.* 10. Interdum nervis omnibus convulſione diſtentis, æger ſubito concidit mortuus. Inciſæ poſt mortem fauces ne minimam quidem tumoris, vel inflammationis, in glandulis aut muſculis notam oſtendunt; ſanguine vero craſſiori turgidæ arteriæ, venæque omnes, ubique prominent. Morbum hunc, etſi rarus ſit, deſcripſit Hippocrates *Prognoſt. n.* 23. *Ex anginis*, inquit, *graviſſimæ ſunt, & celerrime interimunt, quæ neque in faucibus, neque in cervice, quidquam conſpicuum faciunt; plurimum vero doloris & orthopnææ inducunt.* Si prævideri poſſit hæc Anginæ ſpecies, depletionibus omnis generis præcaveri debet; ſanguinis ſcilicet detractionibus, purgationibus, emplaſtris veſicatoriis, fonticulis, medicamentiſque urinam moventibus. Neque etiam inutilis eſt abſtinentia, moderatio nimirum in cibo & potu. Vid. *Mead Monit. cap.* 4.

APHOR. 35.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόλις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si in febre vexato, collum repente intorquetur, ut vix deglutire poſſit, nullo exiſtente tumore, letale.

Hæc ſententia deſumta eſſe videtur ex *Coac. ſect.* 2. *n.* 222. ubi ita ſcripta eſt: *Collum neque converti, neque deglutire poſſe, plerumque letale.* Apud Celſum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. *Neque is ſervari poteſt, cui in eodem febris corporiſque habitu cervix invertitur, ſic ut devorare æque nihil poſſit.*

Colli converſio abſque tumore, ſpaſmodica colli contractio eſt, febri ſuperveniens ideo periculoſiſſima, quia vertebrarum colli luxationes non modo comprimendo gulam impediunt deglutitionem, ſed illi quoque cohærentem aſperam arteriam: unde tunc, ab impedito aëris ad pulmones ingreſſu, ſuffocatio. Significatur inflammatio in muſculis cervicis, & quidem internis, quia nullus tumor apparet. *Hecquet. Vallef.* Vulgo, ſed male, aphoriſmum hunc de angina & luxatione vertebrarum interpretantur, nam revera intelligit Hippocrates ſpeciem ἐμπροσθότονον, comprehendit enim iſte caſus morbum, quem nos vocamus germ. *den Hals umbdrehen,* id eſt, *collum intorquere*; quando nimirum tunc muſculus maſtoïdeus convellitur & rigidus manet;

net; sic enim caput circumducitur, aspera arteria comprimitur, & tales ægri tandem suffocantur. *Ettm. Oper. T.* 3. *p.* 299. Dicitur ἐμπροσθότονος spasmus musculorum, caput, collum, thoracem, lumbos, ad anteriora flectentium, ita ut mentum pectori applicetur & femora ventri. De angina loqui aphorismum arbitratur *Martianus p.* 554.

APHOR. 36.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μιῇ καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ· οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς.

Sudores febricitantibus boni, qui cœperint tertio die, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, vicesimo primo, vicesimo septimo, tricesimo primo, & tricesimo quarto, ii enim sudores morbos judicant. Qui vero tales non sunt, laborem, & morbi longitudinem, ejusdemque recidivas significant.

Hunc aphorismum in *lib. de Judicat. n.* 4. ita expressum invenimus: *Sudores febricitanti si tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, decimo*

quarto, vigesimo primo & trigesimo die contingunt, hujusmodi sudores morbos judicant. Qui vero non sic contingunt, labores portendunt.

Inter morborum communia epiphænomena, tum propria febrium acutarum, sudor est instar omnium, quæ vel salutis fida spe nos consolantur, vel metu exterrent difficilis aut sinistri judicii. Nam qui, natura duce, convenienter cietur; præclare ad salutem suscipitur. Atque is febrem exsolvit, aut certe facit ut æger alacrius ferat morbum levatus. Hujusmodi sudor effectricem sui causam agnoscit excretionem seri eorum qui sunt in venis humorum, per totum corpus meabilis, quodque humescit cum fuerit antè siccum. Atque illa excretio liberalis & libera per totam compaginem, si quidem suis indicibus denunciata fuerit, qui tum ad speciem ipsam crisis, tum ad tempus apparent; morbum ex toto adimit, ut nihil omnino reliquiarum supersit, nec empyreumatis, nec humoris morbifici. Indices qui apparent ad tempus, secundi judicii sunt; urina belle colorata, & bona hypostasis; quorum illa est mitescentis morbi, hæc vero naturæ mox redintegrandæ: propterea que crisin ostendunt sperabilem die septimo, si quarto venient in conspectum. Urinæ suppressio, non quidem nephritica, sed rigorifera, cum in propinquo est crisis; ipsam sudore susceptum iri testatur. Nota est illa sententia Præceptoris *l. 6. Epid. sect. 1. n. 22. Ante rigorem urinæ sistuntur.* loquitur autem de critico illo rigore sudorifero, qui cadit in febrem ardentem. Ex quo efficitur, non aliam esse materiam sudoris excreti naturæ imperio, quam urinæ. Qualis enim est seri collectio in vesica, eorum qui sunt in venis

venis humorum πρὸς οὔρησιν: talis ejusdem serosi humoris in tota compagine πρὸς ἱδρῶτα. Nam & sudore sistuntur urinæ: sicut urinæ profluvio sudor compescitur. *Duret. in Coac. p.* 485. Sudores itaque in febribus erumpentes per totum corpus, æquabiliter, cum pulsu æquali, cum imminutione caloris febrilis & increscente vigore corporis, notant humores spissos jam attenuatos, & materiam morbificam coctam: hinc dicuntur morbum solventes seu judicantes. Tales autem censentur esse, qui dictis in nostro aphorismo diebus erumpunt, quia sunt dies illi judicatorii seu decretorii. Vid. notata ad 2 *aph.* 24. Sudor optimus sane qui febrem die judicatorio tollit. *Coac. sect.* 4. *n.* 36. Sudores optimi quidem per omnes morbos acutos, qui diebus judicatoriis contingunt, & penitus febre liberant. Boni vero, quicunque toto corpore oriuntur, faciuntque ut æger morbum facilius ferre videatur. At qui nihil tale efficiunt, minime sunt utiles. *Prognost. n.* 5. *de Judicat. n.* 1. Qui aliis quam memoratis diebus sudores contingunt, *laborem portendunt*, *longitudinem morbi*, & *recidivam*; quia absque signis coctionis accidunt, neque vi naturæ expellentis: tunc enim notant humorum multitudinem, aut pravitatem, adeoque morbum nunciant futurum longum, molestum, redeuntem, ancipitem, & non raro etiam capitalem, si præsertim alia pravitatis indicia simul copulentur. *Tozzi.* Si febricitanti sudor succedat, neque febris desinat, malo est, producitur enim morbus, & humiditatem significat. *Hippocr. de Judicat. n.* 8. Mali morbi signum est, habere sudores non per totum

corpus æquales, quique febrem non finiant. *Celſ. l. 2. c. 4. p. 51.*

APHOR. 37.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον· ξὺν πρηϋτέρῳ δὲ, μῆκος νούσου σημαίνουσι.

Sudores frigidi in febre quidem acuta oborti, mortem; in mitiori autem morbi longitudinem ſignificant.

Extat hic aphoriſmus in *lib. de Judicat. n.* 8. & *Coac. ſect.* 4. *n.* 40. Apud Celſum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 56. *ſudor frigidus in acuta febre peſtiferus eſt.*

Sanitas eſt a juſto æquilibrio momenti humores inter circulantes atque partes ſolidas. Sudor ergo frigidus ſub acuta febre furentem in vaſis majoribus & auctam in corporis centro ſanguinis circulationem indicat, languentem vero eandem in minoribus ad cutem diſperſis. Auctus autem ſupra modum, in imo corporis, humorum motus in viſceribus creat obſtructiones, inflammationes, ſphacelos, dum interim in ſuperficie vel in habitu corporis labaſcens vaſorum tonus deficientiæ naturæ argumentum eſt & ad mortem præludium. *Cum mitiore febre* frigidi illi ſudores, quia non tantum a fluidorum momento imminet viſceribus periculum, materiæ morboſæ contumaciam
&

& copiam, ac hinc *morbi longitudinem* significant; si quidem vires satis sint, quæ morbum longum sustineant. *Hecquet. Holler.* Pessimi autem frigidi, quique circa caput tantummodo, faciem & cervicem exoriuntur. Atque hoc in totum de sudoribus animadvertere oportet, quod nonnulli quidem ex corporis dissolutione, quidam etiam ex inflammationis vehementia contingunt. *Hippocr. Prognost. n.* 5. Equidem observatum est, quod sudor frigidus, qui internæ visceris cujusdam inflammationis vel sphaceli comes est, & tantum particularis, & quando interiora calent & siti premuntur, exteriora frigent, plerumque sit funestus, non autem omnis ille qui a defectu caloris & virium prostratione proficiscitur. Quanquam autem hujus generis sudores non tendant ad mortem, indicant tamen magnam dissipationem caloris & virium. Hinc, si unquam alias, certe tunc opus est succurrere analepticis, ex fonte diætetico magis quam pharmaceutico petitis, corpus linteis calidis crebrius detergere & fricare, ut per externa internus excitetur calor, ne æger in limine recuperandæ salutis constitutus deficiat. *Hoffm. Opusc. T. I. p.* 159. & *Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 271. Quando ex cute ad attactum frigidiore emanat sudor, qui cuti adhæret, & non facile evanescit, sed sæpe tam copiose effluit, ut guttatim supra cutim colligatur, & interdum destillet, hujusmodi sudor a Medicis vocatur frigidus. Intelligunt etiam in morbis acutis calidis non absolute majorem cutis frigiditatem, quam qualis observatur in hominibus sanis, sed frigiditatem comparativam ad illum morbum, etiamsi esset calor major, quam in sanis hominibus. *Gorter.*

APHOR.

APHOR. 38.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐνταῦθα φράζει τὴν νοῦσον.

Et ubi in corpore sudor inest, ibi morbum esse enunciat.

Ubi sanguinis est stasis, tenuissimus, lymphaticus, humor in laterales & lymphaticas secedit arterias, quæ sudorem eructant. *Hecquet.* Nam in morbis capitis, apoplexia, phrenitide, affectibus soporosis, caput sæpe totum sudore diffluere, pedibus frigidis, observamus. In asthmate convulsivo, catarrho suffocativo, peripneumonia, pectus multo sudore perfunditur. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 312. Hinc protinus timeri debet, si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem insudat, maximeque si circa pectus, aut cervices, aut crura, vel genua, vel coxas. *Cels. l.* 2. *c.* 2. *p.* 48.

APHOR. 39.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et qua corporis parte calor inest, aut frigus, ibi morbus est.

Plenius hæc sententia scribitur in *lib. de Judicat. n.* 8. *Quacunque corporis parte calor aut frigus inest, ibi morbus est, eique celeres in toto corpore mutationes contingunt.* Ca-

Caloris enim & frigoris ſenſus eſt ibi loci, ubi oſcillationes fibrarum vel vigent vel pigreſcunt. In illo caſu calor a promotis celeriter humoribus, in hoc frigus ſentitur a languente eorundem motu.

APHOR. 40.

Καὶ ἦκε ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρε γίγνηται, μῆκος νέσε σημαίνει.

Et ubi toto corpore mutationes contingunt, ut ſi corpus refrigeretur, rurſumque calefiat, vel color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem ſignificat.

Deſumtus eſt hic aphoriſmus ex *lib. de Judicat. n.* 8. & extat apud *Celſ. l.* 2. *c.* 5.

Morbus longus nunciatur, ubi totum corpus alternatim & refrigeratur & incaleſcit, aut color alter ex altero fit, dum a calore rubor in cute, a frigore pallor apparet: quia tam mutabilis ſymptomatum facies materiæ morboſæ exſuperantiam oſtendit, laxato mox, & iterum adſtricto fibrarum tono; unde coctionum inconſtantia, recrudeſcens enim morbi vis recidivas quaſi particulares inducit, reſuſcitando extincta ſymptomata. *Hecquet.*

Mutatio frequens frigoris, & caloris in toto corpore, humorum redundantiam ſignificat, qui

qui modo a centro ad circumferentiam, modo a circumferentia ad centrum, inordinato motu moventur, quarum mutationum viciſſitudo, naturæ, & morbificæ cauſæ conatus conſequitur, quorum nullo in totum ſuum adverſarium ſuperante, viribus æqualibus invicem pugnare ſignificatur, quo ſtante pugnam diu perdurare neceſſe eſt, unde merito morbi longitudo expectatur, & eo magis, quia humores, dum huc & illuc moventur, coctionem acquire non poſſunt, per quam morbus judicetur, quando, quæ concoquuntur, quietem habere neceſſe eſt. Quia vero quælibet mutatio in toto corpore contingens humorum copiam indicat, ideo primum ſententiam protulit univerſalem, & ubi in toto corpore mutationes, deinde ad particulares mutationes deſcendens ſubjungit, *& ſi corpus refrigeretur, aut rurſus calefiat, aut color alius ex alio fiat*, &c. hæc enim abſque humorum diverſitate, & multitudine evenire non poſſunt, quandoquidem talis humor in corpore abundat, qualis color in cute efflorescit. *Martian. p.* 448.

Hujuſmodi inordinatæ mutationes contingunt in acutis, quando inflammatio abit in *ſuppurationem*, pus ſimul non evacuantem, quemadmodum fit, ſi abit pleuritis in empyema. Sed tum præcipue, ſi morbus inflammatorius tranſit in *putrilaginem*, in qua frequens mutatio caloris & frigoris obſervatur. Utræque hæ cauſæ diu perſiſtunt, quare ſigna externa has cauſas indicantia longitudinem portendunt. Ex his non ſolum petere poſſumus prædictionem longitudinis, ſed etiam curatio ad morbum purulentum vel putridum dirigi poteſt. Coloris mutatio præcipue in facie detegitur.

De

De ea mutatione frequente quoque, ut alius ex alio fiat, dicit eam morbi longitudinem promittere. Caufa ergo mutationis in colore debet pendere a caufa, quæ difficulter actione vitæ fuperari poteft, & tamen non cito abit in mortem. Coloris quidem mutatio habetur, fi morbus inflammatorius tranfit in fuppurationem; fed femel tantum hæc mutatio inducitur, ut color ruber abeat in pallorem: verum quando purulentus morbus eft factus, & pus abit in putrilaginem, uti in phthificis, frequentes fiunt & inconftantes faciei phlogofes, qui color igitur ex indicata caufa femper longum morbum facit. *Gorter.*

APHOR. 41.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ φανερῆς αἰτίης γινόμενος, τὸ σῶμα σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor copiofus de fomno citra manifeftam caufam obortus, corpus copiofiore uti cibo fignificat. Quod fi cibum non affumenti iftud contingat, quod evacuatione opus fit, indicat.

Sudor multus a fomno, fuperfluam fignificat humorum copiam, a repletione feu nimio victu, fi nempe nulla alia fuerit caufa eum excitans, v. g. locus calidus, medicamentum affum-

aſſumtum, &c. Proderit tunc victus parſimonia. Si tamen uberior alimenti copia non fuerit in culpa, redundantiam humoris ſeroſi in corpore licebit arguere, unde morbus imminere poteſt, ni evacuantibus præcaveas. *Valleſ. Holler.* Sed cujus generis evacuantia trahenda in uſum? Dictet corpus evacuandum, cui evacuationis generi facilius obediat, vel aſſuetum ſit. Sermonem hic eſſe de ſanis, indicat locus apud *Hippocr. lib. de Judicat. n.* 8. ubi: *Sano ſudor copioſus immodice contingens, morbum portendit, æſtate quidem minorem, frigore vero majorem.* Cujus loci poſterius membrum explicatius habetur aph. ſequente.

APHOR. 42.

Ἱδρὼς πολὺς, ψυχρὸς ἢ θερμὸς, αἰεὶ ῥέων, ὁ μὲν ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor copioſus, frigidus aut calidus, ſemper fluens, frigidus majorem, calidus minorem morbum ſignificat.

In *lib.* 1. *de morb. n.* 22. hæc leguntur: *Qui frigidum ſudorem emittunt, plerumque longis morbis conflictantur, invaleſcente malo quod in corpore remanet. Qui vero calidum ſudorem emittunt, celerius morbis defunguntur.* Celſus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. ita habet: *Mali morbi ſignum eſt, multum ſudare, maximeque frigido ſudore.*

Sudor multus ſemper fluens morbum arguit, &

& ut causa, quia debilitatem inducit jugi suo fluxu per totum corpus; & ut signum, quod notet colliquationem humorum: & si ille frigidus fuerit, ponit tonum vasorum in habitu corporis debilitatum, qui advectis a cordis impetu humoribus nullum calorem imprimit, sed elabi eos sinit frigescentes. Inde morbum expectare oportet a languente fibrarum oscillatoria efficacia, majorem seu longiorem, quo torpens solidorum virtus minus par est in ordinem redigendis humoribus circulantibus. Contrà sudor multus calidus præ se fert vigentem solidorum elaterem, debellandæ circulationis humorum ataxiæ magis accommodatum; quapropter minorem seu breviorem significat morbum, utut forte gravem.

APHOR. 43.

Οἱ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίγνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres, quæ tertio quoque die vehementius affligunt, neque intermittunt, periculosiores: quocunque autem modo intermiserint, extra periculum esse significant.

Sumtus est hic aphorismus ex *Coac. Sect.* 1. *n.* 166. 167. ubi scribitur: *Febres continuæ* (συνεχέες) *quæ tertio quoque die intenduntur*, &c.

Apud Celſum *l.* 2. *c.* 4. *p.* 52. dicuntur *malæ febres, quæ tertio quoque die non levantur, quæve ſic continuant, ut per acceſſiones increſcant, per deceſſiones tantum molliantur, nec unquam integrum corpus dimittant:* & *l.* 3. *c.* 12. *p.* 141. legimus, quod *febres, quæ certum habent circuitum,* & *ex toto remittunt, tutiſſimæ ſint, maximeque curationes admittant.*

Febres, de quibus hoc aphoriſmo tractatur, ſunt illæ, quas Hippocrates alibi tertianarum naturam referentes appellavit, quæ continuæ ſunt, & tertio quoque die graviores fiunt. Hæque periculo non vacant, quia de genere continuarum ſunt, quatenus vero tertio die ingraveſcunt perculoſiores ſunt illis, quæ ſingulo die, ſine intermiſſione pariter invadunt, & ratio eſt: quia, quo totius paroxyſmi pars deterior, quam vigorem dicimus, diutius perduraverit, eo magis naturam affligi neceſſe eſt; cum igitur hæc febris per longiora intervalla exacerbetur, quam quotidiana continua, & omnia tempora longiora habeat, vigorem etiam longiorem habere neceſſe eſt, & ex conſequenti etiam periculoſiorem eſſe, & hac ratione (ni fallor) adhuc periculoſior eſt quartana, ſi continua ſit: ut experientia demonſtrat, quamvis hæc eadem ad intermiſſionem deveniens, omnium ſecuriſſima ſit. Sed duo pro vera hujus ſententiæ explicatione veniunt adnotanda, & primo, non aſſerere Hippocratem febres omnes intermittentes carere periculo, quia id falſum eſſe, in dies obſervatur; quoties enim febres a principio ſunt intermittentes, quæ temporis progreſſu continuæ factæ ægrotantes interimunt? quod etiam Hippocrates adnotavit *lib.* 7. *Epidem. n.* 40. dum inquit:

inquit: *Æstate cholericæ affectiones, & febres intermittentes fiunt, & quibus horrores accedunt; hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt.* Si quis vero exponat, quamdiu febres intermittunt periculo carere, is prædicendi ridiculum, & Hippocrate indignum modum proponet, similem ei, quem a nostris frequenter audio, ægrotantem scilicet non moriturum, nisi aliquid aliud mali accedat, certum est enim, si mori debet, aliquid mali ulterius supervenire ei oportere. Quare hoc modo intelligendus est in hac sententia Hippocrates. Si febris, quæ continua fuit, & tertio quoque die exacerbari solita, ad intermissionem devenerit, nullum amplius periculum afferre potest. Secundo adnotare oportet, Hippocratem non asserere, febre quoquo modo desinente omne periculum abesse, nam sæpe ægrotantes in hujusmodi febribus ad infebricitationem deveniunt, qui febre redeunte tandem moriuntur: quod quamplurimis ægrotantibus epidemiorum accidisse legimus, ex quorum numero fuit Hermocrates *lib.* 3. *Epid. sect.* 1. *ægr.* 2. qui bis sine febre factus tandem interiit: sed intelligere, febrem intermittere eo modo, quo febres periodicæ intermittere solent, quod ut significaret, usus est voce διάλειψις, quæ proprie prædictam intermissionem significat, ad differentiam vocis ἀπύρετοι, quæ simpliciter febris carentiam denotat. Quare sensus est, febres continuas tertio quoque die ingravescentes periculosas esse, quæ quidem, quoquo modo intermiserint, hoc est, quocunque typo, sive quotidiano, sive tertiano, aut quartano, sive etiam erratico ad eam intermissionem devenerint, qua febres periodicæ intermittentes

fiunt, periculum abesse significatur, & ratio est, quia hujusmodi transmutatio indicat mineram febris translatam esse a venis, ad extra venas, quare si natura talem motum potuit perficere, dum a febre continua affligebatur, multo facilius prohibere poterit, ne rursus intra venas firmetur, & periculosum morbum denuo constituat, dum in febris intervallo recreari potest. Et si Parius *lib.* 3. *Epidem. sect.* 3. *ægr.* 1. ex febre continua in intermittentem erraticam conversa, tandem mortuus est, id non naturæ morbi tribuendum est, sed erroribus in victu: quod, ut nos admoneret diligentissimus Hippocrates in fine narrationis subjungit: Eduliis quoque multis & vitiosis utebatur. *Martian. p.* 448.

Febres ex genere continuarum remittentium, ad tertianarum naturam accedentes, de quibus in præsente aphorismo sermo est, τριταιοφυέες ab Hippocrate nominatæ sunt (a τριταῖος *triduanus* & φύω cresco): de quarum natura hæc ab ipso prodita sunt: Continuæ (ξυνεχέες) omnino febres erant, nihilque intermittentes, exacerbescentes autem omnibus ad naturæ tertianæ modum (τριταιοφυέα τρόπον), uno quidem die leviores, altero vero vehementiores, omnium quæ tunc contingerent violentissimæ, longissimæ & laboriosissimæ, per initia leves & in totum perpetuo increscentes, diebus judicatoriis insultus habebant & in deterius procedebant. Quæ etiam cum parum allevassent, celeriter rursus ex intermissione vehementius invadebant, & diebus judicatoriis magna ex parte deterius affligebant. In his omnibus rigores incomposite & errabunde contingebant, paucissimique & minimi. *l.* 1. *Epidem. sect.* 2. *n.* 40 *seqq.*

Quæ-

Quæcunque tertianæ naturam habent (τριταιοφυέες), his nox acceſſionem præcedens moleſta, quæ vero ſubſequitur plerumque levior exiſtit. *l. 6. Epid. ſect. 2. n.* 42. Tritæophyæ, cum incontinenti corporis jactatione, malignæ ſunt; *Coac. ſect.* 1. *n.* 52: vagæ & errantes, ubi in dies pares tranſierint, moleſtiam exhibent. *ibid. n.* 59. Tritæophyarum febrium calamitatem in his tribus annotavit Hippocrates, in diuturnitate, laboribus multis, & colliquatione, his verbis: *Poſt longum tempus, multoſque labores, & colliquationem aſſiduam deſinunt, quæ autem illis contingunt, ſeu ſuccedunt, hæc ſunt, dysenteriæ, teneſmi, hydropes.* Vid. *l.* 1. *Epidem. ſect.* 2. *n.* 63 *ſeq.* Abſceſſuum iſchiaticorum ſucceſſio eſſe ſolet in tritæophyis; ex Dureto, apud *Bagliv. p.* 55. Hinc jam definiente *Petro Caſtello* (pec. tract. *de febre tritæophya. Coſenzæ* 1648. 8°.) febris tritæophya apud Hippocratem eſt febris tertiana continua, notha, per acceſſiones tertio quoque die invadentes, increſcens, quæ altera die declinant, cum nocte moleſta ante acceſſionem. Adnotante Baglivo, tritæophyæ febres non habent intermiſſionem, & tales dicuntur, quæ tertio quoque die exacerbantur, ſed ſine rigore, aut horrore periodico, qualis obſervatur in hemitritæis, tritæophyæ enim nullas habent periodos, & ſi habent, incertæ ſunt. Tritæophyæ febres ſunt inter omnes febres valde graves, & periculoſæ: ſpecie, magnitudine, more, motu periodico univerſali, & particulari terrificæ ſunt, & pravæ, hac de cauſa malignæ vocari poſſunt. Earum cacochymia prava eſt, & multiplex, vires acquirit eundo, diebus criticis maxime exacerbantur, graviſſimiſque ſymptomatis ægros cu-

mulant. In eis nihil fit, nihil apparet, quod metu non terreat ægrotum, & Medicum. Succus sonchi ad uncias tres circiter mane sumptus cum jusculo, Gelatina cornu cervi, Scabiosa, Nitrum perlatum, clysteres quotidiani, fomentationes ventris præ cæteris juvant. Aliis quoque utendum, quæ symptomatum exigat natura, sed cum prudentia, & patientia. *Bagliv. p.* 54.

Tritæophyes febris generatur ex febre intermittente tertiana, atque ex morbo aliquo latente, cujus febris hæc est symptoma. Observamus in praxi putredinem humorum, & pus in corruptelam conversum hujusmodi febrem generare, quando raro ægri emergunt; quare periculosa est Tritæophyes, quoniam designat ex valida putredine oriri, quæ ita facit exacerbationes febriles alterno die, ut tempus intermedium non habeat apyrexiam. Generatur etiam Tritæophyes ex febre intermittente tertiana ita prolongata, ut sequens paroxysmus incipiat prius quam prior desiit. Sed omnes febres intermittentes in remittentes conversæ, quoniam magnum augmentum causæ arguunt cum virium defectu, etiam periculum portendunt. Hoc autem discrimen admodum observandum in curatione, quum Tritæophyes ex putredine antisepticis sit curanda, sed ex intermittentibus prolongatis orta optime auscultet antidotis. Quotiescunque autem Tertiana febris veram apyrexiam habet, ex ea apyrexia cognoscimus, illam intermittentem non formari ex putredine vel pure corrupto; ergo de hac febre judicandum, ut de omnibus legitimis intermittentibus, quæ rarissime interficiunt hominem, nisi ita fuerint prolongatæ, ut

ut nullam apyrexiam habeant, omni periculo carere. Atque inde deducere possumus, istos non recte agere, qui in intermittentibus tam diu expectant, donec corpus sit ex ægritudine debile, prius quam antidotum propinant. Atque ex eadem observatione manifestum est, quasdam febres continuas & remittentes antidotis auscultare, quum interdum ex intermittentibus prolongatis fiant remittentes & continuæ febres. *Gorter.*

Aphor. 44.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

Quibus adsunt febres longæ, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt.

Secundum *Coac.* 1. *n.* 168. 169. *in febribus longis, aut tubercula, aut ad articulos dolores proveniunt, qui si facti fuerint, non sunt inutiles.* Celsus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. ita reddit: *Quibus longæ febres sunt, his aut abscessus aliqui, aut articulorum dolores erunt.*

Febres diu durantes arguunt aut materiam contumacem coctu, aut vim vitæ torpentem magis quam quæ sufficiat perfectæ suscitandæ judicationi per evacuationem: hinc decubitus fit humorum ad articulos, qui loci sunt suscipiendæ stasi eorundem accommodati, propter

glandulas ibi ſitas. In longa febre, inquit Hippocrates, ſalutariter tamen affecto ægro, ſi neque ob inflammationem aliquam, neque ob ullam aliam evidentem occaſionem dolor detinet, in hoc abſceſſus cum tumore aut dolore ad articulum aliquem expectandus, maximeque in inferioribus locis. Magis tamen & breviori tempore hujuſmodi abſceſſus contingere ſolent iis qui trigeſimum annum non attigerunt. At ſtatim in conſiderationem adhibenda ſunt, quæ ad abſceſſum ſpectant, ſi ultra vigeſimum diem febris detinet, quæ tamen per longiores febres, ſenioribus minus contingunt. Hujuſmodi autem abſceſſum expectare convenit ſi febris continua fuerit. *Prognoſt. n.* 24. Urina vero craſſa, in qua quod ſubſidet album eſt, articulorum dolorem aut tumorem denunciat. *lib.* 2. *Prædict. n.* 10. Conf. 4 *aph.* 31. Ex febribus chronicis & ſcabies, & tumores pedum, genuumque, & ipſa arthritis occaſionem ſortiri poſſunt. Quartana, omnium febrium longiſſima, poſt ſe non raro ſcirrhum viſcerum, dolores, tumores, ulcera relinquit. *Wedel.*

Febrium omnium cauſa eſt res aliena, quæ actione vitæ eſt ſubigenda & expellenda. Quoties ergo 1) tanta eſt ejus materiæ copia, ut vi vitæ integre ſubigi non poſſit, febris protrahitur; 2) Aut ſi materiæ non eſt abundantia, ſed in corpore habetur debili, cujus vires languidiores non valent modicam ſubigere materiæ copiam; 3) Vel ſi materiæ indoles eſt pertinaciſſima, quemadmodum in intermittentibus febris quartana, & in remittentibus & continuis febris putrida, vel continua inflammatoria, quæ pus confectum critice non evacuat: materia

teria retenta in febre longa, erit vel cruda febrilis, vel purulenta, vel putrida, quæ humoribus circulantibus mista febrem continuare facit. Si vero ex febris longitudine constet, materiem oberrare in corpore, non certe scimus, circa articulos futura esse tubercula, dolores vel labores; sed inde præsagire possumus omnia mala, quæ ex materia retenta oboriri solent: uti morbi augmentum, recidivam, metastasin, & commutationem in alium morbum, nisi dicta mala præveniantur critica evacuatione. Quare non debemus ociosi esse exspectantes articulorum tubercula vel dolores, sed omni ope tentare materiæ coctionem, & coctæ determinationem ad emunctoria, ut corpus liberetur ab hoste, qui multa mala minatur. *Gorter.*

APHOR. 45.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα, ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν μακρῶν γίγνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula ad articulos, aut dolores ex febribus longis oriuntur, ii copiosioribus cibis utuntur.

Judicato morbo, finitaque febre, non amplius expectari abscessus ratione morbi debent: ita ut, si alicui contingant, id erroribus in victu tribuendum sit; merito igitur Hippocrates ait: *quibus tubercula fiunt post febres,*

bres, *ii cibariis plurimis utuntur*; ex his enim cruditates in corpore generantur, quæ recidivam facere possent, nisi a superveniente abscessu anteverteretur. Verum quia, quotiescunque tubercula fiunt ad articulos, non semper id erroribus in victu imputandum est, ideo Hippocrates particulam apposuit, *post febres longas*, nam per has magis, quam per acutas, partes naturali facultati inservientes debilitantur, unde facilius cruditates ex erroribus generantur, quæ abscessibus materiam subministrant. Non est igitur compungenda particula, *ex febribus longis*, quam nonnulli superfluam existimarunt. *Martian. p.* 449. Conf. 4 *aph.* 32.

APHOR. 46.

Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

Si febre non intermittente rigor frequenter incidat, ægro jam debili, letale est.

Hæc sententia in *Coact. sect.* 1. *n.* 15. in h. m. scripta est: *Continenter & assidue vexans rigor, imbecillo jam corpore, letalis est.* Apud Celsum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. *is servari non potest cui simul & continua febris & ultima corporis infirmitas est.*

In febre continua, viribus ægri fractis, si supervenit rigor, h. e. maxima totius corporis concussio, arguitur novus morbi insultus,

quo metuendum eſt, ne ab illo opprimatur natura & ægrotans deficiat: eſt enim rigor ille ſymptomaticus, non criticus. Conf. notata ad 4 *aph.* 29.

APHOR. 47.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί· ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

In febribus non intermittentibus exſcreationes lividæ, & ſanguineæ, & graveolentes, & bilioſæ, omnes malæ: bene autem ſi prodeant, bonæ; tum etiam quæ fiunt per alvum excretiones, & per urinas. At ſi quid eorum quæ non juvant per hæc loca excernatur, malum.

Bonum in morbis ſignum, ſi prodeant qualia oportet, ad ſolutionem nempe illorum conducentia, & facile æger ferat: contrarium malum. Vid. 1 *aph.* 2. 23. 25. & 4 *aph.* 3. Hæc applicata in præſenti aphoriſmo ſunt ad febres continuas, intuitu evacuationum per os, alvum, & urinæ vias; in quo diſcimus omnes excretiones a naturali recedentes tramite malas eſſe. Nam fœtidæ indicant corruptionem, cruentæ

tæ vaſa rupta, vel ab acri humore quodam eroſa, &c. Contrariæ, bonæ; ita, ut etiam, quæ natura malæ ſunt, bonæ judicentur, *ſi probe ſecedant*, h. e. cum euphoria ægri ſeu bona tolerantia; quod fieri aſſolet tantum poſt ſigna concoctionis & in die decretorio, & notat humorem noxium per eas expurgari. *Holler. Valleſ.* Conf. *Martian. p. 616.* In febre ſputi exſcreationes lividæ, nigræ, bilioſæ, ſubſiſtentes quidem malæ ſunt, ſi vero pro ratione excernantur, utiles. *Coac. ſect. 2. n. 161.* In omnibus pulmonis & laterum doloribus, ſputum celeriter promteque exſpui convenit, ſputoque flavum valde permixtum apparere, &c. *Prognoſt. n. 13.* Sanguinem ſpuitione rejicientibus ſine febre eſſe conducit, ac tuſſi ac dolore leviter confligtari, ſputumque ad dies quatuordecim tenuari. *Coac. ſect. 3. n. 241.*

APHOR. 48.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus, ſi partes externæ ſint frigidæ, internæ vero utantur, & ſiticuloſæ ſint, letale eſt.

Hæc ſententia deſumta fortaſſe eſt ex *Coac. ſect. 1. n. 165.* ubi hæc legimus: *In morbo acuto, ſi partes externæ perfrigerentur, internæ vero urantur, ac ſitis urgeat, malum denunciatur.* Celſus

Celſus *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55. ita reddidit: *Non ſervari poteſt, cui exterior pars friget, interior ſic calet, ut etiam ſitim faciat*; & iterum *l.* 2. *c.* 14. *p.* 90. *In malis jam ægrum eſſe teſtatur, ubi exterior pars corporis friget, interior cum ſiti calet, ut ſupra poſui.*

Indigitatur febris ardentis ſpecies, quæ vocatur λειπυρίας πυρετὸς, & λειπυρὴ (ex λείπομαι *deficio*, & πῦρ *ignis*, nam λείπεται πυρὸς, h. e. igne, quod eſt calore deficit, ſecundum *Actuar. meth. med. l.* 2. *c.* 1. *p.* 99.); cujus meminit Hippocrates *l.* 2. *de morb. n.* 16. & quam, etſi non nominet, deſcribere videtur *ibid. n.* 37. in hiſce verbis: Exteriore parte ad contactum febris levis eſt, intus vero ardet, lingua eſt aſpera, naribus & ore calidum exſpirat. Ubi vero diem quintum attigerit, præcordia dura ſunt, dolentia, & color qualis in ictero detento apparet, urinamque craſſam ac bilioſam rejicit. Hunc ſi quidem ſeptimo die rigor & vehemens febris deprehenderit, ac exudarit, bene habet, ſin minus, ſeptimo aut nono die moritur. Conf. *l.* 1. *de morb. n.* 27. *lib. de affection. n.* 11. *de victu acut. n.* 35. & 45. *de Judicat. n.* 4. *Van der Linden*, Febris lipyria, inquit, eſt febris ardens, orta ex inflammatione viſceris interioris valde ſenſilis, de qua loquitur Hippocrates 4 *aph.* 48. & 7 *aph.* 72. de quibus notandum, (1) febres has non eſſe intermittentes, (2) in talibus algorem eſſe externorum, & ardorem internorum. Ubi per partes externas non vulgo dictæ manus, pedes, naſus, lobi aurium, &c. intelligendi ſunt; ſed univerſi corporis habitus. Algor autem non eſt tactu Medici, aut adſtantium judicandus, ſed ægri judicio, qui ſe algere dicit,

&

& tegi jubet. Tepent enim membra, nec eſt ea vis, quæ in aliis febribus ardentibus adeſſe ſolet. Hæc febris brevi terminum abſolvit, plerumque intra triduum, quatriduum, & vix unus evadit, niſi ſtatim ab initio huic malo præveniamus: lien, hepar, viſcera alia &c. ſi quæ accenduntur, non tantum periculi importat, quam ſi partibus membranoſis inflammationes accidunt, ut ventriculo, ileo, utero, veſicæ &c. Solent enim conqueri de ſummo æſtu partis affectæ, linguæ cruſta nigra, magna corporis adeſt agitatio, ſitis inextinguibilis, delirium, pervigiliæ &c. Vid. *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 558. Utplurimum periculoſa admodum eſt hæc febris propter inflammationes eryſipelaceas, partes internas occupantes. *ibid. p.* 580. Inter malignas ratione vehementiſſimæ inflammationis ventriculi numeratur lipyria febris, in qua interiora uruntur, exteriora frigent: pendet itaque ab igne ſacro, ſive eryſipelate ventriculi, ea præ cæteris parte, qua reſpicit cavum jecinoris prope fellis veſicam, ubi intercepto bilis curſu, graviſſima inde naſcuntur accidentia. Interiora uruntur, exteriora frigent; nam inflammatoria ventriculi criſpatura univerſorum, ut ita dicam, vaſorum, ac fibrarum ſyſtema, criſpat, convellitque; qua de cauſa turbato, ac impedito libero curſu liquidorum ad exteriora, neceſſe eſt, ut hæc frigeſcant: eadem de cauſa lingua arida eſt, & ſicca, ſitis ingens, pulſus celer eſt, inæqualis, & parvus, ac vix perceptibilis. Parvus hic pulſus, affecto qualibet de cauſa ventriculo, ſemper obſervatur: multo magis quando peſſima inflammatione, uti eſt lipyria, afficitur. In doloribus enim, affectionibuſque in-

inflammatoriis partium membranofarum, parvi femper fiunt pulfus, jure fimilitudinis, vafa inter, ventriculum, & partes membranofas, nec non jure originis, & confenfionis. Moeror, & anxietas cum inquietudine, funt fere infeparabile fignum lipyriæ. Horum pravorum fymptomatum origo pendet ab intercepto bilis curfu in fuis emunctoriis, ejufdemque ibidem effervefcentia ob eryfipelatofam ventriculi ex ea parte inflammationem, vicino jecinoris cavo, & felleæ veficæ communicatam. Hippocrates ait in *Coac. fect.* 1. *n.* 171. *Febres lipyriæ, non nifi per choleram effufa bile, folvuntur.* Ipfe tamen loco purgantis curationem inchoarem clyfteribus emollientibus, bis in die ventri adhibendis, & fero lactis vel tamarindinato, vel ebullito cum unciis duabus fucci fonchi depurati fingulo mane ufurpando; per diem vero gelatinam cornu cervi, factam cum aqua violarum & cardui fancti & ufque ad feptimum ita me gererem; donec tunc laxata inflammatoria crifpatura in affecta parte, & in toto fibrarum fyftemate purgationi via tuta concedatur, purgationemque pro ratione neceffitatis præfcriberem. *Bagliv. p.* 56. Conf. *Foreft. Obf. med. l.* 2. *obf.* 56. Lipyria eft ftomachica febris, paffio acuta, ardens & inflammatoria, oriunda ab inflammatione nervofæ & membranaceæ ventriculi fubftantiæ, univerfum nervofarum partium fyftema afficiens & ob id admodum periculofa. Symptomata, individui ipfius comites, e quibus, ceu pathognomonicis fignis, cognofcitur, funt, vehemens internum incendium, fumma anxietas, dolor gravis tenfivus in præcordiis, maximeque fcrobiculi cordis regione, fitis magna, vigilia, inquietudo, corporis

corporis jactatio, extremorem refrigeratio, pulsus subdurus, contractus & frequens, vel etiam inæqualis, spiratio difficilis, creber conatus vomendi & doloris ad omnia assumta, maxime irritantia & medicamenta, exacerbatio. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 1. *p.* 371. Unicum in frictione præsidium est. quæ si calorem evocavit, potest alicui medicinæ locum facere. *Cels. l.* 2. *c.* 14. *p.* 90.

Internæ partes dicuntur illæ omnes, quæ nec oculo patent, neque externo tactu explorari possunt a medico; adeoque viscera ventris & pectoris: in quibus si habeatur vel calor vel frigus, a medico cognosci nequit, sed ab ægro indicari debet. In his partibus per varias causas generari potest ardor, sed causæ hæ diversæ non faciunt reliqua phænomena similia; unde ex conjunctis phænomenis colligere debemus causam latentem, quæ ardorem infert, ut videamus, quænam causa latens non solum ardorem inferre potest, sed etiam reliqua phænomena. Adest *febris remittens*; unde possumus concludere, neque inflammationem, neque erysipelas eum ardorem inducere, quia his morbis conjuncta est febris continua. Hinc *ardor internarum partium* cum febre remittente denotat, interna viscera agitari a materia corrupta motum vitalem instigante. Ea autem materia est vel biliosa, vel pinguedinosa, vel purulenta corrupta, quoniam reliquorum humorum corruptiones non inferunt vellicando tantum ardorem. Quoniam omnes morbi putridi sunt periculosi, illi excellunt, qui putrefactum habent in visceribus internis, unde evacuari nequit, & quarum partium functiones depravatæ vel extinctæ mortem inferre possunt.

Hinc,

Hinc, etiamsi nullum præterea esset malum signum, nisi febris remittens cum ardore partium internarum, hoc solum sufficeret ad præsagiendum periculum. Per *partes externas* hoc loco intelliguntur tota cutis, facies, membraque externa. Si attendamus ad legem generalem corporis viventis, quamcunque partem stimulatam se magis movere, & illum motum vitalem esse causam naturalem caloris, facile intelligitur, si acre rodens hæreat in visceribus internis, eam partem admodum calere, & si vehementior sit rosio, partem videri comburi, ut experimur in cute, si applicatum hæret phænigmum. Sed tunc tamen ea videtur restare difficultas, quomodo inde fiat *frigus partium externarum*, quum ex lege stimulantium & calefacientium applicatorum vel assumtorum totum corpus concalescat. Hoc utique semper verum est, modo vires vitæ tantum valeant, ut ex parte stimulata per totum corpus motus vitalis major fieri possit: sed si simul habetur summa spirituum penuria, & virium defectus, pars quidem stimulata ardet, sed in reliquo corpore defectu virium non propagatur ille motus major, verum ex motu languidiore in partibus externis generatur frigus. Propterea pejus est, si partes externæ simul frigent, dum interna videntur uri; quoniam in tali febre non solum designatur corruptela, sed etiam summa debilitas. *Sitis* non solum generatur ex tenuis aquosi penuria aut oris siccitate, verum etiam ex putrefacto, biliofo, & pingui. Hoc etiam fieri in hac febre remittente, patet; tantus enim calor aut siccitas non habetur in ore, ut inde nimiam sitim conjicere possimus: dum hi ægri non raro cum

ore frigido & humido admodum ſiticuloſi ſunt: tunc nempe ſi id putrefactum ſimul feratur ad os, quod ſua qualitate ſitim infert, quæ multo potu non placatur, ut fit in ſiti ex ſiccitate. Hoc ſignum licet non adfuiſſet, morbus tamen per ſe fuiſſet periculoſiſſimus, nunc vero, accedente ſiti, quæ declarat putredinis diſperſionem per corpus, aggravatur præſagium malum. *Gorter.*

APHOR. 49.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, ſi non videat, ſi non audiat, imbecillo jam corpore, quicquid ex his evenerit, in propinquo mors eſt.

Deſumtus eſt hic aphoriſmus ex *Coac. ſect.* 1. *n.* 104. legiturque apud Celſum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 54.

Mala recenſita faciei ſunt a ſpaſmo. Viſus & auditus deficiens, jam non miniſtrari ſuccos tenuiſſimos, ad exercitium horum ſenſuum requiſitos, indicat, vel quod fibrillæ nerveæ paralyticæ, mortuæve. Hæc intelligenda in ægris jam debilibus, mortem portendere.

APHOR.

APHOR. 50.

Οὔκ ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται, καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Quando in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium contigerit, letale.

Reperitur hæc ſententia etiam apud Celſum *l.* 2. *c.* 6. *p.* 55.

Dilirium cum ſpirandi difficultate, & febre continua, non fit, niſi, aut ſepto tranſverſo inflammato, aut aliqua alia parte, quæ conſenſum cum partibus illis habet, quæ difficultatem ſpirandi inducere ſolent, cujus naturæ ſunt hepar, pulmo, & quæ ſunt in thorace partes, nec non & ventriculi pars ſuperior. Verum quia non quælibet dictarum partium inflammatio delirium facit, ſed ea tantummodo, quæ magna eſt, & vehemens: ideo hæc duo ſymptomata letalia ſunt, quia magnam inflammationem neceſſario ſupponunt. Nam impoſſibile videtur, ægrum a magna viſcerum inflammatione liberari poſſe. *Martian. p.* 449. Spiritus denſus dolorem aut inflammationem in locis ſepto tranſverſo ſuperioribus indicat. Qui vero magnus inſpiratur, & ex magno intervallo, delirium. *Hippocr. Prognoſt. n.* 4.

APHOR. 51.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα, μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νούσου σημαίνει.

In febribus abſceſſus, qui primis judicationibus non ſolvunt, morbi longitudinem ſignificant.

Abſceſſus febribus ſupervenientes imperfectam notant criſin, qua illæ non integre quidem ſolvuntur, aſt tamen levantur. Si itaque tales abſceſſus in prima judicatione, ſeu die judicatorio, h. e. quum primum erumpunt, non ſolvunt febrem, aut magnopere ſedant, longitudinem morbi ſignificant, eo quod tunc indicetur contumacia & multitudo materiæ morboſæ. *Valleſ.* Alii interpretantur verbum λυόμενα *ſolvuntur*, ita ut referant ad abſceſſus ipſos, qui ſi diutius perſiſtant nec tamen ſolvantur, aut maturentur, diuturnum morbum inferant: quemadmodum etiam Celſus intellexiſſe videtur, quando *l.* 2. *c.* 5. aphoriſmum hunc ita reddidit: *Morbum longius tempus habiturum colligere poſſumus, ubi, quod inter febres aliqua parte abſceſſit, ad ſanitatem non pervenit.* Abſceſſus nunquam ad primas judicationes *ſolvuntur*, ſed ſenſim evacuato pure, ſanantur: Verum abſceſſus *ſolvunt* febres vel ſtatim vel tarde. *Gorter.*

APHOR. 52.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Quibus in febribus, aut aliis morbis oculi ex voluntate illachrymant, nihil inconveniens. At quibus præter voluntatem, magis inconveniens.

Extat hic aphorifmus in *Epidem. l.* 4. *n.* 27. Quæ funduntur lachrymæ ex caufa aliqua manifefta, dolore, moleftiave quavis, mœrore, dicuntur hic *voluntariæ* feu *ex propofito* provenientes, nec aliquid mali portendunt. Si autem nulla ex caufa prodeant, dictæ *involuntariæ* (*non ex propofito*), quarum nempe caufam ignorat ægrotus, malæ funt; quod vel fpafticæ conftrictionis fint effectus, vel atoniam feu exfolutionem denotent caruncularum lachrymalium. Hinc Celfus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. *mali morbi teftimonium* dicit *fine voluntate lacrymare.* Et Hippocrates inter mala & perniciofa in morbis figna refert, fi ægri præter voluntatem lachrymentur; in *Prognoft. n.* 20. In morbis acutis, ubi male habent ægri, ultro quidem profluens lachryma, bono eft, invitis vero malum denunciat. *lib.* 6. *Epidem. fect.* 1. *n.* 42. Quibus invitis per febres acutas atque adeo ardentes lachrymæ effluunt, in his, dum cætera exi-

exitialiter non se habeant, sanguinis ex naribus profluvium expectandum est. In his siquidem, qui male habent, non sanguinis eruptionem, verum mortem portendunt. *lib.* 1. *Epid. sect.* 2. *n.* 176.

APHOR. 53.

Ὁκόσοισι δὲ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περίγλισχρα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίγνονται οἱ πυρετοί.

Quibus per febres ad dentes glutinosus humor obnascitur, iis vehementiores fiunt febres.

Hæc sententia in *lib.* 4. *Epidem. n.* 27. ita scripta est: *Quibus dentes undiquaque lentore obducuntur, malum suspectare licet.* Secundùm *Cels. l.* 2. *c.* 4. *p.* 51. *mali morbi testimonium est, habere humorem glutinosum dentibus inhærentem.*

Dentes produnt conditionem humorum in corpore circulantium; quorum depravata constitutio se manifestat per sordes glutinosas dentibus adhærescentes: & ut in sanis, qui quotidie sordidos, viscidosque habent dentes, licet eos quotidie abstergant, arguitur ventriculus debilis, male digerens ingesta; ita febricitantibus, qui sordibus inquinatos monstrant dentes, prædicere licet longitudinem morbi, propter abundantiam cruditatum in humoribus. Vid. *Bagliv. p.* 476. *Ettm. Oper. T.* 2. *p.* 277.

Nunquam

Nunquam humores motu circulatorio aucto convertuntur in glutinosum corruptum, nisi motus sit validissimus, qui gelatinam compingit in densum & corruptum lentorem. Quæ ergo conspecta phænomena, ut est viscositas dentibus circumnata, sunt effecta vehementioris circulationis; eademque probant, adesse febrem vehementem. Quare hoc signum probat, adesse febrem vehementem, sed non futuram: verum febrem periculosam futuram, quoniam humores ita compacti difficulter per bonam crisin evacuari possunt: & est quoque signum longitudinis, cum lentus humor longo tempore egeat ad solutionem. Utilissimum itaque est inspicere os in febribus, non ut duntaxat formemus prædictionem ex phænomenis inventis, sed ut etiam inde habeatur curatoria indicatio: nam quoties inveniuntur dentes viscoso obsessi, eam febrem curare debemus ut vehementem febrem. Et ut levetur hoc symptoma, os est colluendum abstergente antiphlogistico. *Gorter.*



APHOR. 54.

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ, βραχέα ἐρεθίζουσαι, ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεες εἰσίν.

Quibus tuſſes ſiccæ, leviter irritantes, in febribus ardentibus diu perſeverant, ii non admodum ſiticuloſi ſunt.

Ex *lib.* 6. *Epidem ſect.* 2. *n.* 43. depromta eſt hæc ſententia, ſed qui eam tranſtulit, ut brevitati conſuleret, eam mancam, ſive imperfectam reddidit. Integra ibi ita ſe habet: *Tuſſes ſiccæ parum irritantes a febre adurente, non pro ratione ſiticuloſæ, neque linguas exſiccant, ſiquidem non a malignitate (feritate) ſed a ſpiritu accidant. Conſtat id inde. Quum enim loquuntur, aut hiant, tunc tuſſiunt, alioqui vero minime. Hoc autem in febribus ex laſſitudinibus obortis maxime contingit.*

Senſus aphoriſmi eſt talis. Quicunque in febribus ardentibus a tuſſicula quadam ſicca, & non admodum moleſta tenentur, non valde ſitiunt, quemadmodum ratione febris ardentis conveniens eſſet; & ratio eſt, quia tuſſis leviter commovendo fauces, & guttur, illuc humiditates evocat, quæ febrili exſiccatione ex parte reſiſtunt. Sed in hac re duo requiruntur, primum, ut tuſſis ſit ſicca, h. e. ſine ſputo; nam quæ cum ſputo eſt, & a catarrho dependet, tantum abeſt, ut in febribus ardenti-

bus

bus ſitim tollat; ut eam non leviter irritare poſſit, cum fieri non poſſit, ut in febre ardente humores vehementius excalefacti qualitatem calidam, & acrem non contrahant, ita, ut ſitim inducant non levem, unde *lib. 2. de morb. n.* 61. ubi de febre ardente tractatur, in qua ægrotantes copioſa exſpuunt, inter cætera ſigna ſitis vehemens adnumeratur. Noſque quotidie obſervamus in praxi: quotieſcunque ægrotantes a tuſſi ex catarrho cum febre corripiuntur, perpetuo ſitire non mediocriter. Secunda conditio requiritur, ut tuſſis ſicca non ſit de genere earum, quæ a deſtillatione acri, & tenui excitantur, cujus tenuitas eſt cauſa, ut non exſpuatur, dum infimas pulmonum cavitates tenuiſſimas pervadens, non poteſt a natura ſurſum repelli, aut a pulmonis affectu tabifico, qui cum male habeat, expellere poſſe id quod ipſum moleſtat, ratus, tuſſiculam quandam excitat, ſed inanem, dum circa initia materia in eos confluere nondum cœpit. Hujuſmodi tuſſes ferinæ dicuntur, quia ægros ad tabem perducunt, quæ inter ferinos morbos ab Hippocrate numeratur; has enim ſiccas tuſſes ut exciperet, addidit in textu Epidem. cit. *non a feritate*, certum eſt enim hujuſmodi tuſſes ſiccas in febre ardente ſitim imminuere non poſſe, imo non leviter exaſperare. De qua vero tuſſi intelligi velit, exponit inquiens, *ſed a ſpiritu*, h. e. ab aëre inſpirato; evenit enim non ſemel in febre ardente, fauces aliqua intemperie affectas eſſe, ob quam ab aëre frigido inſpirato irritentur, idque in laborioſis febribus obſervavit Hippocrates: quod quidem rationi ſatis conſentaneum eſt, per labores enim homines frequentius reſpirantes, ac ve-

vehementius, copiosiorem spiritum trahunt, a quo & guttur, partesque omnes respirationi inservientes læduntur, adeo ut superveniente postea febre ardente, in qua impensius incalescunt, externi aëris occursum absque tussis irritatione perferre non possint, quippe qui dictarum partium intemperiei comparatus, extreme frigidus existit. Similem alterationem incurrunt frequentissime dentes, propter quam ab actu frigidis summopere molestantur. Hanc vero tussim ab inspirato aëre modo explicato jam excitari, eo argumento probat Hippocrates, *quia ægri, dum loquuntur, & hiant, tussiunt,* quum vero silentes ore clauso respirant, nequaquam; idque evenit, quia aër moderate per nares ingrediens in via temperatur, ut sua frigiditate gutturis, & asperæ arteriæ partes non adeo irritare, & tussim excitare possit, quod evenit, quando in loquendo, & hiando aërem copiosum immediate trahunt. *Martian. p.* 344.

APHOR. 55.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Ex glandularum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.

Iisdem verbis aphorismus hic extat in *lib.* 2. *Epidem. sect.* 3. *n.* 60.

Glandularum tumores expurgant corpus a succo morboso. Si iis jungantur febres, notatur

tatur materiæ expurgandæ contumacia vel multitudo: & hinc tales febres pronunciantur malæ; nisi febris sit ephemera, 24 horis decursum suum finiens, nam tunc notatur materia victa. *terrere non debet ea febris, quæ eodem die finita est.* Celf. *l.* 2. *c.* 3. Externi bubones non possunt ob distantiam a corde febres producere alias, quam diarias. Ergo si producunt, non sunt puri abscessus externi, sed germina sive propagines internorum: at interni abscessus, si in visceribus sint, letales sunt; si non, sunt profundi, & periculum est ne ante, quam maturescant, penetrent intus, & occidant. Hoc declaratur ex *lib.* 6. *Epidem. sect.* 2. *n.* 11. ubi hæc habentur: *Abscessus, veluti glandularum tumores, eorum quidem locorum unde propagines ducunt, atque etiam aliorum, specimen exhibent, ac præcipue viscerum, ac tum certe ii maligni sunt.* Quod si abscessus externus sit omnino, nec profundus, & febris ad eum putrida, erit pestilens, aut ex lue Indica (Venerea) ideo malignus. *Cardan.*



APHOR.

APHOR. 56.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν· μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

Febricitanti si sudor contingat, non deficiente febre, malum; prorogatur enim morbus, multamque significat humiditatem.

Desumtus est hic aphorismus ex *lib. de Judicat. n.* 8. & apud Celsum *l.* 2. *c.* 5. in h. m. legitur: *Morbum longius tempus habiturum colligere possumus, ubi, febre non quiescente, corpus insudat.*

Qui febribus superveniunt sudores non judicantes, aut levantes, symptomatici sunt, & vim morbi prævalentis, humiditatemque multam significant. Conf. 4 *aph.* 36. 41.

APHOR. 57.

Ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα.

Si cui convulsione, aut distentione nervorum detento, febris supervenerit, morbum solvit.

Scripta est hæc sententia in *lib.* 1. *de morb. n.* 6. ita: *Si distentio & convulsio detineat, febrem supervenire, bonum:* & apud Celsum *l.* 2. *c.* 8. *p.* 70.

p. 70. *febris nervorum distentionem, rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit.*

Quod febris convulsionis sit remedium, hic notatur. Res ipsa explicata est ad 2 *aph.* 26. Conf. 5 *aph.* 5 & 70.

APHOR. 58.

Τῷ καύσῳ ἐχομένῳ ἐπιγενομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

Febre ardente detento si rigor supervenerit, solutio contingit.

Extat aphorismus hic in *lib. de Judicat. n.* 11. & *Coac. sect.* 1. *n.* 188. Celsus *l.* 2. *c.* 8. *n.* 70. eum ita reddidit: *Febrem ardentem, quam Græci καυσώδη vocant, subitus horror exsolvit.*

Rigor letalis notatus est, quando febre non intermittente frequenter incidit, ægro jam debili, 4 *aph.* 46; & qui die sexta contingit, non habere judicationem, dictum est 4 *aph.* 29. In præsente aphorismo significatur rigor criticus perfecte solvens: qui prædominantis in fluida potentiæ opus est, quo fluidorum stases discutiuntur; unde coctio fit materiæ morbosæ, & solutio febris, si nempe præcesserint bonæ criseos signa. Conf. notata ad 4 *aph.* 29. & 1 *aph.* 20.

APHOR.

APHOR. 59.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita septem circuitibus, ut longissime, judicatur.

Hæc sententia pluries repetita legitur apud Hippocratem, diversis tamen verbis. *Febres quæ uno die intermissionem habent, altero vero superrigent, judicium ad septimum diem sustentant;* lib. 2. Epidem. sect. 3. n. 82. lib. 6. Epid. sect. 2. n. 41. *Tertiana exquisita in quinque aut septem circuitibus, aut ad summum in novem judicatur;* Coac. sect. 1. n. 212. *Tertiana in septem circuitibus plerumque judicatur;* lib. de Judicat. n. 4.

Nulla febris est, quæ tam exacte motus febrilis in genere, qui & vasa, & nervosas partes infestat, & Hippocrati, Græcisque, rigoris nomine quasi per excellentiam venit, naturam ac genium manifestat & quæ tam frequenter affligit, nec ulli ætati, temperamento vel sexui parcit, quam quæ alternis diebus cum rigore & horrore invadit, subsequente celeri, qui ex frequentia cognoscitur pulsu, nec non anxio & ardenti calore, ac tertiana dicitur. *Hoffm. Med. rat. T. 4. P. 1. p. 9.* Tertiana febris tum antiquis, tum nostris temporibus ita progreditur: Incipit cum rigore, & vomitu, mordaci calore urit, duodecim horis particularis accessio finitur, septenis circuitibus accessio universalis, sive totus morbus (dummodo

Medicus

Medicus non erraverit in methodo.) Purgationem & phlebotomiam in principio respuit; accessio particularis sudore utplurimum terminatur; non nisi elapso decimo quarto die febrifuga patitur; urina lateritio colore, sive impense rubicundo tingitur, estque talis color signum fere pathognomonicum hujus, aliarumque intermittentium. *Bagliv. p.* 181. At vero non semper una eademque facie incedit, sed discrepat, ideoque in varias a Medicis dispescitur species. Hippocrates quidem *exquisitam* tertianam duodecim horis defervere & septimo paroxysmo finiri, passim asserit; sed tam exactæ periodi febres in septentrionalibus nostris humidioribus & frigidioribus regionibus non observantur, & recte hinc perhibet *Mercurialis*, „ rarissime tertiana exquisita Hippocratis in„ venitur, neque ego vix vidi, & jam quadra„ ginta anni sunt, quod praxin exercui "; id quod ipse etiam asseverare possum. *Hoffm. l. c. p.* 12. Tertiana exquisita, teste Hippocrate & experientia, si sibi permittatur, quatuordecim diebus terminabitur, tantum enim temporis insumit tertianarii humoris specificatio, ut ad depurationem perveniat. Et qualemcunque adhibueris methodum, qualiacunque præscripseris remedia, ut ante statutum illud tempus tertianam eradices, irrita erunt omnia. Neque mihi objicias usum febrifugorum, quibus eam veluti in ovo jugulare contendunt rudes Medici. Fateor talia interdum succedere. Sed quid? Paucis interjectis diebus vel ipsa erumpit ferocius, vel ipsius loco quamplures gravissimi morbi, asthmata, hydropes, febres lentæ, phthises, &c. qua de re experientiam consulant, & certiores fient. Quod si con-

contingat interdum (contingit autem ſæpiſſime) tertianas exquiſitas ultra quatuordecim dies progredi, & extendi etiam ad menſes; tribuendum id erit, vel contrariæ medendi methodo, ſcilicet quando per initia purgantibus, phlebotomiis, & diaphoreticis impetuoſis, naturæ curſum in lente ſeparando humore peccante interturbamus, quo in caſu humoris tertianarii ſpecificatio deletur, novaque exoritur, cum novo ſymptomatum apparatu, & novo pariter periodorum ordine, eaque tam diu durabit donec ſponte ſua impuri humoris ſeparatio ſtatutis naturæ legibus abſolvatur, vel donec incidamus in remedium talem ſpeciem directe extinguens; ex quo quidem fonte ſpecificorum remediorum doctrina emanavit. Vel tribuendum erit novis & tunc vigentibus aëris conſtitutionibus: vel graviſſimis in victu erratis: vel tandem cauſis aliis nimium vehementibus, quæ regularem humoris tertianarii motum, ac ſpecificationem perturbare, & proprio ſibi maturationis termino diſtrahere valent. *Bagliv. p.* 183. Conf. *Eph. N. C. D.* 1. *a.* 6. *o.* 161. *D.* 2. *a.* 9. *o.* 209. ex quibus locis patet, quod Tertiana, non ſibi permiſſa, indebite tractata, letalis evadere poſſit. Vid. etiam Not. ad 4 *aph.* 43. & *Foreſt. Obſ. med. l.* 3. *obſ.* 5. *ſchol.*

Ad dicta, maxime contra Baglivum, obſervandum eſt, aphoriſmum præſentem non ita capiendum eſſe, ac ſi ante ſeptem circuitus, ſive ante diem decimum tertium, quo ſeptima acceſſio revertitur, febris hæc nunquam a natura vincatur, ſed ſummum eo terminum indigitari, ita, ut ſenſus ſit, febrim hanc exquiſitam, ſi non prius, quam tardiſſime ſeptima

acceſſione finiri, atque extremum ejus terminum eſſe ſeptimum acceſſionis reditum, cum ſcilicet nullo artificis auxilio interrupta, ſponte ſua, ut conſuevit, proceſſerit. Sin anti febrilium medicamentorum, ut noſtra fit ætate, uſu corticis Peruviani, ejus impetus infringatur, & periodicum fermentum hebetetur, profecto citius eſſet abitura, ſicut jam nunc paſſim experimur. At vero febrem hanc raro quidem illo finiri termino, ſed fieri plerumque, ut vel errore curantis, aut ægroti, vel ipſius mala naturæ habitudine, vel conſtitutione aëris minus congrua, cauſave alia occulta, febris non modo ultra illum terminum extendatur, ſed etiam duplex triplexve evadat, notum eſt cuique, & ipſe monuit Hippocrates, cum in *Coacis l. c.* tertianam exquiſitam, aut quinque, aut ſeptem, aut novem periodis finiri, tradit. Quam ob rem febri hujuſmodi mature remedia adhiberi ipſe voluit, cum *lib.* 2. *de morb. n.* 58. inquit: Si febris tertiana detineat, ſi quidem poſt tres acceſſiones quarta prehendat, medicamentum deorſum purgans propinato. Quod ſi medicamento tibi minime indigere videatur, pentaphylli radices acetabuli quantitate in aqua tritas, bibendas dato. Si vero ne ſic quidem ſedetur, ubi multa calida laverit, trifolium & laſeris ſuccum cum vino pari aqua admixta, propinato, reclinatumque ſtragulis, dum ſudet, contegito. Vid. *Berger Chin. vind.* §. 9.

Aphor. 60.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα, λύει τὸ νόσημα.

Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus profluens, aut alvus exturbata, morbum ſolvit.

Extat hæc ſententia in *Coac. ſect.* 3. *n.* 103. Celſus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 70. ita expreſſit: *Si in febre aures obtuſæ ſunt, ſi ſanguis e naribus fluxit, aut venter reſolutus eſt, illud malum deſinit ex toto.*

Quod dejectiones alvinæ ſolvant ſurditatem, dictum & explicatum eſt ſupra 4 *aph.* 28. Sanguis e naribus fluens ſolvit quoque, per derivationem: humorum congeſtio ſeu ſtaſis ad auditus organon facta ita evacuando tollitur, ſalutari motu critico. Etenim quicquid congeſtionem ſanguinis ad aures, vicinaſque iis partes, & celeriorem atque rapidiorem ejus per arteriolas acuſticas circuitum producit, id ad tinnitum, ſuſurrum, aliaſque auditus læſiones contribuit. Hinc frequenti confirmatum habemus experientia, quod ii, qui ſanguine abundant, & quibus ſanguinis motus ad caput directus eſt, quod fit ab alvo adſtricta, ſpaſmis abdominis, fluxu hæmorrhoïdum & menſtruorum ceſſante vel ſuppreſſo, partium extremarum nimia perfrigeratione, incurrant dolo-

dolorem capitis gravativum, vertiginem, atque tinnitum; qui continuante sanguinis stagnatione, accedenteque demum membranarum atonia, gravem parit auditum, ac tandem surditatem. *Hoffm. Med. rat. T. 4. P. 4. p. 153.* Hinc criticæ & salutares sunt utplurimum narium hæmorrhagiæ, quæ in synocha febre, semicritico die, inter tertium scilicet & quartum, vel etiam critico pleno, septimo, erumpunt, & has febres, a plethora utplurimum ortas, solvunt. *Ibid. P. 2. p. 15.*

Tantum valet hic hæmorrhagia narium, ut ipsam febrem compescat. Ex quibus colligere possumus in praxi, talem hæmorrhagiam, nisi modum excedat, non esse supprimendam, ut multi ex inscitia hujus observationis fecerunt. Atque inde patet, sanguinis missionem in tali surditate præcipuum esse auxilium, quum arte id præstemus, quod natura demonstrat adferre levamen. Et quoniam incerti sumus, num certo fiat hæmorrhagia, qua non apparente imminerent mala ex majori motu ad encephalum (v. c. delirium, phrenitis, convulsio), prudentis Medici est non expectare hanc hæmorrhagiam, sed surditate cum aliis signis majoris impetus ad caput apparentibus, protinus secare venam, & si prima vice inde non compescatur motus ille major, eandem sanguinis evacuationem repetere. *Gorter.*



APHOR. 61.

Πυρέσσοντι ἢν μὴ ἐν περισσῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴωθεν.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit, reverti solet.

Petitus est hic aphorismus ex *lib.* 2. *Epidem. sect.* 5. *n.* 30.

Febres revertuntur nisi judicatæ fuerint die decretorio, & quidem crisi perfecta, de qua vide 1 *aph.* 20; febres si alio die quam judicatorio desierint, recidivam meture oportet, *Coac. sect.* 1. *n.* 115. Quibus febres cessant neque apparentibus solutionis signis, neque diebus judicatoriis, iis recidiva expectanda est, *Prognost. n.* 24. Nam, quæ post judicationem intus relinquuntur, morborum reversiones facere consueverunt, juxta 2 *aph.* 12. Unde id tantum hic repetimus, quod æque paribus atque imparibus diebus contingant crises: nam quæ paribus exacerbantur, paribus judicantur; quæ autem exacerbationes in imparibus fiunt, ea in imparibus judicantur; ex doctrina Hippocratica. Cur ergo febris dicitur reverti si non diebus imparibus dimiserit? æque enim diebus paribus judicatur: adeoque tam paribus quam imparibus diebus judicata esse potuit imperfecte. An frequentius, paribus exacerbata & judicata diebus, febris reverti solet? Id quidem insinuare velle videtur præsens aphorismus,

rifmus, qui prærogativam dat diebus imparibus. *Judicantur autem febres quarto die, feptimo, undecimo, decimo quarto, decimo feptimo, uno & vigefimo. Ex his vero acutis trigefimo, deinde quadragefimo, poftea fexagefimo. Hippocr. de dieb. judicat. n. 9.*

Aphor. 62.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίγνονται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Quibus per febres morbus regius ante diem feptimum obortus fuerit, malum.

Iifdem fere verbis exarata eft hæc fententia in *Coac. fect.* 1. *n.* 172.

Icterum ab oculis viverræ, quam Græci ἰκτίδα vocant, quique auri colorem præ fe ferunt, *Aëtius l.* 10. *c.* 17. & Aretæus *de cauf. diuturn. l.* 1. *c.* 15. denominatum exiftimant. Qui ab ictero ave, quam *Plinius l.* 30. *c.* 11. Galgulum Latine vocari putat, nomen deduxere, ad id forte refpexerunt, quod, Eodem tefte, id malum fanetur ave illa fpectata, quæ vero mortem fanationis mercedem reportare hinc perhibetur. Refutavit hafce nugas Zarottus *Martial. Med. p.* 97. *Paffio vocabulum fumfit fecundum Græcos ab animalis nomine, quod fit coloris fellei.* Aurelian. l. 3. morb. chron. c. 5. *Regius* dicitur *morbus*, Q. Sereno Samonico auctore cap. 59.

Molliter hic quoniam celsa curatur in aula: quod *Celsus* illustrat *l.* 3. *c.* 24. qui curando præcipit *lecto & conclavi cultiore uti, ludis, lascivia, aliis, per quæ mens exhilaretur. ob quæ regius morbus dictus videtur.* Et color tyrannorum plerumque talis est. Nam ipsi etsi natura non sint tales, tales evadunt ob cogitationes. nam cogitatio exurit humores, & humores exusti ferinas generant cogitationes, & sunt similes leonibas ac serpentibus. *Cardan.* Si tamen credimus aliis, *regius morbus* vocatus est, quod mulso curaretur antiquitus, potione, quæ habita est in deliciis regum. Vid. *Zarot. l. c. p.* 54. *Auriginis* nomen accepit, quia corpus flavedine auri æmula tinctum & suffusum apparet.

- - notat croceo faciem corpusque colore,
Aurea rene cavo destillant lotia, sudor
Aureus est, nibil est, cui non color aureus insit,
Oris amaror adest, ignavæ glutine bilis
Tardipedes fiunt succi, flaventia languent
Corpora. Hebenstr. de Hom. p. 208.

Arquatus morbus, quasi *arcuatus*, dicitur, quod arcus (scilicet cœlestis) sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpus, ut in arcum ducat, auctore Nonio. Qui hoc morbo laborant, icterici, auriginosi, arcuati, arquati, audiunt: felle suffusos *Plinius l.* 21. *c.* 20. eleganter dixit. Vid. *J. H. Schulze Dissertatio de Ictero. Halæ* 1732. 4°. Color morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album esse debet, fit luteum. *Cels. l. c. Morbum regium* (verba sunt *Plinii l.* 26. *c.* 12.) *præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemque tunicula-*

rum felle subeunte. Est autem color ille a bile sanguini permista. quare morbus ipse vocatur *fellis suffusio* apud *Plin. l.* 22. *c.* 23.

Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur
Arquati. Lucret. l. 4. v. 333.

Supponit icterus semper vel bilis secretionem læsam in hepate, vel ibidem cursum ejus impeditum; ab obstructione in hepate, privatim in poro bilario, vel in ductu cholodocho, vel in utrisque, a visciditate, spissitudine, aut depravata constitutione bilis, unde sæpe calculi vesicæ felleæ nascuntur, & ab his quandoque icteri longi & incurabiles gignuntur. At non tantum ab impedito bilis transitu propter visciditatem, sed etiam a raritate ejus provenit hic morbus. Sal enim volatilis, qui partim bilem componit, nimis abundat; unde tenuis nimirum & calidus humor intestina plus satis irritat. In priore casu adstrictior est alvus, fæcesque crassæ, argillæ vel luto similes, ægre dejiciuntur; in posteriore diarrhœa, cum febre & liquidis flavisque dejectionibus, assidue solicitat. Illi morbo obnoxios reddit vita desidiosa, sine debitis corporis exercitationibus acta; salis enim defectu pars bilis oleosa concrescit: hoc plurimum ii laborant, quibus facultates suæ inutiles sunt; & qui genio indulgentes vino meraciori corporis humores accendunt. A nervorum etiam convulsionibus icterus originem trahit, quæ bilis canales ultra modum constringendo per hepar illam transire non sinunt; unde in sanguine exuperans in quascunque corporis partes diffunditur. Vid. *Mead Monit. cap.* 9. Data morbi idea, accedimus ad aphorismum. Ad

quem intelligendum pertinet novisse, quod omnis ictericorum ratio divisa sit in criticam & symptomaticam: ut ex ictericis, alii quidem ejusmodi sint critice, alii vero, symptomatice. Ac sane ictericis bene est ab ictero critico, qui attulit finem febris. A symptomatico autem, male: quoniam nulla ἐπιγένεσις vel συμπάθεια, deducit causam morbificam: sed multo majorem subesse testatur. *Duret. in Coac. p.* 369.

Morbus regius ante diem septimum in febribus fiens, ponitur venire ante diem judicatorium. Nominatur vero septimus loco exempli, ut decretoriorum dierum præstantissimus in acutis, quò illius nomine intelligeretur dies decretorius. Non autem semper malum est, si icterus evenerit ante septimum diem, quia in morbo peracuto, in die quinto fiens morbus regius non esset malus, fieret enim die decretorio. Imo ipse Hippocrates *lib.* 1. *Epidem. sect.* 2. *n.* 120 *sq.* refert multos eorum, qui, cum febribus ardentibus laborarent, morbos regios sexta habuerunt, sudore, aut urina, aut dejectione liberatos esse. *Vallesf. Massar. Pract. p.* 180. Itaque, si nulla sequetur materiæ expulsio, vel per alvum, vel per vesicam cum urina, vel per narium eruptionem, vel per sudorem, icteritia mala est; quæ evacuationes si sequantur icteritiam, non est perniciosa. *Joël T.* 5. *p* 78. Quin, *in biliosa febre, morbus regius, ante septimum diem cum rigore succedens, febrem solvit, citra rigorem vero intempestive obortus, letalis. Hippocr. de vict. acut. n.* 54. Ex hoc textu discimus, icterum supervenientem tunc febrem tollere, quando per eum materia febrem faciens a foco febris removetur, & ad cutim dispergitur, alioqui tantum abest, ut febrem

febrem tollat, ut potius inter mala signa recenseatur. Quare ut materia peccans per supervenientem icterum tollatur, ea esse debet, quæ illum producere apta sit; talis est biliosus humor: ideo in textu apposita est illa conditio, *in febre biliosa*. Biliosam vero febrem, eam intelligit (quando febres omnes humorales a bile excitari existimavit Hippocrates), quæ a plurima, & sincerissima bile ortum ducit; ea autem est continua, quam continentem *lib. de nat. hum.* appellavit. Verum cum in hujusmodi febre possit supervenire morbus regius, non solum diffusa ad cutim bile, sed etiam ob hepatis inflammationem, sanguinem ipsum in bilem corrumpentis, aut obstructionem in meatu cystis fellis factam, a quo febris solvi non potest, sed potius exacerbari, ut hujusmodi icterum excluderet, subjunxit, *cum rigore*. Nam rigor, bilis motum ad cutim ferri, indicat, cui salutaris subsequatur icterus. Nam etiamsi rigor etiam excitetur, quando materia biliosa ab aliqua parte in hepar diffunditur, in quo inflammationem excitando morbi regii symptomatici prænuncius esse potest, impossibile tamen est eodem tempore, quo sit rigor, hujusmodi icterum supervenire, nam rigor inflammationem præcedit, morbus autem regius longe post eam subsequitur, cum non appareat, nisi postquam inflammatio ad summum vigorem pervenerit. Rigor ergo erit de genere eorum, quæ fiunt, dum materia biliosa commota ad cutim fertur, ad quam ubi pervenerit, eam colore morbi regii inficit, & icteri salutaris signum erit. Verum, cur addidit, *ante septimum diem*? Quia fieri posset, ut morbus regius post septimum diem febri acutæ superveniret, ta-

men non esset salutaris, v. g. si hepatis inflammatione correpto, eaque in vigore existente, icterus superveniat, & eodem tempore ipsum corripiat, eo quod cum rigore accedat, & tamen letale signum erit, & perniciosum. Hunc igitur casum ut excluderet, addidit particulam illam, *ante diem septimum*, quia ante illud tempus inflammationem ad suppurationem verti est impossibile; unde necesse est rigorem hunc a bile ad cutim diffusa provenire, qui icterum salutarem attestetur. Unde firma, & verissima apparet sententia, *in febre biliosa ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens solvit febrem.* Adnotandus est autem Hippocratis dicendi modus, quia non inquit, *morbum tollit*, aut *judicat*, sed simpliciter, *febrem solvit*; quia, si id in die legitima contingat, perfectam febris judicationem adferre poterit. At si in die illegitima, seu pari, febrem quidem solvit, non tamen perfecte, & tuto, sed timenda erit recidiva, juxta illud, *febris, nisi in die impari solvatur, recidivam facere solet*; 4 aph. 61. Verum *si absque rigore* (subjungit Hippocrates) *contingat præter temporis opportunitatem*, hoc est, septima die transacta, & in die illegitima, & minime contemplabili, *perniciosus est*: necesse est enim causam eum habere hepatis inflammationem malignam, in qua, aut febris per dies pares moveatur, cujus gratia hujusmodi motus in die pari, & illegitima contingant, aut natura ab humoris sævitia irritata importunos motus arripere cogatur: hæc enim duo sunt, quæ mutationes in die illegitima efficere in morbis solent. Quare morbus regius febribus superveniens hos exitus habere potest, ad salutem perfectam, si in febre biliosa ante septimam

mam diem, in die impari, cum rigore accedat; ad febris solutionem quidem, sed non omnino ad tutam morbi solutionem, si cum præfatis conditionibus quidem appareat, verum non die impari, & legitima, nam eo casu timenda erit recidiva. Prioris exitus exemplum habemus *lib. 7. Epidem. n.* 57. Philistidis, cui cum rigore morbus regius die tertia supervenit, & septima perfecte judicata est. Si vero ante septimum diem, & sine rigore accedat, malus est; nam vel morbum letalem indicabit, vel saltem difficilem: letalem, si in die pari, & illegitima accedat, ut contigit Hermocrati *lib.* 3. *Epidem. sect.* 1. *ægr.* 2. cui morbus regius sexta die supervenit, & vigesima septima obiit: difficilem vero, si in die impari accedat, nam aliqui ex eo liberantur, quamvis cum difficultate. Quapropter in præsente aphorismo nostro legimus, *malum* esse, morbum regium ante septimam diem supervenire, non letalem, cum non sit inconveniens aliquos inde servari; etiamsi auctor, qui has sententias in unum collegit, præsentem mancam, & ex consequenti falsam reddiderit, apponere enim debuerat ex adducti textus (*de vict. acut. n.* 54.) auctoritate, *sine rigore*; conditio necessaria, & quæ sententiam universaliter veram constituit, hunc in modum, *Quibus in febribus morbus regius, sine rigore fit ante septimum diem, malum, si vero idem post septimum superveniat in die contemplabili, & legitima, cum signis salutaribus, criticus, & salutaris erit.* In die vero illegitima difficilis erit judicii, nam, & ad interitum perducere, & ad salutem per varia discrimina poterit, prout alia signa indicabunt. *Martian.* p. 401. Ergo *febricitanti quidem, & bilioso, si*

bilis suo tempore extra dispersa fuerit, bono est. Sub cute enim effusa ac dispersa, ægroto toleratu facilior, & Medico curatu promptior. Effusa autem ac dissipata, & in unam aliquam corporis partem incumbens, malo est. Hippocr. lib. 1. *de morb. n.* 6. Qui febri jungitur icterus, sæpius illius criticam affert solutionem. Ita in praxi aliquoties annotandi occasio fuit, febres, quæ cum spasmis imi ventris, vomituque bilioso & intensiori æstu stipatæ in corporibus hypochondriacis, prævia iracundia suscitantur, ictero superveniente feliciter fuisse terminatas. Haud dissimili ratione icterus in febribus intermittentibus, inprimis sub paroxysmi initio exortus, nullum portendit malum: nam illo finito & hic ipse evanescit. Qui vero inflammationi hepatis, vel duodeni aut ventriculi accedit icterus, in ancipiti ægrum esse significat. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 4. *p.* 360. Junge huic aphorismo sequentem 64.

APHOR. 63.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus quotidie rigores, quotidie febres solvuntur.

Paucioribus verbis sententia hæc scripta est in *lib. de Judicat. n.* 11. *Febribus si rigor succedat, febris solvitur.*

Periodici hic intelliguntur rigores, regulares

res & ordinati, vegeto corpore in ſudores calidos, & uberes deſinentes, qui febribus intermittentibus proprii ſunt, atque critice ſolvunt febrem. *Hecquet.* Conf. 4 *aph.* 29. Καθ' ἡμέρην, vel *quotidie*, vel *quo die rigores fiunt*, ſive fiat rigor alternis diebus, ſive ſingulis diebus, ſive quarto quoque die: in ſingulis enim acceſſionibus febrium intermittentium, qui fit rigor, ſolvit febrem atque ad ἀπυρεξίαν pervenire facit eandem. *Holler. Valleſ.*

APHOR. 64.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν· ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ. ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus per febres die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto, morbus regius obortus fuerit, bonum: niſi hypochondrium dextrum durum ſit: alioqui minime bonum.

Hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 1. *n.* 173. ita ſcribitur: *Morbus regius ſeptimo, nono, undecimo, ac decimo quarto, judicationem adfert, dum hypochondria non induret; quod ſi ſecus contingat, res in dubium vertitur.* Et iterum *lib. de Judicat. n.* 4: *Quibus in moleſtis febribus ſeptimo, nono, aut decimo quarto die morbi regii oriuntur, bonum eſt, niſi*

nisi dextrum hypochondrium obduruerit; sin minus, res in dubium venit. Hos textus vel male legit, vel non intellexit Plinius, quando *l.* 26. *c.* 12. scribit: Morbum regium *a septimo die in febre, mortiferum signum esse docuit Hippocrates. Nos scimus, vixisse aliquos etiam ab hac desperatione.*

Dixit auctor aphorismo præced. 62. quod ante septimum diem febri superveniens icterus malus sit; hic jam *ait*, *si post septimum diem febricitante ægro supervenit, tutum esse, mollibus tantummodo præcordiis substantibus. Diocles ex toto, si post febrem oritur, etiam prodesse; si post hunc febris, occidere. Cels. l.* 3. *c.* 24. *p.* 175. Nominati in præsente aphorismo dies, sunt acutorum morborum dies critici (vid. 2 *aph.* 24.) Ergo qui in iis apparet icterus; idque cum hypochondrii æqualitate, belleque coloratis urinis, ac dejectionibus figuratis, & mollibus; duce natura exoritur, & criticus est, solvens febrem: *nisi dextrum hypochondrium durum fuerit*; nam tunc significatur hepar obstructum, & icterus est symptomaticus. Additur, *si vero non, non bonum*: hoc est, si non fit morbus regius septimo, nono, undecimo, aut decimo quarto die, non est bonum; non enim censetur esse ex judicatione, sed ex malo. *Valles.* Conf. *Forest. Obs. Med. l.* 19. *obs.* 18. *p.* 305. Ast vero rarior est mitior talis icteri critici indoles; & frequentius gravitus symptomatibus stipatus est talis icterus; aucta siti, sonitu aurium, pulsationibus hypochondriorum tensorum. Quamvis vero sine his symptomatibus fit icterus in acutis morbis, vel etiam justo tempore accesserit, tamen parum prodest, nisi illis, quæ sudorem ducunt, minuatur id, quod a morbi decursu relictum in cute est. Est enim

omnis

omnis icterus in morbis acutis suspectus. *Henr. Jac. Stüven Diss. de reliquiis post crisin*, &c. *Jenæ* 1727. 4°. §. 22. „ Difficile utique in acutis „ icterus malum est: quia non solum ante se„ ptimum diem apparens, sed etiam post se„ ptimum infinitos necavit. raro autem ad ex„ tremum febrem bene judicavit: ipse vero „ haud facile discutitur. Id malum adolescen„ tulis juvenibusque familiare est, quibus & „ minus officit. Pueris autem non admodum „ usitatum, non omnibus tamen innoxium est. *Aret. de caus. diuturn. l.* 1. *c.* 15. Icteri febribus supervenientes semper monstri quid alunt, & raro illæ sunt sine malignitate. *Bagliv. p.* 140. Lassitudine laborantes, cum horrore judicatorio modo leniter exudantes, recalfacti in morbo acuto male habent, tum vero præsertim si insuper sanguis de naribus stillarit. Circa hæc aurigine admodum fœdati, & largius colorati moriuntur, iisque album alvi recrementum prodit. *Coac. sect.* 1. *n.* 55 *seq.* Quod in febribus ardentibus qui post septimum diem supervenit morbus regius varios & diversos sortiatur effectus, docemur in *lib. de Judicat. n.* 3: *Febribus ardentibus si post septimum diem morbus regius succedat, sudoris indicium est. Neque enim exudare morbus; neque aliàs usquam abscessum facere consuevit, sed sanescit. Cum calor discesserit & humiditatem ad se attraxerit, febri judicationem fieri necesse est, & urinas aut etiam alvi egestiones procedere, aut sanguinis ex naribus fluxionem, vel copiosam mictionem, aut ob humiditatem vehementem, sudorem aut vomitum. Mulieri vero etiam mensium via patefit. At si morbus regius in febre ardente septimo die aut postea contingat, ægreque multum sputum procedat, tam in ardentibus quam in aliis febribus, si nullis ex his signis contingentibus febris dimittat*,

tat, has judicationes pro illis fieri necesse est, aut majorum tuberculorum abscessus contingere, vel dolores vehementes ex abscessu, aut humorum ex calore colliquationes. Recensiti hoc in textu effectus triplici genere comprehenduntur. Primum genus ad eam febrem ardentem spectat, quæ a sincerissima bile dependet: in qua morbus regius accedens rigoris prænuncius existit, quamvis (subjungit Hippocrates) iste morbus non soleat exudare, aut quovis alio modo abscessum facere; abscessus nomine in latiori significatione utens, quatenus & abscessus proprie dictos, & quamlibet evacuationem, sive humorum decubitum comprehendit, cujus exitus rationem referens, ἀνάγκη, inquit, τοῦ θερμοῦ ἀπιόντος ἐφ' ἑωυτὸ τὸ ὑγρὸν ἑλκύσαντος, τῷ πυρετῷ κρίσιν γενέσθαι, &c. id est, *necesse est calore recedente & cum eo humore ab eodem calore attracto, febri contingere judicationem*, &c. Quorum verborum hic est sensus. Tunc febribus necessario judicationem fieri, aut per urinam, aut alvi egestiones, aut aliam evacuationem eorum, quæ proponuntur in textu, quando calore febrili ad interiora recedente, & cum eo humore ab eodem calore attracto, humorum fit congregatio in unum; non autem quando ad exteriorem superficiem disperguntur, & sub cute concrescunt, quemadmodum in morbo regio evenit, cujus gratia morbus iste non solet exudare, &c. quemadmodum morbi alii in quibus humores interius congregantur. Cæterum (dicet aliquis) si morbus ab assignatam rationem non solet exudare, nec aliquem alium abscessum facere in aliis febribus postquam morbus regius supervenit, cur in febre ardente sola est indicium sudoris? Hujus rei nullam assignavit causam auctor in textu. Ego autem

id

id evenire dicerem, quia in febre, quæ universum genus venosum occupat, tanta humorum adest copia, ut excretio, quæ morbo regio mediante fit per cutim, sufficere non possit; talis est febris ardens: quare superveniente ictero integre judicari non potest, nisi aliqua alia evacuatio subsequatur, quæ sinceræ bili conveniat; hæc autem erit per sudorem evacuatio, quæ & humori peccanti, & ejus motui ad cutim accommodatur. Alter modus apparitionis morbi regii in ardentibus febribus est, quando non sincera bilis sola peccat, sed cum ea pituitosus, & crassus humor, qui a copioso sputo & cum difficultate excreto indicatur, cujus gratia per solam bilis effusionem, quæ in morbo regio fit, febrem in totum judicari est impossibile, & ideo aliquam evacuationem subsequi necesse est, earum, quæ proponuntur in textu. Quod si absque ea febrem deficere contingat, prædictarum evacuationum loco, abscessus magnorum tuberculorum expectare oportet, aut abscessuum dolores vehementes, aut humorum colliquationes a calore procedentes, quæ per alvi fluxum, vel per urinæ excretionem fiant. Tertium denique, & postremum genus morbi regii supervenientis est, quando febre ardente jam declinante apparet; quo casu, aut sudorem, aut ullum alium abscessum expectare amplius, vanum est, quia febris remissio materiam morbificam exiguam esse indicat, & quæ per morbi regii effusionem in totum tolli potest. *Martian. p.* 421. Omnis icteritia in febribus post septimum quoque diem apparens, si non sequatur expulsio excrementorum, mala est censenda. *Joël T.* 5. *p.* 78.

APHOR. 65.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν, καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circa ventriculum æſtus vehemens, & oris ventriculi morſus, malo eſt.

Καρδιωγμὸς, καρδιαλγία, καρδιακὴ διάθεσις, Cæl. Aureliano acut. morb. *l.* 2. *c.* 32. *cardiaca paſſio*, & *c.* 36. *Cardimona*, Plinio *l.* 20. *c.* 14. *roſio ſtomachi*, dolor eſt ventriculi ceu partis valde nervoſæ & exquiſitæ ſenſationis, & præcipue ejus orificiorum, acutus circa ſcrobiculum cordis conſiſtens, cum ingenti anxietate, ſpirandi anguſtia, viriumque proſtratione, inquietudine, niſu vomendi, extremarum partium tremore & frigore, levi animi defectione junctus, a ſpaſmo vel inflatione ortus, totum ſæpe nervorum ſyſtema in conſenſum trahens. Nomen accepit ab orificio ventriculi ſuperiori ſeu ſiniſtro, quod œſophago continuum eſt, & vocatur καρδία, itemque ſtomachus, ac ſi ibidem eſſet propria mali ſedes: cum tamen potius dextrum orificium, quod pylorus ſeu janitor nominatur, imo totus, ratione tunicæ qua inſtructus eſt valde ſenſilis nervoſo-fibroſæ, ventriculus adfici videatur, uti vel ex eo eluceſcere poteſt, quia circa cordis ſcrobiculum, ſub mucronata cartilagine ad latus dextrum, ubi conſtans pylori ſedes eſt, hic atrox incipit &

& consistit semper dolor, & inde ad sinistrum, quod in dorso non procul a spinali medulla situm est & diaphragma circa vertebram thoracis undecimam vel duodecimam penetrat, se extendit. Descriptus jam ventriculi dolor cardialgicus ex iis est morbis, qui, nisi diutius persistant, non facile necent, nisi accedat inflammatio: sed non sine periculo est, si aliis morbis, præsertim febribus acutis & malignis superveniat. *Vehemens æstus* indicat inflammationem. Vid. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 221 *sq.* & *T.* 3. *p.* 345. Frequentius observatum est, cardialgiam spasmodicam, si fuerit vehementior, sæpenumero in epilepticos transire motus; quoniam videlicet insignis inter nervosas ventriculi & capitis partes, vi octavi nervorum paris, intercedit consensus. *ibid. T.* 4. *P.* 3. *p.* 51. Materia febrilis copiosius circa orificium superius ventriculi collecta non solum infert ardorem, verum etiam dolorem, quod frequens est febribus, si quandam partem nervosam præ cæteris aggrediatur: nam etiam capitis ardores ex febre solent conjunctos habere dolores: adeo ut, quoties materia febrilis occupet aliquam partem, ea pars simul doleat & caleat, sed raro vel dolor vel calor solus habeatur, ut febris symptoma in quadam parte nervosa. *Gorter.*



APHOR. 66.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ, καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In febribus acutis convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum.

Prior hujus ſententiæ particula extat in *Coac. ſect.* 2. *n.* 207. *Convulſiones cum febre acuta perniciem denunciant.* Celſus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 52. ita habet: *Neque unquam in acuta febre, aut a ſomno non eſt terribilis nervorum diſtentio.*

Explicatio hujus aphoriſmi, quod ad convulſiones in febribus, peti poteſt ex dictis ad 2 *aph.* 26. Quod hic additur de doloribus circa viſcera, ſciendum eſt, eos portendere malum, eo quod ſignificant inflammationem in viſceribus. Vehementes dolores in viſceribus æquipollent convulſioni, eamque accerſunt facile. Convulſiones cum dolore & vigiliis urgentibus conjunctæ periculoſiores, vel inflammationem vel obſtructionem majorem, vel abſceſſum minantes. *Wedel.*

APHOR. 67.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι, ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus per somnos pavores, aut convulsiones, malo sunt.

Celsus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 52. connectens aphorismum hunc cum præcedente, *Timere etiam,* inquit, *ex somno, mali morbi est.*

Peti potest explicatio ex iis quæ dicta sunt ad 2 *aph.* 1. cujus hic datur particularis expositio. *Ex somnis pavores*, notant oppressum cerebrum, unde ab impedita humorum circulatione spasmi & convulsiones. *Hecquet.* Citra insomnia turbulenta & terrifica citati pavores pejores fere esse solent. Pavores insueti pejores, consueti minus timendi. Pavores & convulsiones ab ipsius cerebri irritatione orti magis, a præcordiorum, vel uteri consensu, minus periculosi. *Wedel.*



Aphor. 68.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακόν· σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus ſpiritus offenſans malo eſt; convulſionem namque indicat.

Reſpiratio moleſta ægro, rara, interrupta, malum ſignum eſt, quia notat organa reſpirationi ſervientia male affecta, ſpaſmodice contracta, convulſa. Dictam reſpirationis læſionem exprimit Celſus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 64. his verbis: *Quorum faucibus in febre illiditur ſpiritus, inſtat his nervorum diſtentio.* Spiritum offendentem vocat Hippocrates eum, qui in inſpiratione intercipitur, eo quod pectus dum dilatatur, in medio motu quieſcit, ut novum inſultum efficere natura cogatur, reſpirationis genus pueris lugentibus admodum familiare, quippe qui inſtrumenta reſpirationi deſervientia, ſicuti & alia omnia ad animalem facultatem pertinentia imbecillima habent, & quia pectoris dilatatio a muſculis huic operationi deſtinatis potiſſimum dependet, qui, dum ſeſe habent ſecundum naturam, pectus æqualiter quantum opus eſt, voluntatis, & naturæ imperio attollunt, ideo ſi motus iſte interrumpatur invito, hujus cauſa referenda eſt in principium quoddam convulſionis, ſive motus convulſorii, unde paulo poſt perfecta convulſio ſubſequitur. *Martian. p.* 451. Etenim convulſio alia

latens,

latens, alia patens, alia ſignata, alia exercita eſt. Reſpiratio difficilis in febribus vel muſculos & nervos pectorales affectos, vel circulationem ſanguinis languidius circa radicem procedere denotat. Motus autem vitales & naturales, ab animalibus diſpenſati ſimul, non ſuccedentes vel vitiati, ſæpe ſpaſmodicam cauſam agnoſcunt. *Wedel.*

In febribus *interrupta reſpiratio*, τὸ πνεῦμα προσκόπτον, eſt *malum*, quoniam ſine febre in plorantibus eſt frequens & non diu durans: verum in febribus notat, motum particularem pulmonum in conſenſum trahi, quod magnitudinem morbi declarat, & nullum auxilium inferre poteſt. *Convulſionem ſignificat.* Hoc duplici ſenſu accipitur, ut præſens tanquam phænomeni cauſa, vel futurum. Utrumque admitti poteſt. Nam reſpiratio interrupta a ſpaſmodica fibrarum conſtrictione oritur; atque in quibuſdam fibris ſi inceperit convulſio, non eſt infrequens, tandem quoque convulſionem fieri in fibris aliorum organorum. Hoc boni comparamus ex ea obſervatione, quod, ſi videamus ægrum febre laborantem corripi interrupta reſpiratione, nos non ſolum medicamenta febrifuga præſcribere debere, verum etiam antiſpaſmodica, de quibus alias non fuiſſet cogitatum. *Gorter.*

APHOR. 69.

Ὁκόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει. μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται, οἷσιν ἐξ ἀρχῆς, ἢ διὰ ταχέων, ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus non ſine febre urinæ ſunt craſſæ, grumoſæ, & paucæ, ſi ab iis copioſæ, & tenues prodeant, juvant. Præcipue vero tales redduntur, quibus ab initio, vel non multo poſt, ſedimentum ineſt.

Hic aphoriſmus in *Coac. ſect.* 5. *n.* 80 & 81. ita legitur: *Quibus urinæ paucæ, grumoſæ, non ſine febre, ſi ab iis tenues & copioſæ prodierint, juvat. Talibus autem circa initia procedunt, aut non multo poſt ſedimentum habent.*

In hac prognoſi mutationum gradus ponuntur ad criſin, quæ ab urinis primum ſignificata, mox ab iiſdem ſuſcipitur: ſcriptaque eſt loco exempli, quo theorema catholicum continetur de tranſitu cruditatis in coctionem; & impediti humoris morbifici præ contumacia, meatuumque anguſtia, in liberalem & liberam excretionem. *Duret. in Coac. p.* 521. Cum a principio urinæ tenues ſunt, ubi natura morbi coctionem aggreditur, paulatim craſſeſcere incipiunt, quia ſicuti tenuitas cruditatis, ita craſſities coctionis eſt argumeetum. Verumtamen etiam-

etiamsi urinarum tenuitas semper cruditatem attestetur, non tamen quælibet crassities co-ctionem denotat, quia aliquando urina crassa pejor est tenui, & a coctione remotior, quamvis hæc cruda ab Hippocrate non dicatur, sed ea tantummodo, quæ tenuis est. Hujus naturæ est ea, de qua in præsente aphorismo fit mentio, crassamque & grumosam vocat Hippocrates, hæc enim humorum perturbationem cum ingenti fervore denotat, quem grumescentia attestatur. Per grumosam enim urinam intelligo eam, in qua corpuscula quædam crassiora continentur, furfuraceis majora, a pelliculosis differentia, & planitie, sive tenuitate, & densitate, quæ longe minor est in grumosa, quam in pelliculosa, quæ quidem corpuscula sunt portiones materiæ morbificæ per caloris vehementiam incrassatæ, & in unum coactæ. Additum est vero, *& paucæ*, ut omnem salutaris excretionis spem tolleret, cum nihil paucum criticum esse possit. Quapropter hujusmodi urina crassa, ab ea, quæ per coctionem talis facta est, penes tria distinguitur, primo, quia a morbi principio apparet, nec tenuis præcessit; secundo, quia sedimentum habet inæquale, & grumosum, concocta vero, æquale, & læve. Distinguitur tandem, quia urina concocta, aut copiosa mingitur, aut saltem in quantitate mediocri, hæc vero pauca supponitur. Si ergo urinæ hæ sunt malæ, quia crassæ sunt, & paucæ, ut ad bonas accedant, tenuiores & copiosiores fieri necesse est, nam fervorem internum, & humorum perturbationem remitti indicabunt, solo earum vitio ad simplicem cruditatem redacto. Dum modo *copiosæ* prodeant, sæpe enim urinæ crassæ

in tenues mutantur, morbo in pejus tendente, dum scilicet humores in venis conturbati, in aliquod viscus impinguntur, tunc enim urinæ attenuantur, quia nihil materiæ morbificæ cum iis excernitur, quod crassitudinem faciat, idque ex eo potissimum cognoscitur, quia & tenues simul, & paucæ minguntur; nam si copiosæ sint, tenuitas a copia contingere potest, quatenus humores cum urina excreti, qui mediocrem crassitudinem præstitissent ei, quæ in moderata quantitate mingeretur, copiosam crassefacere non possunt. Hac enim ratione copia tantum malitiei detrahit crudæ, quantum bonitatis aufert tenuitas copiosæ, & hoc pacto tenuis copiosa, media quodammodo est inter exacte crudam, quæ aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidivam indicare legimus 1 *Epidem. sect.* 2. *n.* 88. & optimam, quæ celeritatem judicatioris, & securitatem significat. Quæ quidem attendens Hippocrates in aphorismo inquit, hujusmodi urinarum mutationem, non morbi solutionem afferre, sed tantummodo prodesse; idque summa cum ratione, quia sicuti perseverante humorum agitatione, & interno fervore, impossibile est aliquam coctionem fieri, quæ in temperatura consistit mutua, & quiete perficitur, ita his sedatis coctio tandem sperari potest, quæ morbo finem imponat. Hæc vero sedari debere, indicabit sedimentum, quod non longe postea in urina appareat, idque significare voluit Hippocrates, dum in fine aphorismi subjungit: *Tales maxime prodeunt his quibus ab initio, aut brevi subsidentiam habent*; sedimentum enim naturæ dominium plerumque significat. *Martian. p.* 451.

Illud

Illud ſcire oportet, interdum in ægritudinum terminationibus multitudinem profluere urinæ albioris & tenuioris, atque mediocrem habentis hypoſtaſin, præſertim cum præceſſerit urina craſſior, & globulentior. *Actuar. de urin. l.* I. *c.* II. Urina tenuis aut redditur & manet tenuis; aut mingitur tenuis & perturbatur ac craſſa fit. Et quidem prior eſt ſumme cruda; perturbata vero ac craſſior facta coctionem inceptam declarat. Eodem modo & craſſa aut funditur ſpiſſa & manet ita; vel fluit craſſa, ſubſidens vero tenuis evadit: & quidem illa perturbationem humorum validam in corpore factam oſtendit; hæc vero tum ſedari perturbationem, tum ſanguificationis concoctionem excitari declarat. *Theoph. de urin. cap.* 4. In renum & veſicæ calculo laborantibus emittitur non raro urina pauca, & grumoſa, & ſub initiis & craſſum habet ſedimentum: copia tamen tenuium urinarum non prodeſt, ſed impenſe nocet: ab iis tamen aut abeſt febris, aut eſt accidentalis propter dolores renum, aut veſicæ. Pronunciatum igitur eſt accipiendum de iis, qui febriunt, neque febriunt per dolores a calculis. In his itaque cum fiat tranſitus ab urina pauca, & grumoſa, nempe craſſa, quæ ab initio morbi redditur, & craſſæ eſt hypoſtaſis ad urinam copioſam, ac tenuem, manifeſte indicatur craſſitiem ſolvi, adeoque prodeſſe debet. *Bellin. de urin. &c. p.* 51.

APHOR.

APHOR. 70.

Ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀνατεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίων, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus per febres urinæ ſunt turbidæ, quales jumentorum, iis capitis dolores vel adſunt, aut aderunt.

Scribitur hæc ſententia in *Coac. ſect.* 5. *n.* 46. in hunc modum: *Alba, qualis in veterino genere redditur, capitis dolorem ſignificat.*

Urinæ ſubjugales dicuntur craſſæ & turbidæ. Notant coctionem a febre cœptam, magnumque in humoribus motum, vaſaque, quibus illæ ad renes deferuntur, laxa. In *Coac. l. c.* Hippocrates colorem album adjunxit, non tanquam neceſſarium omnino, quia de hujuſmodi urinis tractans *lib.* 7. *Epidem. n.* 54. denſitatis, & perturbationis tantummodo mentionem fecit. Imo inter exempla, quæ ad hujus rei confirmationem adducit, Polyphanti meminit, qui ex capitis dolore vehementiſſimo mente motus, convulſus mortuus eſt, cujus urinam deſcribens inquit, *urina prodiit rubicunda, conturbata, velut jumenti.* Quare quotieſcunque urina craſſa eſt, & adeo conturbata, ut nihil deponat, cujuſcunque coloris ſit, capitis dolorem indicare ſolet, quatemus humorum agitationem oſtendit, qui, cum a natura non regantur,

tur, facile caput petunt, dum a calore febrili elevantur. Hoc autem in loco albedinem addidit, ut certius signum doloris capitis, nam cum hic color pituitosorum humorum copiam attestetur, quorum fons caput est, si agitentur, facilius in caput feruntur, quam cæteri humores, qui hoc consortium cum cerebro non habent. *Martian.* p. 609. Forte rectius dixeris, album urinæ colorem denotare sales in corpore retentos, qui acrimonia sua malum portendunt. „ Urina subjugalis (i. e. boum „ urinæ crassæ & turbidæ similis) quando in „ acutis febribus, aut morbis, apparet, sem„ per mala capitis prænunciat. Si ea appa„ rente pulsus sint parvi & debiles, æger ad „ somnum inclinet, gravitate capitis afficiatur, „ &c. soporosos affectus, & præsertim lethar„ gum mox supervenientem prognosticato. „ Contra si vigiliæ, capitis dolores, sitis, lin„ guæ ariditas, ardores viscerum & similia cum „ tali urina vigeant, vel delirium, vel con„ vulsiones, vel alios nervorum morbos jam „ jam imminentes prædicito. Sicuti urina „ subjugalis mala est in acutis, ita contra bo„ na in nonnullis chronicis, utpote rheuma„ tismo, dolore articulorum, &c. " *Bagliv.* p. 140. Lethargicorum urinas esse, quales in veterino genere redduntur, observatio est Hippocratis in *Coact. sect.* 1. *n.* 194. Finito paroxysmo in febribus intermittentibus urina redditur jumentosa. Vid. *Boerh. aph.* 753. Pronunciati in præsente aphorismo ratio generalis explanari non potest, turbatio enim urinarum agitationem quidem humorum, & solutionem indicat, sed nemo novisse potest, quid ea solutione componatur, aut quid, & quomodo sol-

solvatur, & quæ sint inter illa, quæ in capite potius ad producendum dolorem hærere possunt, quam in partibus reliquis; quicquid igitur veritatis habet hoc pronunciatum, per experientiam & observationes comparatum est, & per earum utramque confirmandum solum in aliquo casu particulari. *Bellin. de urin. &c. p.* 58 Interim censente eodem auctore *p.* 579 *sq.* quoniam urinæ turbidæ provenire possunt a solutione partium solidarum, quæ cum sanguine feruntur per corpus, hoc est, partium difficilis motus; hæ igitur perductæ ad cerebrum, in quo minima viget vis pressionis, facile subsistent, & dolorem excitabunt. Ex observatione præsentis aphorismi id boni habemus in exercitatione practica, quod sciamus, quid sit in tali malo faciendum, dum expectamus mala capitis ex tali urina: ut scilicet demus alvum ducens, quod ad aliam viam magis ducat materiam caput petituram. *Gorter.*



APHOR.

APHOR. 71.

Ὁκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, κατ' ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus feptimo die judicatio contingit, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, aliaque pro ratione.

Defumtus hic videtur aphorifmus ex *Coac. fect.* 5. *n.* 5. ubi ita fcriptus eft: *Quæ urina quarto die fubrubram nubeculam capit, feptimo die liberat, dum reliqua pro ratione habeant.*

Quartus dies index eft feu indicatorius feptimi feu critici, quo morbus judicari feu folvi debet. Quartus ergo dies præbet figna coctionis. Vid. 2 *aph.* 24. Apparente igitur nubecula rubra indicabit partes etiam duras, unde rubor, moveri, quæ ea die admiftæ tenuibus, quæ primo utpote magis mobiles moventur, afcendunt urinæ liquido leviores; unde fenfim auctis villorum motibus, feptima habebitur expreffio omnium, & excretio per urinam; dummodo, ut ait Hippocrates, reliqua etiam fecundum rationem fe habeant. *Bellin l. c.* Nam nifi cætera fint paria, urinæ foli, etiam coctionis figna præ fe ferenti, non fidendum. *Wedel.* Materia vifibilis, a reliquo urinæ liquore vifu diftinguenda, tria diverfa loca occupare poteft. Vel hæret in urinæ fuperficie, quando

do supernatans dicitior; vel hæret ad fundum, quando sedimenti nomine venit; vel denique medium inter has partes occupat magis minusque elevata, quæ *Nubecula* dicitur. In hominis perfecte sani urina quædam semper nubecula invenitur, quæ videtur confecta ex portione alimentorum non satis subacta, atque ex materia detrita per vitæ actionem in humorem excrementitium: unde in heluonibus & quibus vitæ actio est debilior, tanta hujus copia in urina colligitur, ut vel totam urinæ massam turbet, vel copiosum sedimentum turbidum faciat. In morbis autem cum majore motu circulatorio vix aliquid de dicta materia nubeculam formans inveniri potest, quum validiore actione vitæ ea materia ita subtilisetur, ut sui nullum indicium præbeat, quare tunc tota urina redditur pellucida sine nubecula & sine sedimento: quod autem in morbis acutis tandem formetur nubecula, id non arguit superius dictam materiem evacuari, sed omnino aliam, scilicet morbi materiem aliquo modo subactam, vel partem detritam per actionem vitæ validiorem. Quum in hujusmodi morbis talis semper formetur materia, signum est, quando urina in febribus acutis redditur perfecte pellucida, eam materiem vel aliis humoribus intricari, ut separari non possit, vel retineri in corpore: quare debito tempore in acutis nubecula conspecta bonum signum, nempe exitum materiæ morbi, exhibet. Color nubeculæ naturam materiæ exprimit. Dum in morbis acutis & febribus materia morbi paulo majore motu agitatur, quam est motus vitalis in sanitate, præbet in urina materiem visibilem albicantem: sed in motu validissimo id quod

prodit vel in nubecula, vel in ſedimento, rubrum colorem habet, imo ipſe liquor urinæ ruber eſt; quod etiam obſervatur in motu muſculari validiore: reliqui autem colores flavi, nigri &c. a diverſis humoribus una exeuntibus dependent. Quoties igitur in urina formatur *nubecula rubra*, ſignum eſt, tali in corpore validiſſimum motum eſſe atque febrem vehementem. Si ergo comparatio fiat inter nubeculam albam & rubram, dici poteſt, nubeculam albam ſalutarem eſſe, ſed nubeculam rubram majus periculum portendere. Motus morbi acuti febrilis tam vehemens, ut materiam rubram pro nubecula formet, diutius quam per ſeptem dies a corpore ſuſtentari nequit ſine corporis interitu; quamobrem recte obſervavit Galenus, ſe nunquam poſt quartum diem vidiſſe nubeculam rubram in urina præſagientem futuram criſin ſeptimo die. Hæc etiam obſervatio firmat criticorum dierum doctrinam, quod quartus dies ſit index ſeptimi, quoniam in morbis acutis tantum tempus a morbi principio inſumitur uſque ad ἀκμὴν, quantum in morbi declinatione, dies quartus enim eſt medius inter principium & ſeptimum diem. Inde etiam ſi præludia coctionis obſervantur die ſeptimo, morbus plerumque durat ad decimum quartum; & quæ conſpiciuntur undecimo, illa morbum ad vigeſimum diem prolongare ſolent. Hoc tamen obſervatur in diebus criticis, quod brevius tempus accuratius ſervet ordinem, quam tempus longius. Dum igitur quarto die ex nubecula rubra conſtat, febrem eſſe vehementem, cujus tamen materia incipit quarto die evacuari, ſpes eſt perfectam futuram eſſe coctionem die ſeptimo. Verum ſæpiſſime eve-

 nit,

nit, ut in tali febre vehemente vires vitæ ſuperentur, & ut ita morbus abeat vel in corruptionem, vel in ſphacelum. Quia itaque hoc ſignum criticum minus ſecurum eſt, quam ſi apparuiſſet nubecula alba; neceſſe hinc erat, ut auctor adjiceret, *& alia ſecundum rationem*: nam ſi modo unum alterumve adeſſet ſignum, vires vitæ ſuperari a magnitudine morbi, cum homo talis ita verſetur in ancipiti, & quaſi in puncto interitus, hoc ſignum ſolum non ſufficeret ad criſin ſeptimo die præſagiendam. *Gorter*.

Aphor. 72.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά· μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

Quibus urinæ pellucidæ, albæ, malæ: præcipue vero in phreniticis apparent.

In *Coac. ſect.* 5. *n.* 25. hic aphoriſmus ſic legitur: *Alba vero effuſa & perſpicua urina mala eſt, præcipue in phreniticis apparens.* Celſus *l.* 2. *c.* 4. *p.* 52. *Diluta*, inquit, *atque alba vitioſa eſt, ſed in phreniticis maxime.*

Urinæ albæ pellucidæ vix quicquam craſſiorum partium continent, unde vel in toto corpore, vel aliqua parte detinentur, obſtruendo &c. quare malæ. Itaque cum partes craſſæ detinentur, ubi viget minima vis motuum, nempe

nempe ubi minima datur preſſio, tum maxime ejuſmodi urinæ reddentur, minima autem preſſio intra cranium, ubi nulli muſculi, nulla vis a reſpiratione; ad eas igitur partes detenta materia, urinæ maxime pellucidæ, albæ reddentur: detinetur autem ibi materies in phreniti-de propter inflammationem; igitur ejuſmodi urinæ in phreniticis præcipue apparebunt. *Bellin. l. c.* Quod attinet ad urinas pondere leves, conſiſtentia tenues, inſtar aquæ ſæpe pellucidas, eas quam maxime in gravioribus internarum & membranoſarum partium ſpaſmis, pathematibus hyſtericis, hypochondriacis atrocibus, in cardialgia, affectione calculoſa, nephritica, colica convulſiva, apparere, crebriori edocti ſumus experientia. Pariter in gravioribus capitis morbis, ejus nempe doloribus, in vertigine, phrenitide, mania, melancholia, epilepſia, valde tenues & leves emitti urinas, identidem perpetuæ eſt obſervationis. Idem contingit in gravioribus nervoſarum partium affectionibus, quæ a cauſtico veneno, vel a vermibus tunicas inteſtinorum rodentibus, in convulſionibus, concitantur. Et quod probe notandum eſt, tenues & aquoſæ ejuſmodi urinæ non modo in ipſo ſtatu & exacerbatione horum morborum prodeunt, ſed & aliquot dies ante, ac paroxyſmos imminentes nunciant. Unde non mirum eſt; quendam apud *Tulpium lib. 2. obſ.* 19. ex tenui lotio, triduo ante præſagire potuiſſe cordis palpitationom. Tenues quoque, aquoſæ & perpetuo albæ ejuſmodi urinæ in diuturnis morbis difficulter judicant & ſecuræ non ſunt; in vigore autem febrium ſi copioſæ fluunt & ante dies criticos, multum alunt periculi & phrenitidem imminentem

 præ-

præſagiunt. Hippocrates *lib.* 3. *Epidem. ſect.* 2. *ægr.* 4. id confirmat exemplo ægri, qui ſecundo die ſurdus, circa meridiem deliravit & quinto die mortuus eſt, & alius *ibid. ſect.* 3. *ægr.* 4. qui quarto die obiit phreniticus. Idem auctor ſæpenumero etiam obſervavit: easdem urinas, ſi in inflammationibus gravioribus internis, uteri, pulmonum, ventriculi, comparent, nunquam periculi eſſe expertes, præſertim ſi creber ſtimulus ſit ad matulam & copioſiſſimæ ac tenues reddantur. Nam dilutæ ejuſmodi aquoſæ, pondere leves, omnis ſedimenti expertes & quæ pauxillum ſolidi habent urinæ, a nimium per ſpaſticas ſtricturas arctatis & anguſtatis ductibus renum ſecretoriis & excretoriis proveniunt, & luculentum totius generis nervoſi ſpaſmis affecti teſtimonium ferunt, quum lege conſortii & conſenſionis, renes etiam & ductus urinoſi ſimul compatiantur. Albæ autem prodeunt & pellucidæ hanc maxime ob cauſam, quod ſtrictiores tubuli, plerumque nonniſi id quod valde tenue eſt & diametro canaliculorum reſpondet, admittunt, unde craſſi & ſulphureæ moleculæ remanent. Et copioſæ utplurimum profluunt, quia in affectibus ſpaſmodicis, ob tubulos ſubcutaneos conſtrictos, parum humidi perſpirat, ſed ad renes eo copioſius fertur ac urinæ inſinuatur. Quod vero in acutis morbis ejuſmodi tenues & aquoſæ urinæ inflammationem, vel jam præſentem, vel certo futuram, in ventriculo aut capite, ſubindicent, hæc ſubeſt ratio: quia ob ſpaſticas ſtricturas, ſanguinis impetus urgetur ad interiora ac ſuperiora, quo fit, ut is in tunicis cerebri & ventriculi, præſertim viribus jam fractis, firmius impactus ſubſiſtat & inflam-

mationes

mationes præcipitis periculi pariat. Monendum tamen eſt, quod tenues, aqueæ, plus minus turbidæ urinæ, non ſemper a ſpaſmis ortum trahant, ſed aliam etiam agnoſcant cauſam, & vel vires valde fractas, vel partium ſulphurearum in ſanguine, a quibus & earum motu calor & ſpirituaſcentia dependet, defectum, vel vim ventriculi digeſtricem imbecillem, vel etiam ſanguificationem læſam & copiam cruditatum, tam in primis viis, quam maſſæ ſanguineæ admixtarum, prodant. Quare qui noviſſime a morbo diuturniori convaluerunt, v. c. a dyſenteria, a febre acuta exanthematica, morbo Hungarico, variolis, ſi nimium præſertim indulgent appetentiæ, ex defectu caloris & ſpirituaſcentiæ in fluidis, facile multas colligunt cruditates aqueas, quæ, cum minus commode per cutem difflari poſſint, ſubſiſtunt, intus remanent, & per urinam ſecedunt. Et hæc utique eſt ratio, quod etiam in cachexia, leucophlegmatia, enormibus hæmorrhagiis, in principio anaſarcæ, in chloroſi virginum, in menſium ſuppreſſione, tales urinæ crudæ, turbidæ, pallidi, ſubviridis, vel tenuis citrini coloris, copioſe mingantur. Notavit hoc jam Hippocrates, qui ejuſmodi urinas tenues & aqueas ſpleneticas appellat, quia in iis, quibus facies coloris luridi eſt & lien laborat, obſervantur. In fluore quoque mulierum albo, qui ſoboles utplurimum cachexiæ & menſium ſuppreſſorum, plerumque urina etiam pallida & turbida, quandoque cum ſedimento ſquamarum inſtar viſitur. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 294 *ſq.*

Pellucida urina privata eſt omni materia ſedimentoſa, & quæ format nubeculam (de qua

dictum est ad præced *aph.* 71.); neque habet admistam materiam, quæ turbidam facere potest urinam. Inde tamen nequit inferri, morbi materiem huic urinæ non esse mistam: nam sales solvuntur aqua, & tamen non turbant ejus pelluciditatem; atque multæ tincturæ inveniuntur pellucidæ, virtute medicamenti saturæ. Sed quando talis invenitur urina, quæ etiam morbi materiem mistam habet, significat tunc, perfectam esse unionem inter morbi materiem & reliquam massam urinæ. Ita durissima & opacissima etiam metalla, in suo menstruo soluta, pellucidissimum liquorem præbent. Quare urina pellucida vel indicat in morbis materiem non evacuari, vel reliquo liquori urinæ intime mistam esse. Materia autem morbosa magnâ copiâ urinæ intime mista non turbat quidem ejus liquorem, sed tamen mutat ejus colorem; unde habetur urina alba pellucida aquosa, vel pellucida & colorata. Illa semper indicat, nihil de materia morbi, vel materia detrita per vitalem actionem corporis, urinæ liquori esse mistum: hæc autem, quo color magis est saturus, eo majorem copiam materiæ detritæ vel morbosæ admistam arguit. Ex urina itaque *pellucida alba* scimus, neque materiem detritam, neque morbosam evacuari. In febribus autem talis urina evacuari nequit, quin designet materiæ utriusque retentionem, quum sola actio vitæ vehementior, etiamsi nulla fieret materiæ morbi subactio, tinctam faciat urinam, uti in sanis etiam experimur, quorum corpora sana exercitiis validioribus fuere agitata. In chronicis morbis autem sæpe evenit; talem reddi urinam, quum circulatio validior non multum deterit: sed si tamen maneat

neat pellucida longo tempore, significat, materiam crudam, quæ generatur in chronicis, retineri. Ergo tam in acutis quam in chronicis alba pellucida urina est mala, tanquam signum retentionis materiæ. Atque urina talis, quoniam indicat, non solum retineri materiem morbi, verum etiam materiem detritam per validam vitæ actionem, quæ *in Phreniticis* solet esse vehemens, certissimum indicium præbet, utramque hanc materiam in encephalo colligi, quo signo nihil pejus inveniri potest. Si unquam Purgans datum, vel Epispasticum pedibus applicatum, ad derivationem faciendam, est adhibendum, talis urina summo est indicio; nam nisi derivetur materia, mors certissima est expectanda. *Gorter.* Sed notari hic adhuc debet, quod urina aquea, copiosa, cruda, reddatur etiam a copioso, aquoso, potu. Vid. *Boerh. aph.* 369. Urinam autem copia potui respondentem reddere oportet, & semper æqualem, & quam maxime effusam, & ad paulo crassius inclinantem quam quod potu sumtum est. Quod si diluta fuerit & copia major quam quod potui sit assignatum, hominem dicto non audientem significat, sed abundantiore uti potu, aut non posse nutritionem accipere, quandiu talis urina reddetur. *Hippocr. Prædict. lib.* 2. *n.* 10.



APHOR. 73.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus hypochondria elevata murmurant, lumborum ſuperveniente dolore, iis alvi humectantur, niſi flatus deorſum erumpant, aut urinæ copia prodeat. Atque hæc in febribus contingunt.

Hic aphoriſmus deſumtus videtur ex *Coac. ſect.* 2. *n.* 257. 258. ubi hæc habentur: *In præcordiorum dolore cum aliquo murmure, ſuccedens lumborum dolor in febribus, alvos plerumque humectat, niſi flatus eruperit, aut urinæ copia prodierit.*

In febribus ſi tumeant hypochondria, & murmurent, humores cum flatu contineri in ventre decernitur. Si ergo lumbi doleant, materia deſcendit: quoniam dolent infra trahentibus meſeræo atque inteſtinis, unde alvi humectantur, ſi materia craſſior fuerit: aut ſi tenuior, converſa a calore febrili in aqueam ſubſtantiam per urinas educitur: aut ſi tenuiſſima ſit, per flatus erumpit. *Cardan. p.* 450. Hoc modo explicatus aphoriſmus docet, quod bor-

borborygmis superveniens lumborum dolor designet successuram aliquam dictarum evacuationum. At in *Coac. sect.* 2. *n.* 240. 241. & *Prognost. n.* 10. Hippocrates, non mentione facta doloris lumborum, scribit, „ præcordiorum tumores & dolores, recentes quidem „ & sine inflammatione, murmure circa præcordia exorto, solvi, sed potissimum quidem „ si cum stercore, urina & flatu prodierit, „ alioqui ubi ipsum per se transmissum fuerit, juvare, idque magis si ad inferiores sedes descenderit ". Fiunt borborygmi seu murmura in hypochondriis, quando spasmodicæ stricturæ, canalem intestinorum passim stringendo, obicem ponunt flatibus quo minus exire possint (& inde etiam molestæ ad lumbos sese extendentes inflationes, doloremque excitantes): sed alvus aperta tollit materiam flatus generantem; & flatus ipsi exeuntes seu in ructibus seu in ventris crepitibus, spasmodicas designant contractiones laxatas. Urina autem copiosa fluens denotat compressa antea ab intestinis expansis viscera & vasa, ductusque, jam liberum recipere humorum adfluxum, concedereque eisdem ureteres effluxum. *Si inflatio*, ait Celsus *l.* 2. *c.* 3. *p.* 50. *Sine inflammatione in superioribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum signum est sonitus ventris inde ad inferiores partes devolutus; magisque etiam, si sine difficultate, cum stercore excessit.*

Ex *lumborum dolore* in non febricitantibus indicari purgans per alvum, supra ad *aph.* 20. vidimus; quoniam nempe tunc significavit ille dolor cacochyliam. Hoc autem loco materia febrilis se pro maxima parte hic deposuit, quærens exitum per intestina. Sed nisi sit materia

biliosa febrem excitans, aut materia chylosa cruda corrupta, raro febres per hanc viam moliuntur exitum; sed potius per cutem, vel urinam: quare non sine ratione adjecit auctor, *nisi flatus eruperint*, indicantes materiem potius determinatam esse ad cutem, *vel prodierit urinæ copia*, quæ secum fert materiem febris. Inde non incongruum erit, si lumbi ex febre doleant cum ventris murmuribus & inflatione, atque signis cacochyliæ vel bilis corruptæ, propinare alvum ducens, quod illam evacuationem magis determinet. Quia vero lumbis quoque accumbunt renes, vix distinguere possumus, num ex renibus, vel nexu mesenterico lumbi doleant: sæpe enim evenit, ut calculosi, de quibus certe scimus, causam latitare in lumbis, colicis doloribus, ventris murmuribus & inflationibus tententur, quum tantus sit inter illarum partium nervos consensus, ut affecto nervo renum, mesenterium & intestina inordinate moveantur; hinc si febris materia magis feratur ad renes, excitans tamen ex consensu intestinorum & mesenterii symptomata, non est mirandum, in hujusmodi febre fieri posse materiæ evacuationem per urinam copiosiorem. *Gorter*. Quid per *Hypochondria* intelligatur, videri potest in not. ad 6 *aph*. 40.



APHOR.

APHOR. 74.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ, καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γιγνόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίγνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

Quibus ſpes eſt aliquid ad articulos abſceſſurum, urina copioſa, & craſſa, & alba reddita, abſceſſu liberat, qualis in febribus cum laſſitudinis ſenſu quarto die quibuſdam ferri incipit. Quod ſi ex naribus etiam ſanguis effluxerit, tum brevi admodum ſolutio fit.

Hæc ſententia extat in *lib. de humor. n.* 11. *lib.* 6. *Epidem ſect.* 4. *n.* 4. 5. *de judicat. n.* 10.

Quibus in febribus a materia cruda & craſſa (in quibus laſſitudo eſt magna & dolor in articulis) expectamus abſceſſum in articulos, non eſt expectandus abſceſſus ad articulos, ſi æger derepente mejat urinas multas, craſſas & albas, quod quarta die quibuſdam ſolet accidere. Eſt hic dies indicatorius ſeptimi: ergo ſolutionem morbi futuram promittit, maxime ſi quoque hæmorrhagia narium fiat. Perfectior tunc fit criſis. *Holler*. Per laborioſas febres (*cum*

(*cum laſſitudinis ſenſu*) nonnulli rectius rheumaticas intelligunt, quæ cum ſenſu doloris & laſſitudinis in toto corpore accidunt. Annotatum quoque a nobis ſæpius eſt, artuum dolores, ulceribus ſponte ſubortis in pedibus conquieviſſe, qui, poſtquam arte conſolidata fuerunt, mox reſuſcitati ſunt. Novimus pariter, immanes artuum dolores, oborta pſora vel ſcabie lepræ albæ naturam habente, penitus ſublatos. Nam ſicut metaſtaſis materiæ vitioſæ ab externis ad interiora & ipſa viſcera pernicioſiſſima eſt, ita contra quæ partibus interioribus ad exteriores vergit eſt ſaluberrima. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 437.

In præſenti aphoriſmo duo veniunt conſideranda; primum, non aſſerere Hippocratem, die quarta ægrotantes ab abſceſſu liberari, ſed ſi ea die urina fluere inceperit, & inde per plures dies perſeveret, ægrum a morbo liberari abſque abſceſſu, qui attenta febris natura mediante abſceſſu terminare debuerat. Alterum adnotandum eſt, ſanguinis fluxum, qui ſolutionem morbi celeriorem adfert, ſubjungit Hippocrates non contingere die quarta, ſed poſtquam prædictarum urinarum excretio præceſſerit; quod dicendi modus indicat, nec *brevi* dixiſſet, ſi die quarta id futurum erat, idque manifeſtioribus verbis expreſſit *lib. de humor. n.* 11. Nam *lib.* 6. *Epidem. ſect.* 2. *n.* 40. legimus: *Sanguinis e naribus eruptiones, quæ quarto die fiunt, difficilem habent judicationem.* Et in *Coac. ſect.* 1. *n.* 186. Hippocrates ſcribit: *Sanguinis ex naribus fluxus in febre ardente quarto die obveniens, malo eſt, niſi aliud quippiam bene ceciderit. Quod ſi die quinto contingat, minus adfert periculi.* Habent quippe evacuationes ſingulæ dies pe-

peculiares, in quibus salubriter fiunt, & alios, in quibus difficulter judicant, quod sudoris exemplo nos docuit Hippocrates 4 *aph.* 36. *Sudores* (inquiens) *febricitanti si inceperint, boni sunt, tertia die, & quinta*, &c. *hi enim sudores morbos judicant. Qui vero non sic fiunt, dolorem significant, & morbi longitudinem, & recidivas*: & ratio est, quia hujusmodi evacuationes fiunt, dum natura cum morbo colluctatur, & ex consequenti, dum morbus insultus majores facit; quod in exacerbationum diebus contingit. Si hæ in diebus paribus eveniant, signum est, eum morbum in diebus paribus habere exacerbationes, quæ enim paribus diebus exacerbantur (dicebat Hippocrates *lib.* I. *Epidem. sect.* 3. *n.* 37.) paribus judicantur: quorum autem exacerbationes in imparibus fiunt, ea in imparibus judicantur. At certum est morbos, qui per dies pares exacerbantur, difficiles habere judicationes; quod experientia edoctus nobis significavit Hippocrates *lib. de humor. n.* 3. Si ergo evacuationes in diebus paribus contingentes morbum per dies pares exacerbari significant, cujus constitutio difficile judicium habet, merito hæmorrhagia quarta die superveniens difficile judicium adducet, & eo magis quia, ut ex naturæ instituto hæc fiat, in accessionis principio contingere debet, ita ut nullo modo in diem minoris afflictionis cadere possit, qua quidem ratione hæmorrhagia quartæ diei semper difficilis erit. Quod si tandem dies illa sit quietior, signum erit, evacuationem non naturæ consilio, sed symptomatis loco contigisse: quod omnino malum erit. Quare, sive morbus per pares dies moveatur, sive per impares, fluxio sanguinis die quarta semper difficilis

cilis erit, & eo magis, quia hæc dies contemplabilis eſt, ſive indicatoria. Cæterum ſi hæc vera ſunt (dicet quiſpiam), nulla evacuatio die quarto erit tuta, & nihilominus ſupra conceſſum eſt, hanc diem aliquando judicatoriam eſſe. Huic reſpondeo, criticam evacuationem quarta die firmam, & ſalutarem eſſe poſſe, quando illius eſt conditionis, ut & naturæ inſtituto perficiatur, & in acceſſione tertiæ diei contingat, taleſque eſſe poſſunt omnes evacuationes inferne factæ, quandoquidem has in fine acceſſionis fieri nos docuit Hippocrates *lib.* 5. *Epidem. n.* 25. Quotieſcunque enim acceſſio tertiæ diei ad quartum protrahitur diem, ea die judicatio per dictas evacuationes fieri poteſt, & per eam potiſſimum, quæ fit per urinam: quando hæc, & propter viæ longitudinem, & ob moram, quam in veſica facit, longo tempore poſt ſecretionem excernitur. Quod quidem in ea, quæ fit per ſanguinis e naribus fluxum, aut per vomitum, quæ in acceſſionum principio fiunt, nullo modo contingere poteſt, & ideo ſemper difficiles erunt. Advertant vero Galeni Sectatores, hoc in loco nos ſupponere, enumerationem dierum Hippocratis more fieri, diem perpetuo a ſolis exortu inchoantis, non per dies integros viginti quatuor horarum, quos Galenus excogitavit, recepitque poſteritas cum univerſæ prognoſticæ artis jactura, & maximo curatricis incommodo, dum unicam diem pro medietate parem, & pro altera imparem conſtituentes, nihil de his, quæ ad diem parem, & imparem ſpectant (quæ tanti fecit Hippocrates) certi affirmare poſſunt. (Sed hæc materia explicata eſt in not. ad 2. *aph.* 24.) Merito ergo quartæ diei

diei hæmorrhagiam malam ſtatuit Hippocrates in *Coac. l. c.* niſi aliquod bonum ſignum acceſſerit, & potiſſimum in iis morbis, qui a cacochymia dependent, qualis eſt febris ardens, de qua habetur ſermo. Poteſt vero quovis morbi tempore, & in qualibet die, fieri ſanguinis fluxus ſalutaris, dum modo rectitudinem partis affectæ retineat, & morbus a ſanguinis multitudine ortum ducat, quod Hippocrates *lib.* 4. *Epidem. n.* 17. indicavit, ubi referens mulierem, cui ſanguis quarto & ſexto die e naribus effluxit, ſeptimo judicatione eſſe abſolutam, ſubjunxit in fine, *maximo cum rubore* (ſeu *rubicunda erat*), & ex conſequenti plurimo ſanguine abundans, qui cum nec coctione, nec aliqua peculiari præparatione egeat, excerni quolibet die cum integra morbi ſolutione poteſt. Quod ſi quandoque hæmorrhagia ſymptomatica cenſetur, eo quod in die legitima non procedat, id evenit, quando plethoræ cacochymia adjuncta eſt, quæ, niſi una cum ſanguine educatur, poſt ſanguinis evacuationem effrenatior redditur, unde morbus gravior evadit. Quo vero cacochymia una cum ſanguine excernatur, peculiari die eget, eo quod non quolibet tempore ſalubriter excernitur, quemadmodum de ſanguinis multitudine dictum eſt. In quinta vero die minus mala ſtatuitur (*Coac. l. c.*) hæmorrhagia, eo quod hæc dies, ut impar, criticis evacuationibus convenientior exiſtit, illud tamen incommodi habere videtur, quia nimis proxima eſt principio morbi, quo tempore perfecta criſis vix fieri poteſt. Verum ſi morbus adeo celeriter moveatur, ut eo tempore ad ſummum vigorem pervenerit, tunc non erit inconveniens,

ægro-

ægrotantem perfecte per hæmorrhagiam judicari. Quia ergo hujusmodi evacuatio aliquando symptomatica est, ideo eam simpliciter bonam non dixit: sed minus malam asseruit, eo quod frequentius ad salutem judicare, quam quarta, soleat. Hæc autem primo aspectu repugnare videntur iis, quæ *lib. de vict. acut. n.* 51. referuntur, ubi de destillatione sanguinis e naribus loquens ait: *& siquidem in diebus paribus accedat, melius est, in judicatione vero perniciosum: si non multus acervatim concitatus sanguis redundantiæ exitus faciat per nares, aut per sedem*, &c. Hæc tamen loca inter se conciliabuntur, dicendo: sicuti signa critica bona optima fiunt in diebus criticis, ita mala evadunt in iisdem diebus pejora, & ideo cum ibi loqueretur de stillis, quæ, ut ipse inquit, symptomata sunt tensionis, & inflammationis circa venas existentis; merito hæc in diebus imparibus & judicatoriis pejora sunt quam in paribus; e contra vero quia in *Coac. l. c.* agit de hæmorrhagia, quæ est evacuatio critica, aut symptomatica, ut vere critica fit, dies ad judicationem apta requiritur, quæ est quinta dies, quartæ comparata, ob rationem superius assignatam. Vid. *Martian. p.* 343. 541. 327.

Urina multa, crassa & alba si veniat in febribus, indicat lentorem febris continuæ incipere solvi & commutari in materiem purulentam, quæ dicitur cocta in morbis inflammatoriis; nam si talis urina die indice, ut est dies quartus, apparet, exhibens rudimenta coctionis, die judicatorio perfectam crisin exspectamus, nempe urinam cum sedimento albo & copioso, quæ omnem materiem coctam e corpore evacuat. Nam ipsa urina multa, crassa & alba,

tanquam

tanquam ſignum imperfectæ coctionis hominem non liberat, ſed eſt ſignum perfectæ coctionis inſtantis, uti flores præſagiunt fructus. Hujuſmodi urina alba, craſſa & copioſa quibuſdam fieri incipit in febre laborioſa die quarto; ſed etiam aliis diebus indicantibus, ſeptimo, undecimo, imo ſerius apparere poteſt, quoniam eſt ſignum principii coctionis in febre laborioſa, nam in febribus laborioſis præſagiuntur etiam abſceſſus, ſed non ita in aliis febribus: quippe niſi febris tam valida ſit, ut labores faciat, non exſpectamus abſceſſum. Igitur inutile foret dicere, urina craſſa, alba, copioſa prævenit abſceſſum, ſi tali febre laboraret æger, ex qua nullum abſceſſum expectamus. Igitur admodum conveniens eſt in febribus laborioſis, ſi videamus urinam albam, craſſam, copioſam, ut ſignum futuræ criſis, hunc non turbare naturæ ordinem per aliquam artificialem evacuationem. Sed ne judicaremus, per ſolam talem criſin præveniri poſſe abſceſſum, addit auctor *etiam* liberationem fieri poſſe *per hæmorrhagiam*, & quidem citius ſeu breviori tempore. Nam ut ſanguinis fluxus liberet hominem a febre, fieri debet in morbi principio, ante quam ſuppurationis ſigna appareant, qualia ſunt urina alba, craſſa, copioſa. Unde hæmorrhagiæ & ſanguinis miſſiones in morborum principiis ſunt ſalutares minuendo nimium febris impetum; ſed tempore ſuppurationis ſi fiant, ſemper damnum inferunt inhibendo puris coctionem ulteriorem, vel exhibent ſignum corruptionis. Si ergo ex febris natura & vehementia conjicere poſſumus, exſpectandum eſſe abſceſſum, expedit, ſi ſponte non fiat hæmorrhagia, largam inſtituere venæ ſectionem,

quæ his temporibus prævenit pleuritidis, peripneumoniæ & aliorum morborum inflammatoriorum transitum in suppurationem. *Gorter.*

APHOR. 75.

Ἢν αἷμα, ἢ πύον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si sanguis, aut pus cum urina redditur, renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

Iisdem verbis legitur hic aphorismus apud *Celsum l.* 2. *c.* 7. *p.* 60.

Non idem est sanguinem aut pus mingere, & urinam sanguinolentam, aut purulentam reddere. Cum enim quis sanguinem aut pus mingit, pus, aut sanguis in urinæ fundo ab eadem penitus segregata apparent, quæ quidem separatio celerior fit, si a vesicæ partibus proveniat, diuturnior vero, si a renibus; at urina sanguinolenta, aut purulenta tota sibi æqualis est, etiamsi sanguinem aut pus admixta habeat: cur autem hæc ab urina aliquando separentur, aliquando non, id evenit a loco, in quo mixtio celebratur. Quæcunque enim urinæ admiscentur, dum jam exactam formam urinæ adepta est, si sint diversæ substantiæ, cujusmodi est sanguis, & pus, non ita simul admisceri possunt, quin temporis progressu separentur ab invicem, e contra vero, si ante urinæ generationem quidpiam serosæ materiæ admisceatur, simul-

ſimulque permanent, dum per coctionem in renibus ultimam urinæ formam acquirit, vigore coctionis ad minima adeo miſcentur, ut una res tantum fiat, nec invicem amplius ſeparentur. Hæc eſt enim coctionis facultas in naturalibus, cui reſpondet elixatio in artificialibus, ut *lib. de Vet. Med. n.* 33. nos docet Hippocrates. Hac igitur ratione quæcunque, ſive ſanguis ſit, ſive pus, urinæ admiſcentur, ante quam ad renes perveniat, exacte ſimul permixta remanent, unde nec ſanguis, nec pus in urina apparet, fitque tantummodo urina ſanguinolenta, aut purulenta, quod cognoſcens Hippocrates *lib. de nat. hum. n.* 26. dixit: *Quibus urinæ cruentæ ſunt, iis venæ laborant.* Hac diſtinctione habita, aphoriſmus clarus eſt: quia quotieſcunque pus vere, aut ſanguis mingitur, ita ut in urinæ fundo appareat, renum, aut veſicæ exulcerationem perpetuo denotant. Harum vero duarum partium nomine, cæteræ quoque particulæ comprehenduntur, quæ ad prædictas ſpectant, etiamſi hæ ſanguinem in ea copia vix effundere poſſint, quæ ſenſui conſpicua fiat. Similiter nomine exulcerationis, ſolutionem quamlibet continui intelligimus, & a qualibet cauſa inductam. Si vero urina mingatur purulenta, aut ſanguinolenta, a partibus ſupra renes excerni dicendum eſt. Scio quidem, aliquando abſque ulla affectione ſanguinem mingi, de qua re decretum habemus Hippocratis *lib.* 2. *Prædict. n.* 10. dicentis, *at ſanguinem mingere, raro quidem, & ſine febre, ac dolore, nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio fit*, cujus auctoritate aphoriſmorum auctor reprehendi poſſet, quippe qui palam hanc omiſerit: non ſine febre, aut dolore, de qua ibi,

& hic sanguinis mictus evenit, quando natura copiam sibi infensam deponit ad vesicam, quae excretio, quia critica est, sanguis ab urina segregatus apparet, nec ei ad minima admiscetur, quia in renibus tam diu non retinetur, quousque concoctio, & mistio vera contingat. *Martian. p.* 452. Locus dolens indicat, an sit ex renibus aut vesica affectis talis urina. *Vallef. Holler.* Mictionis cruentae, copiosae & valde ancipitis species est, quando ex vesica, ab acriori praesertim ibi stagnante copioso sanguine, exulcerata, mucosa valde, ex parte purulenta & cruenta materia in ejusdem cavitatem descendit. Tum enim cum intenso ardore, intolerando dolore & difficultate urina redditur, simulque tremores & convulsivae artuum, cum frigore & tremore stipatae, motiones sese jungunt. Vidimus id aliquoties in gonorrhoea desperata & inveterata laborantibus, acri simul & corrosiva materia e genitalibus profluente ac partes vicinas arrodente. Quae labes interna ubi adest, ac renum, vel vesicae substantia simul corrupta est, & purulenta ac putrida materia copiose secedit, urinae exeunt furfuraceae, & parvae carunculae, aut corpora, capillos, vel vermiculos aemulantia, in urina conspiciuntur, quae a vesica nequaquam possunt abscedere. Haec enim resolvi nequit in hujusmodi filamenta. Sed a contenta mucosa, vel in renibus, vel in vesica, materia, concrescunt in ejusmodi figuram & consistentiam. Quod si sanguis sincerus confertim, repente, & sine dolore mingitur, ex renum substantia sanguineo-vasculosa illum prodiisse recte judicavit Hippocrates 4 *aph.* 78. Sed ubi parcior sanguinis quantitas, obscuri nigricantis coloris, cum vel sine materia puru-

purulenta, maxime si cum dolore & ardore in pube sub mictione, vel post eam, redditur, tunc ex vesica læsa, aut exulcerata illum stillasse certum. Quod autem renalis sanguinis effluxus sine, & qui ex vesica venit cum exquisito dolore succedat, id diversitati structuræ tribuendum. Etenim renes carent exquisito sensu. Sed quando sanguis per nervosas acutissimæ sensationis vesicæ tunicas viam molitur, dolor non potest non oriri atrocissimus, nec mirum gravissima tum incidere symptomata, animi deliquia, spirationem difficilem, pulsum obscurum, parvum & frequentem nonnunquam, nauseam, animi anxietatem, & frigidum sudorem. De quo mictu etiam conferri meretur 4 *aph.* 80. Quando porro ex ureteribus, a calculo magno, vel aspero læsis, sanguinis quippiam cum urina miscetur, dolor circa lumbos & ilia acutus, difficilis & sabulosa mictio, aliaque calculi in ureteribus latentis signa id manifestant. Propter læsa a calculo vesicæ ejusque tunicarum sanguinea vascula, si excernitur quippiam cruoris, non modo cum summo dolore & prævia obstructione quandoque urina prodit, sed & grumi interdum cum moleculis crassioribus sabulosis firmiter compacti una cum ea emittuntur, quod etiam interdum accidit, si calculus in rene firmiter impactus eum fauciat. Alia adhuc mictionis cruentæ species datur, cujus tamen raro mentio fit a Scriptoribus Medicis, memorata *Aureliano lib.* 5. *morb. chron. c.* 4. quæ videlicet ex ipsis vasis vesicæ vel potius ipsius sphincteris contingit, quando nimium hiant & a sanguine distenta aperta fuerunt, *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 132. 139. Sunt certe plures morbi, atque

casus, in quibus mingitur tum sanguis, tum pus, non ulceratis renibus, aut vesica; de quibus conferri potest *Laur. Exerc. p.* 249 *sq.*

APHOR. 76.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus cum urina crassa exiguæ caruneulæ, aut veluti pili simul feruntur, iis a renibus excernuntur.

Scribitur hic aphorismus in *lib. de nat. hom. n.* 26. hoc modo: *Quibus una cum urina crassa prodeunt minutæ carunculæ, capillamentorum speciem referentes, eas a renibus & articulari morbo laborantibus prodire nosse convenit.* Extat etiam apud Celsum *l.* 2. *c.* 7. *p.* 60. sine mentione articularis morbi.

Cum in omnibus Græcis exemplaribus hæc verba legantur, *parvæ carunculæ, velut pili*, sine particula disjunctiva *aut*, temerarium est eam addere, quod Galenum imitantes fecisse expositores invenio, & eo magis quando *lib. de nat. hom. l. c.* unde absque dubio aphorismus desumtus est, non solum hæc particula non est apposita, sed etiam penitus excluditur. Nam quæ in aphorismo leguntur, *σαρκία μικρὰ ὥσπερ τρίχες*, id est, *carunculæ parvæ, velut pili*, lib. de nat. hom. *σαρκία μικρὰ τριχοειδέα*, h. e. *carunculæ parvæ capilliformes* adnotantur. Verborum igitur

tur ſenſus eſt: *cum quis parvas carunculas mingit, inſtar capillorum, eas a rebibus excernit.* Carunculærum enim nomine appellare ſolet Hippocrates non modo particulas partium ſanguinearum, quæ carne proprie dicta conſtant, cujuſmodi ſunt muſculi, & parenchymata, ſed etiam partium ſpermaticarum, quales ſunt membranæ, tunicæ, & aliæ hujuſmodi naturæ, quandoquidem inteſtinorum particulas per dyſenteriam excretas σάρκες vocat 26 *aph.* hujus ſectionis. Hoc igitur in loco caruncularum nomine, quæcunque corpuſcula intelligit, quæ carnis proprie dictæ, aut membranarum portiunculas æmulantur. Craſſeſcente igitur in renibus pituita viſcida, & tenaci, conſiſtentiam acquirit, & figuram carunculis membranoſis non diſſimilem, quæ cum tenuitatem ſortiantur cum longitudine quadam, pilis aſſimilari poſſunt, unde Hippocrates carunculas piliformes appellavit. Hujuſmodi vero carunculas a renibus excerni ratio dictat: cum nullibi hæc materia conſiſtentiam, & tenuitatem cum longitudine acquirere poſſit, præterquam in vaſis, quæ quidem vaſa in aliqua parte earum, quæ urinæ dicatæ ſunt, collocata eſſe, præterquam in renibus non conſpiciuntur. Equiſo nephriticus urinam craſſam albam in fundo multo ſabulo & arena rubea ſcatentem, per quatuor ſeptimanas abſque tamen moleſtia emittebat, quæ aliquando ita incraſſata excernebatur, ut manibus inſtar filamentorum extrahi opus eſſet. In urinali tanquam maſſa coagulabatur, nec poterat effundi, niſi aquâ affuſâ. *Eph. N. C. D.* 1. *[a.* 1. *o.* 54. Animadvertimus ſæpius filamenta albis capillis ſimilia ex iis vaſis ſpermaticis derivari, quæ paraſtatæ di-

 cuntur,

cuntur, in quibus teretem figuram sortiuntur ex seminis materia, quæ vi morbi sensim defluens calore crassescit. Apparent autem in iis plurima, qui fœda exulcerataque gonorrhœa correpti non ita pridem fuerunt, & iis mulieribus quibus albicantes menses perfluunt, aut uterus fœda colluvie turget. Nonnunquam & urina quæ prima fit a concubitu tale quiddam refert, aut aliquantum filamento crassius. *Fernel. Medic. p.* 321. Non prætereundum vero est *l. c. de nat. hom.* in fine sententiæ addi, *& articulari morbo laborantibus*, h. e. ab articulis affectis, quasi hujusmodi carunculæ in renibus affectis, & ab articulis læsis ortum ducant, quod quidem non omnino ratione caret; cum enim, ut diximus, hujusmodi carunculæ in renibus generentur, ex pituita in eorum vasis a calore superassata, duo ad earum generationem concurrere colligimus, calorem excedentem, qui ad renes ipsos pertinet, & materiam crassam viscidam, quæ in articulari morbo laborantibus plurimum abundat, eo quod articuli naturæ instituto, pituitoso succo irrigantur continuo, qui si in ipsis accumuletur, crassescatque, apta caruncularum materia evadit: unde si eam per renes, & vesicam expurgari contingat, erit via hæc & humori, & parti affectæ satis accommodata, ut in præcedenti hujus sectionis aphorismo 74. dictum est: *Quibus speratur aliquid ad articulos abscessurum, urina copiosa, & crassa, & alba reddita, abscessu liberat*; & *lib.* 2. *Prædict. n.* 10. legimus: *Urina, in qua quod subsidet album est, articulorum dolorem aut tumorem denunciat.* Stante hac igitur partium familiaritate non est inconveniens, dum hujus materiæ expulsio fit ab articulis ad vesicam, si

forte

forte contingat renes calida intemperie affectos esse, cum expultricis infirmitate, materiam illam crassam in renibus diutius retentam crassescere, & formam harum caruncularum contrahere, sicuti videmus podagricorum plerosque nephriticis doloribus subjectos esse, eadem materia in calculos in ipsis renibus concrescente. Cur vero in arthriticis materia in carunculas efformetur, in podagricis vero in lapillos, potius a materiæ diversitate id evenire dicerem, quæ in his crassior sit, in illis vero viscidior, ut in longitudinem cum tenuitate produci hæc possit, illa vero in tophos concrescere. In arthritide vero humores viscidītate potius, quam crassitudine peccare, illud maximum argumentum est, quia hæc juvenum propria est, podagra vero senibus magis convenit, ut duce experientia nobis significavit Hippocrates *lib. de affection. n.* 51. Quia igitur pituita a calore fit viscida, qui in juvenibus viget magis, sequitur pituitam in arthriticis viscidītate potius, quam crassitudine peccare. Ex his igitur manifestum est, haud frustra additam fuisse particulam, *& articulari morbo laborantibus*, quam superfluam ratus ille, qui aphorismos in unum collegit, sententiam imperfectam reddidit. *Martian. p.* 453. Conf. *Linden Sel. Med. p.* 703.

Capilliforme urinæ sedimentum *Trichiasin* (a θρὶξ *pilus*) appellant Practici: etsi eodem afficiant nomine palpebrarum morbum, quando nempe pili inutiles pungentesque illarum ciliis innascuntur: trichiasin quoque vocant mammarum pungentem dolorem cum inflammatione conjunctum, qui a pilo cum potu hausto factus creditur. Qui novit sanguinis massam fibro-

ſam eſſe, facili negotio credere poterit ex ſanguinis fibris craſſioribus redditis, ac cum ſero urinario in renibus ſecretis, capilliforme ſedimentum in urina concreſcere poſſe. Quod ſi ulterius animadvertas renum molem ex exiliſſimis canaliculis præcipue compoſitam eſſe; erues hinc facile ſanguinis fibras, cum ſero in renibus ſecretas, poſſe in tubulis illis renalibus longitudinem & ſoliditatem acquirere, qua capillis cum urina excretis ſimiles reddantur. Carunculæ, quæ ſimul cum urina excerni ſolent, non ſunt niſi abraſio internæ pelvis concamerationis, aut, ſi mavis, ipſi contiguæ renum ſubſtantiæ, quæ ab ulcere aliquo depaſcente corroſa in ſtrigmenta veluti carnea ſecedat, quæ caruncularum forma cum urina educantur. Hoc autem magis probabile videtur quam ſi dixeris carunculas has cum urina excerni poſſe ex exeſione tunicæ mediæ carnoſæ veſicæ. Nam tunica hæc carnoſa ſeu muſculoſa a valida tunica internam veſicæ concamerationem veſtiente circumtegitur: imo tunica hæc interior nervoſa maxima copia mucoſæ ſeu pituitoſæ materiæ obducta eſt, ne ſcilicet ab urinæ acritate lædatur. Qua ratione fit ut, qui calculo laborant, quamvis urinam acerrimam, adeoque erodentem excernant, quamvis ſummas patiantur a lapide ſæpenumero aſpero lancinationes, craſſam quidem & mucoſam materiam cum dyſuria & ſtranguria protrudant; nunquam tamen carunculas ſeu ſtrigmenta carnea e carnoſa veſicæ tunica decerpta, niſi quid carnoſum e veſicæ collo divulſum cum urina permiſceatur. Non ſic ſe res habet in renibus, quorum pelvis pituita & muco haud oblinitur: quare ſi acre aliquid & corroſivum

corroſivum in ipſa contineatur, facili negotio poterit internam illius concamerationem abradere, atque adeo carunculas veluti decerpere, cum urina poſtmodum excernendas. Quod & ſine gravis doloris ſenſu fieri poterit, ut corroſio ſenſim facta ad ſubſtantiam uſque carnoſam renum pertingat, atque ex ea carunculæ ſecedant. Idque confirmatur ex eo, quod calculi etiam aſperrimi, quouſque in pelvi continentur, dolorem non excitant, excitant tamen cum ureteris principium exſtimulant. Carunculæ igitur cum urina prodeuntes e renibus quidem, non autem e veſica educuntur: imo ſi aliqua ex cauſa, nempe ab urinæ acritate, ſubſtantia veſicæ corroſionem patiatur; tunc id, quod cum urina excernitur, potius ſquamarum, vel furfuris naturam æmulabitur quam caruncularum: quod notavit Hippocrates 4 *aph.* 77. *&* 81. Non negaverim demum, quod, ſi tanta ſit cauſæ corrodentis vis, poſſit ex profunda corroſione tandem aliquando carnoſa veſicæ tunica vim pati, ut ex illa carunculæ veluti decerpantur, & ſimul cum urina extrudantur. Id autem non abſque moleſtiſſimo dolore accidere poterit, de quo verbum nullum in præſente aphoriſmo. Cyrillus in *Ettm. Oper. T.* 1. *p.* 242. Cur in textu additur *cum urina craſſa*, h. e. tali, quæ per totam ſuam maſſam non eſt pellucida, qualis urina ſana eſſe ſolet, ſed habens materiem non integre pellucidam diſperſam etiam per reliquam maſſam? Hoc adjunctum debet eſſe ſignum, ut cognoſcatur, num carunculæ illæ in lacunis renum ſint formatæ vel etiam in veſica urinaria, quæ etiam hujusmodi lacunis ſcatet mucum fundentibus, quo interna veſicæ ſuperficies contra urinæ roſionem

nem obducitur. Nam si ille mucus vesicæ in suis lacunis format carunculas, non fit tanta muci reliqui unio cum urina, ut inde fieret reliqua urina turbida, uti fit, si formatio fit in renibus: quare hoc scitu est necessarium ad designandum locum, si carunculæ in urina appareant, num formentur hæ carunculæ in renibus vel vesica. Neque hæc observatio recedit ab aliis de origine mictus cruenti; nam si sanguis manat ex vasculis renum, multo accuratior miscela sanguinis habetur cum urina, quam si manat ex vasculo rupto in vesica urinaria; uti patuit ad præced. *aph.* 75. *Gorter.*

APHOR. 77.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι, πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Quibus cum urina crassa existente furfuri similia quædam simul exeunt, iis vesica psora laborat.

Galenus in expositione hujus aphorismi, quemadmodum & superioris, per urinas crassas intelligit, non tenues, hoc est, in quadam mediocritate consistentes, subjungitque tenuem urinam venis laborantibus apparere, crassam vero vesica tantummodo affecta. Quæ quidem opinio ab Hippocrate & ratione plurimum recedit. Solet enim Hippocrates propriis uti nominibus, ut non sit verisimile adeo improprie locutum esse, ut mediocrem urinam crassam

crassam appellaret. Ratioque potius contrarium dictat, cum rationabilius esse videatur, venis humorum copia laborantibus, urinas reddi crassiores, quam iisdem nihil mali habentibus vesicaque tantummodo affecta. Quid enim crassitudinis urinæ impertiri potest sola affectio vesicæ? Ut ergo hujus sententiæ verus sensus eliciatur, corrigendus est aphorismus, per lectionem proprii loci, unde fortasse desumtus est, *libro* enim *de nat. hom. n.* 26. legimus hunc in modum: *Quibus una cum urina crassa prodeunt minutæ carunculæ capillamentorum speciem referentes, eas a renibus & articulari morbo laborantibus prodire nosse convenit. Quibus urina pura est, & alias atque alias furfuracea quædam per summam urinam feruntur, iis vesica scabie laborat.* Hoc enim modo uterque aphorismus rationabilia continet. Quæ enim in renibus generantur a copia humorum crassorum a toto corpore, aut ab articulis per venas transmissa, simul cum urina crassa excerni, est rationabile, sicque carunculæ capilliformes a renibus excretæ cum crassa urina exeunt, quum vero toto recte sese habente, sola vesica affecta est, urina pura, id est tenuis mingitur, cum innatantibus furfuribus, quæ tunicæ interioris vesicæ, velut squamæ existunt, quales ab externa cute scalptu decidunt iis qui psora laborant. Adnotat tamen Hippocrates hujusmodi furfures non semper apparere; sed alias, atque alias, quia si continuo hoc fieret, tota vesica brevi dissiparetur. Quare ex his patet, hanc sententiam longe perfectiorem esse in proprio fonte, quam hoc in loco, quod non paucis aphorismis commune est. Ex his vero, quæ de scabiosa vesica his in locis traduntur, satis patet, plurimum

differre

differre scabiem, quam Græci psoram vocant, a lepra eorundem. Nam *lib.* 5. *Epidem. n.* 8. narrat Hippocrates, Theophorbi filium vesicam leprosam habuisse, qui tamen furfuracea cum urina non excernebat, sed potius urinam mingebat viscosam. Quapropter male eo loci Interpres vocem ἐλέπρα *scabiosam* vertit, psoram cum lepra confundendo, quæ plurimum inter se differunt. *Martian. p.* 454. Tam salsa quandoque deprehenditur urina, ut linguam arrodat & ex urethra stillans vicinas partes excoriet, quæ utique diutius in vesica stagnans, vellicando fibras nerveas, sphincterem claudit, urethram angustat, & lancinatione & arrosione tunicarum ingentes dolores parit. Si vero in urina cum dolore excreta moleculæ furfuraceæ & exilia ac copiosa filamenta apparent atque subsident, Veteres affectum vesicæ scabiem appellarunt, quia mucidam & villosam tunicam arrosam arguunt. *Hoffm. Med. rat. T.* 4. *P.* 2. *p.* 405.

Pelliculæ tenues, planæ, figuræ inordinatæ, instar furfuris tritici, concretæ, per urinæ substantiam dispersæ, in aphorismo intelliguntur, de quibus dicit auctor, tales si observantur in urina, indicare vesicam scabie laborare. Hujusmodi furfuracea sunt corpuscula concreta majora, quam quæ ire potuissent per minima renum vasa, & propterea nata in urina post secretionem, vel admista ei. In *Coac. sect.* 5. *n.* 38. Hippocrates memtionem facit sedimenti furfuracei, in his: *Laterum dolore affectis in propinquo mortem esse significat, quæ viridis nigrum habet sedimentum, aut furfuribus simile:* quibus designat, morbi materiem ita exeuntem tenacissimam esse & promtissimam ad concretionem,

nem, in quo casu nullum adest vesicæ vitium. Sed redditur talis urina cum morbo vehementissimo inflammatorio. In nostro aphorismo autem nulla mentio fit febris: quare concipiendum, auctorem hic indicare voluisse, si vehemens non adsit febris. Igitur furfuracea hic fuere admista in itinere, neque est sedimentum furfuraceum, quale in allegato loco indicatur, sed quando per urinam crassam, non sub forma sedimenti, furfuracea sunt dispersa, quæ statim etiam in calente urina conspiciuntur, & dein quandoque per urinam dispersa manent, interdum uroscopii fundum petunt, prout diversa proportionata gravitas locum his furfuribus parat. Hujusmodi furfures ergo urinæ admiscentur, quando vesica urinaria scabie laborat, id est, quando ex interna vesicæ superficie transsudat humor, qui non facile omnis permiscetur urinæ, sed lateribus vesicæ adhærens format crustulas, & dein separantur, ut observamus fieri in porrigine & herpete in cute; humores enim lentescentes, ex cute transsudantes, concreti hujusmodi squamulas vel furfures formant. Addit auctor, *in urina crassa existente*; quoniam non omnis transsudans humor in furfures concrescit, sed reliqua pars urinæ mista præbet aliquam urinæ crassitudinem. *Gorter.*

APHOR. 78.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταυτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Qui ſponte ſanguinem cum urina effundunt, iis in renibus venulam ruptam eſſe ſignificat.

Quibus *urinæ cruentæ ſunt, iis in venis vitium eſt*, inquit Hippocrates *lib. de nat. hom. n.* 26. hoc eſt, in vaſis ſanguiferis ad renes appellentibus ſanguinis eſt ſtaſis, unde rupta effundunt ſanguinem. *Oritur* hic *renum morbus, cum ex vehementiore labore venulæ, quæ ad renem feruntur, ruptæ fuerint, deinde ren ſanguine repleatur. Hoc caſu, per initia morbi, ſanguinem una cum urina reddit, deinde pus progreſſu temporis. de intern. affection. n.* 16. Ut vero omnis motus corporis fortior in plethoricis facile ad hæmorrhagicas excretiones ſuſcitandas anſam præbet; ſpeciatim tamen ad mictionem cruentam nulla ipſius ſpecies majorem vim habet equitatione. Quia enim propter compreſſionem venarum in femoribus, in perinæo etiam & ano, ſanguinis curſus multum retardatur; hinc copia ſanguinis major fit & increſcit in arteriis, motuſque ſanguinis in ſuperioribus partibus augetur & intenſior fit præſertim circa lumbos, per motum ſuccuſſorium. Si facto citatiori ſanguinis affluxu, emulgentes tandem arteriæ quam facile aperiuntur. *Hoffm. Med.*

rat.

rat. T. 4. *P.* 2. *p.* 137. Sunt & aliæ cauſæ, criticæ & ſalutares, metaſtaticæ, ſanguinis ex renibus cum urina fluxum efficientes; qualis potiſſimum frequens obſervatur ex hæmorrhoïdalibus ſanguineis excretionibus ſuppreſſis; de quibus vid. *ibid. p.* 134 *ſq.* & conf. notata ad 4 *aph.* 75.

Veteres, etiamſi ex arteriis ſtillabat ſanguis, tamen accuſabant venas, quoniam fabrica arteriarum & circulatio ſanguinis ignota ipſis erat. Neoterici melius edocti ſtatuerunt omnem hæmorrhagiam fieri ex arteriis, quoniam venæ valvulis inſtructæ non permittunt regurgitare ſanguinem, at eum fundunt ex ſuis ſic dictis anaſtomoſibus. Quam ob rem quoque in hac ſanguinis evacuatione ſtatuunt, ex ruptis extremitatibus arteriarum ſanguinem profluere. Sed vero clare nobis conſtat, in hæmorrhoïdibus & in aliis partibus corporis ex varicibus ruptis profluxiſſe magnam ſanguinis copiam: atque in venis organorum, quæ ſemper carent valvulis, æque poteſt refluxus fieri a trunco verſus ramos, quam in arteriis, uti hoc ſatis patet in venis meſentericis, & uterinis valvulis carentibus. Conſtat ergo, tam ex principiis venarum, quam finibus arteriarum dilatatis fluere poſſe ſanguinem. Imo vero frequentior generatur in venis varix, quam in arteriis aneuryſma; atque varices tolerantur ſine perceptione utplurimum ægri, atque generantur ſponte ſine cauſa evidente, ſed aneuryſma utplurimum generat pulſationem tali in parte, & raro ſine valida cauſa, quæ quidem ab ægro perciperetur, producitur. Denique ſanguis ex arteria effuſus magis concreſcit, & difficilius intime miſcetur urinæ,

quam qui manat ex varice diffracto. Quamobrem non absurdum videtur cum auctore statuere, si antea in vena fuerit natus varix, ex eo rupto effundi posse sanguinem urinæ miscibilem, *sponte* seu *inopinanter* (ἀπὸ ταυτομάτου) cum urina accurate mistum. Nam si supponatur arteriarum dilatatio, illa potest esse duplex; nempe a majori interno impetu, sed is tantum calorem & pulsationem prius faceret, quæ ab ægro facile perciperetur; si vero nimia supponatur extremitatum dilatatio in arteriis, evacuaretur quidem urina chylosa crassa, sed vix credendum est, per extremitates arteriarum in renibus dilatatas merum profluere sanguinem. Unde non ita a veritate est alienum statuere, ut fecit auctor, indicare venam esse ruptam. Quod autem judicaverit, illum sanguinem profluere ex renibus, & non ex aliis viis urinæ, nempe ureteribus vel vesica, non est sine ratione, etiamsi ex loco dolente non potuerit dignoscere, num vesica vel renes sint læsi, quia dicit inopinanter fieri, quod notat ex dolore vel affectione aliqua dijudicari non posse, futurum esse sanguinis fluxum: nam omnes arteriæ & venæ in renibus non adferunt sanguinem ad generalem renum nutritionem, sed & venæ & arteriæ renales functioni, scil. secretioni urinæ famulantur, in quibus tunc venis non inveniuntur valvulæ, quæ tamen in venis vesicæ adsunt, ut alibi in corpore, ubi non peragitur specialis functio. Atque vasa in vesica non solum propriis tunicis suis fulciuntur, sed insuper tunicis vesicæ, quod non ita fit in vasis cruentis alicujus organi, ubi ex allato sanguine specialis est facienda secretio. De tali mictu cruento idem est sentiendum, quod observatur

in

in hæmorrhoïdalium fluxu, raro aliquid damni inferre, niſi nimis copioſa fiat aut diuturnior evacuatio: quare non tam anxii eſſe debemus in curatione hujus, quam ſi fiat in calculoſis a calculo rumpente vas, atque eandem quoque non ſequitur curationem, ſed talis interna eſt facienda, qualis inſtituitur in hæmorrhoïdibus. *Gorter.*

Aphor. 79.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Quibus in urina arenoſæ ſunt ſubſidentiæ, iis veſica calculo laborat.

Aphoriſmus præſens videtur deſumtus ex *lib. de intern. affect. n.* 15. *Multi vero Medici cum morbum non noſcant, ſi arenam videant* (ſcil. cum urina excretam), *veſicam calculo laborare exiſtimant. Hoc autem minime, ſed ren calculo laborat.* Si ergo Hippocrates exiſtimat ob renum calculoſam affectionem, nullo modo affecta veſica, arenulas mingi, quomodo nunc dicere potuiſſet, ubi in urina ſubſident arenoſa, veſicam calculo laborare? Rejiciatur ergo aphoriſmus iſte tanquam Hippocratico nomine indignus, nam & ipſamet experientia vitioſum eſſe indicat, cum quotidie obſervetur, abſque ullo veſicæ vitio arenulas mingi. *Martian. p.* 455. Imo vero ſæpe citra omnem calculi & renum & veſicæ ſuſpicionem arenoſa minguntur, ceu id in febrium declinatione contingere

 ſolet.

ſolet. Ut itaque aphoriſmi dignitatem tuearis, notabis, quod in calculoſorum urinâ arenoſa ſubſideant, ac veluti terra pinguis, & quaſi narium mucus matulæ fundo adhæreſcat; cum in iis, qui calculo non laborant, cum urina excernantur non proprie ψαμμώδεα, i. e. lapidum fruſtilla & particulæ, ſed corpuſcula friabilia, tartarea, ſalis naturam quaſi referentia, matulæ parietibus adhæreſcentia, vel ſedimento, vel etiam ſuperficiei urinæ innatantia. Ut denique magis certus ſis, eſſe illa ſubſidentia arenoſa a calculi vitio, diſpiciendum eſt, adſintne morbi nephritici ſigna, quæ proventum illorum a renibus indicent, vel num ſit frequens mingendi deſiderium veſicam laborare ſignificans. *Sennert. Pract. l.* 3. *p.* 844. Conf. *Zecch. Conſult. p.* 611. Aſt tamen ne ſic quidem aphoriſmo ſua conſtat veritas. Nam neque dictum, neque particularia alia ſigna ſufficiunt ad certum reddendum Medicum de calculi in veſica hærentis præſentia. Sunt vero illa hujuſmodi. Doloris plerumque, pruritus atque æſtus in ea parte, qua veſica hæret, ſenſus eſt. Urina plerumque difficulter, neque ſine doloribus redditur. Eadem fere ſemper pallida ſive turbida eſt, atque pravi odoris. In fundo vitri ſeu vaſculi, quo eadem continetur, utplurimum materia quædam mucoſa, nonnunquam etiam purulenta, imo & interdum, ſi calculus eſt aculeatus, ſanguinolenta ſeſe oſtendit. Ac pruritum quidem cum doloribus omnes iſtæ partes ſentiunt, quæ perinæum inter atque glandem extremam interpoſitæ ſunt. Itaque pueri, a calculo divexati, manibus admotis continuo præputium attrahunt, atque ita, dum doloris aliquod levamen inde ſentiunt,

tiunt, insigniter plerumque extendunt. Hæc autem signa neutiquam indubia sunt aut perpetua. Nam nullum ex jam recensitis malum est, quin aut a vesicæ inflammatione, vel abscessu, vel exulceratione quadam, vel scirrho cervicis vesicæ sive glandulæ prostatæ, aut & ab urinæ acredine, aut aliis denique causis excitari queat, vel soleat. Aliquanto promtior atque certior iste calculum cognoscendi modus est, quem adhibere solent lithotomi. Scilicet hi, ægro vel supino vel stante, uno vel duobus etiam digitis in ægrotantis anum insertis, alteraque manu pubis regioni imposita, quam curiosissime vesicam proxime intestino recto superimpositam explorant, & gravitate vel duritie quadam reperta, calculum intus delitescere, his ipsis suspicantur, imo certo statuunt. At neque hoc quidem indicium, quamvis nullo modo contemnendum, prorsus ab errore liberum est: nam, experientia teste, scirrhus aut callus, aut tumor aliquis, in vesica vel intestino recto, vel glandula prostata subnatus, eundem plane sensum præbere possunt. Certissima calculum vesicæ cognoscendi ratio est, si, injecto in vesicam cathetere, & allisionis ad rem duram, & factæ inde repercussionis sonus quidam percipitur. Sed fallit sæpe etiam hoc judicium. Sicut enim nullius perceptio soni, non semper absentis est indicium calculi, quippe hic, præsertim exiguus, in recessibus sive cellulis, quales vesicæ nonnunquam adjunctæ sunt, ita penitus delitescit, ut nulla ratione attingi aut deprehendi cathetere queat; ita nec semper soni perceptio est argumentum calculi præsentis, nonnunquam enim durities intus animadversa non tam calculum, quam

vesicæ partem aliquam induratam atque prominentem sive tumorem aliquem excrescentem designat. Denique incidunt quandoque istiusmodi casus, ubi, quo minus applicare catheterem queat Medicus, propter inflammationem dictarum partium vel alias res circumstantes prohibetur; adeoque digitis in anum insertis vesicam explorare cogitur: quibus etiam magnitudinem ejus satis egregie cognoscit. Vid. *Heister Chir. p.* 893 *sq. Heuch. Chir. inst.* §. 17.

Sedulo observandum est, num sabulum vel arenulæ statim appareant in emissa adhuc calente urina, an vero dein in sola stagnante urina refrigerata inveniantur; nam si statim non appareant arenosa vel sabulosa in calente urina, certum est signum, horum generationem non fuisse factam in corpore ægrotantis, sed nata fuisse crystallisando in uroscopio, in quo stagnavit urina: hæc crystallisatio quoniam magis minusve cohærentes potuit producere arenulas, incertum omnino est judicium, quod Practici petunt ex arenularum duritie, num in corpore vel extra istud arenulæ fuerint natæ. Recte propterea præcipit auctor, arenosa subsidere; nam si in matulis habetur concretio calculosi, illa arenosa magis adhærent lateribus vasis, quam quod subsideant. Hæc nunc arenosa subsidentia in calida urina denotant certissime formationem fuisse peractam; sed an fuerit facta in vesica vel renibus, incertum est. Hoc quidem verum est, evacuari non posse arenulas, nisi fuerint in vesica, sed propterea non est indicium, originem mali latitare in vesica urinaria: imo his temporibus ex lumborum conjunctis doloribus frequentior origo esset quærenda in renibus, quam vesica eorum, qui sabulosa vel

arenosa

arenoſa cum urina reddunt. Quod autem illi, qui tandem in refrigerata urina multum ſabuli habent, frequentiſſime etiam in morbos renum & veſicæ incidant, res eſt notiſſima. Quippe quoties his in partibus locus eſt muco non ſatis defenſus, ad quem ſtagnans urina poteſt formare cryſtallos, urina ita prona ad calculi formationem, etiam in corpore calculum ſæpe facit: adeo ut non requiratur, ut ſemper primordia calculi formentur in renibus, qui tandem magis incruſtati majorem calculum in veſica urinaria formant: poteſt enim talis locus eſſe tam in veſica ipſa, quam in pelvi renum. Unde non conſentirem auctori ſtatuenti, ſabulum vel arenulas indicare veſicæ calculum, niſi intelligat, evacuationem ſabuli fieri non poſſe, niſi calculus prius fuerit in veſica. *Gorter.* Sed præter ea, non eſſe abſolute verum aphoriſmum, demonſtratur etiam ex eo, quod ſæpe obſervatum ſit, homines calculo renum & veſicæ laboraſſe citra ullum calculi indicium, citraque ullum ſabuloſum aut arenoſum excretum. Vid. *Laur. Exerc. p.* 19 *ſqq.*

Extat *Cl. Salmaſii interpretatio Hippocratei aphoriſmi* 79. *Sectione* 4. *de calculo. Additæ ſunt Epiſtolæ duæ Joh. Beverovicii, quibus reſpondetur. Lugd. Bat.* 1640. 8°. Docte ſatis in hunc aphoriſmum commentatum eſſe Salmaſium; niſi quod Hippocratis magis reformatorem quam explicatorem egerit, ita ut pro more ſuo turbarit, deſtruxerit, finxerit, refinxeritque pro lubitu; judicium eſt Trilleri in *de nova Hippocr. edit. p.* 10. Extat etiam ejuſd. Salmaſii Epiſtola quæ verſatur circa explicationem hujus aphoriſmi, in *Beverov. ad Hippocr. de calc. p.* 12-16.

APHOR. 80.

Ἢν αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει.

Si quis sanguinem, & grumos cum urina fundat, & stranguriam habeat, dolorque in imum ventrem, & perinæum incidat, quæ ad vesicam attinent, laborant.

Celsus *l.* 2. *c.* 7. *p.* 61. ita habet: *Si paulatim destillat* (urina), *vel si sanguis per hanc editur, & in eo quædam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem interiores partes dolent, in eadem vesica vitium est.* Ubi male vertit Celsus περὶ τὴν κύστιν *in vesica*, pro *circa vesicam.*

Laborantis vesicæ & partium adjacentium indicia hic traduntur, ab anastomosi vasorum repetenda; ab interceptis v. g. hæmorrhoïdibus. Vesica excretionibus sanguinis obnoxia est, quia valde difficilis est, ob perpendicularem & valde demissum ejus situm, sanguinis per venas ex ipsa regressus. Quo fit, ut hæmorrhoïdibus externis tumentibus, vel internis obstructis, in plethoricis præsertim, accumulatus & ibi stagnans sanguis, præter naturam orificia vasorum capillarium ipsius vesicæ, vel magis sphincteris, aperiat atque perrumpat. *Hoffm. Med.*

Med. rat. T. 4. *P.* 2. *p.* 136. Plura huc pertinentia vid. in Not. ad 4 *aph.* 75.

Aphor. 81.

Ἢν αἷμα, καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρείη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis sanguinem, & pus, & squamulas cum urina fundat, gravisque odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

Habentur hæc jam in præcedente *aph.* 75. hîc loci additur *odor gravis*; qui sane confirmat ulcerationem, seu materiam purulentam. Quando urina mingitur mox cruenta, mox ob puris miscelam lactescens, interdum glutinosa, crassa tenaci materia mali odoris onusta, quæ fundo adhæret, nec vitri agitatione dissolvitur; certum exulcerationis renum vel vesicæ documentum præbet. *Hoffm. Med. rat. T.* 3. *p.* 302. Si quis squamulas minxerit & gravis odor adsit, vesica exulcerata est. At si citra vesicæ exulcerationem exeunt, febris ardens vasorum summas partes & tunicas colliquefacit & veluti in lamellas dissolvit, unde & solidarum partium consumtio inest, sed tanto minor, quantum squamulæ furfuribus tenuiores existunt. *Fernel. Medic. p.* 321.

APHOR. 82.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φῦμα φύεται, τουτέοισι, διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

Quibus in urethra tuberculum innascitur, eo in pus verso & rupto, solutio contingit.

In *Coac. sect.* 3. *n.* 311. 312. hæc leguntur: *Quibus tuberculum ad vesicam adnascitur, urinæ difficultatem adferens, iis quivis corporis habitus negotium facessit, cujus quidem solutio contingit per puris eruptionem.* Celsus *l.* 2. *c.* 8. *p.* 70. ita reddidit: *Quibus in fistula urinæ minuti abscessus, quos* φύματα *Græci vocant, esse cœperunt, iis, ubi pus ea parte profluxit, sanitas redditur.*

Vesica, aut aliqua ex vicinis partibus laborante, si in meatu urinario tuberculum nascatur, & suppuretur, morbum solvi, ait Hippocrates; quo dicendi modo, morbum antea adfuisse, infert, qui suppurato tuberculo solvatur: & ratio est, quia humores ad suppurationis locum demandantur, qui facta suppuratione exacte expurgantur, ita ut in posterum morbus redire non valeat, eo quod, ut dicebat Hippocrates *lib.* 6. *Epidem. sect.* 3. *n.* 17. *Quod in pus vertitur, id morbi reversionem non facit. ipsa namque maturatio, simul & judicationis & excretionis rationem habet.* Cur vero id solum eveniat in tuberculis urinarii meatus, non autem

tem cæterarum partium veficæ adjacentium, id ex natura partis evenire exiftimo, quippe quæ venis conftat magnis, & arteriis: quarum virtute, cæterarum partium affectiones huic facile communicantur. Hancque veram effe hujus aphorifmi, tum lectionem, tum expofitionem exiftimo; ita ut hic præferendus fit ei, qui in 7 *aph.* 57. regiftratus eft, in cujus fine legimus, *folvitur dolor.* Nam fuppurato, & rupto tuberculo dolorem folvi, omnibus commune eft, non proprium eorum, qui in fiftula urinaria nafcuntur. *Martian. p.* 455.

Si quis in Medicina practica non fatis expertus talem legeret fententiam, judicaret, per *folutionem* intelligi debere finem morbi, quafi fufficeret ad curationem hujus Tuberculi, fi modo perruptum effet: fed in praxi contrarium inveniret; nam fi abfceffus vel tuberculum fit ruptum, ftatim non eft ille morbus fanatus. Recte monuit in hoc aphorifmo Mercurialis, propterea Hippocratem hunc aphorifmum adjeciffe, ut demonftraret, omnem puris evacuationem cum urina non effe malam, neque femper pus evacuari ex vefica, verum etiam ex meatu urinario, ut ita fedulo inculcet, pus cum urina ex variis locis provenire poffe. Varia funt genera Tuberculorum in noftro corpore. Ex his funt Tubercula inflammatoria, quæ tendunt in fuppurationem: quare in hoc loco hujufmodi tubercula funt intelligenda, quoniam dicit auctor, eo fuppurato & perrupto folutionem fieri; nam reliquæ fpecies tuberculorum, quæ non perveniunt ad fuppurationem, in hoc loco intelligi non poffunt. Tubercula autem inflammatoria & reliqua fi nafcuntur in meatu urinario, duo præcipue mala inferunt, dolo-

rem

rem fcil. & urinæ fuppreffionem. Quamdiu tuberculum inflammatorium non abiit in fuppurationem, neque minuitur dolor, neque referatur urinæ fuppreffio; fed quando in fuppurationem abiit, minuitur quidem dolor, fed quoniam non eft diminutus tumor, manet tamen urina fuppreffa: verum fi maturum hoc tuberculum rumpatur & contentum pus evacuet, fimul quoque minuitur tuberculi moles, unde non amplius tam arcte obftipata eft urethra a tumente tuberculo, quam antea, quando fæpe fimul reddi poteft urina per urethram nunc minus obftructam, præfertim fi fimul redditur pus, indicium præbens, urethram effe apertam. Facile nunc intelligimus, quomodo dicere auctor potuerit, *folutionem* contingere, quod multis Commentatoribus magnam difficultatem præbuit. Solutio enim in h. l. fignificat, inftans periculum ex doloris vehementia & urinæ fuppreffione, averti, quoniam ex pure prodeunte conftat, tuberculum non amplius fævire, & urinæ viam effe apertam. Hanc effe veram Auctoris fententiam colligere poffumus ex *Coac. l. c.* ubi dicit Hippocrates, hujufmodi tubercula inducere urinæ difficultatem, & in 7 *aph.* 57. aperte dicitur *dolor folvitur. Gorter.*



APHOR.

Aphor. 83.

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη, σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

Urina copiofe de nocte reddita, paucam alvi dejectionem fignificat.

Veritas hujus fententiæ clara eft; quia humiditate lubricam faciente alvum ad vafa urinifera tranflatâ, excrementa inteftinalia ficca evadunt ac dura, & ad ejectionem ignaviora, quemadmodum contra parcior excerni folet urina, ubi copiofa humoris aquofi per alvum facta dejectio. Quare Galenus fuafor eft, ut, fi alvus fit fupra modum humida, potus detur parcior, atque ipfius motus ad veficam cieatur; quibus vero alvus fuerit ficcior, uberior exhibeatur potus, ejufque diftributio, nempe ad vias urinarias, prohibeatur. Vid. *Sebiz. Exerc. Path. T.* 1. *p.* 135. Tranflationem humoris, per vias uriniferas fecerni foliti, ad inteftina, docet obfervatio, qua vifum eft, lotio a caruncula urethræ fuppreffo fucceffiffe diarrhœam. Vid. *Rhod. Cent.* 2. *obf.* 84. & 90. Hinc etiam patefcit ratio, cur prudentes Medici judicent, non multum excrementorum per ventrem defcenfurum, quoties poft epotum pharmacum urinæ copiofius fluunt. Vid. *Eraft. occult. medic. p.* 102.

Cur in textu additur *de nocte* feu noctu? Ut indicetur tempus, in quo illa aucta urinæ eva-

cuatio non producitur aliqua actione muſculari, vel animi pathemate, quibus interdum hæc vel illa excretio poteſt augeri vel minui; ſed in quo excretiones illæ abſolvuntur ſola actione vitali. In morbis colliquativis interdum obſervatur mictio noctu multa cum alvo profuſa; ſed hæc duo juncta malum ſignum exhibent, quoniam nunquam obſervamus duas evacuationes copioſas, niſi humores per putredinem ita ſint ſoluti, ut per omnia emunctoria effluant. Qui cæteroquin ſanus noctu multum mingit, conveniens eſt, ut huic alvus non ſolum ſit ſiccior, ſed & inſenſibilis perſpiratio parcior; nam in tali mictu copioſiore, qui fit in corporis quiete, & non poſt potum copioſiorem, denotatur, omnem materiem generalem evacuari per renes; ſed ſi tantum id ſpeciale, quod per alvum & per cutim eſt educendum, evacuatur, alvus neceſſario debet eſſe ſiccior, & perſpiratio parcior, quum id ſpeciale parvam quantitatem exhibeat. In homine ſano, ſi vires valeant, ſalubrius eſt alvum modice ſiccam habere, & urinam parciorem; quia tunc natura illam maſſam liquidam communem pellit per inſenſibilem perſpirationem. In corporibus autem debilioribus illa communis maſſa magis evacuatur per renes, quia tunc vires vitæ debiliores non valent ſatis largam facere perſpirationem inſenſibilem. Quare concludere poſſumus, mictionem noctu multam, non ita indicare morbum, ſed vires debiliores. *Gorter.*

Non prætermittenda hic venit Valliſneri obſervatio, quæ in *Eph. N. C. Cent.* 3. *obſ.* 27. inſcribitur: *Alvo ſtyptica, urinæ quantitas diminuta, obediente copioſa, contra aphoriſmum Hippocratis.* Perpetuum eſt in viro ſano, & prudenti experimentum,

rimentum, poſt alvi excretionem, copioſam urinam fundere, tum prima vice, tum pluribus aliis, brevi temporis intervallo. Nec dicas exonerato inteſtino amplius non impediri compreſſione veſicam urinariam, quia hæc ſuſpicio tantum valet de prima effuſione urinæ, non ſequenti, quæ poſtea deſcendit in veſicam. Comprimi certe videntur viæ ſuppeditantes veſicæ copiam urinæ, non ipſam veſicam tantum, cum ſæpius poſtea repleatur, & ſe exoneret. Itaque diebus, quibus alvus penſum ſuum ſolvit, large fluit urina, cum ſubſtyptica eſt, modice, contra Hippocratis aphoriſmum, juxta quem *multum mingentes, pauca dejiciunt.* H. J.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

